6
11-c
95
M
6/26
6
11 B
53
ibliotheca
Coll. Rom.
...et. Jesu
6-11-c-95
22-c-41

AVGVSTINI MASCARDI ROMANÆ DISSERTATIONES

DE AFFECTIBVS

SIVE

PERTVRBATIONIBVS ANIMI,

&

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ETHICÆ PROLVSIONES.

Nunc denuo Typis editæ.

MEDIOLANI, MDCLXVII.

Ex Typographia Franciſci Vigoni.
Superiorum permiſſu.

REVERENDISSIMO PATRI

D. ROMVLO MARCHELLO

BIBLIOTEC NAZ ROMA VITTORIO.EMANUELE

CONGREG. CLER. REGVL. S. PAVLI

GENERALI

PRÆPOSITO,

ET CONCIONATORI

CELEBERRIMO.

Miraberis fortaſſe importunam Tyronis audaciam inter grauiſſima irrumpentem Sacrarum Concionum ſtudia, quibus, dum altiori ſapientia pietatem inſtillas, infers omnium animis eloquentiæ tuæ admiratione͂ REVERENDISS. PATER. Sed facile culpa vacabit auſus, vbi aduerteris meritum tuum effeciſſe, vt deberem, humanitatem, vt auderem. Curandum nuper ſu-

ſce-

ſceperam, vt hæc Aug. Maſcardi *opera, digniſſima tanto ingenio monumenta, ſed hoc vno minus fælicia, quod minus frequentia, denuò typis redderentur. Sortis putaui beneficium reperire in alijs, quod in me non inueneram, cumq; nihil ſuppeteret, quod è proprio penu, tuo conſpectu non indignum proferrem, id mihi ex alieno cenſu occurrere. Vidi hæc viri eloquentiſſimi ſcripta præclariſſimi Oratoris patrocinium, tuum ſcilicet, vt ad lucem redirent, exigere: præſertim vero, cum in te illorum affectuum dominium, circa quorum perturbationes verſantur, emineat. Gratulaturum credidi Maſcardum hanc poſthumam ſuis partubus gloriam, neq; dum viueret, potuiſſe in poſterum ijs meliorem exorare auſpicem, ſub cuius nomine renaſcerentur, quam illum, qui ſub eiuſdem Reip. Sereniſſimo cælo amica natus Minerua, paris gloria eruditionis authori ſimillimus patris vices impleret, quiq; dignitatis Maieſtate, ac ſcientiarum omnium fama hæreditario illorum ſplendori ſplendorem addens optimi tutoris partes exerceret. Acceſſere maxima in eam, cui tu meritiſſimo praes, Congregationem debita, quæ, vt alibi ſumma cum laude, hac præſertim in Vrbe adoleſcentiam bonarum artium, pietatiſq; ſtudijs informat, & à me quidem quidquid eſt in hoc meo litterarum Tyrocinio, tanquam ſuum iure poteſt exigere. Hoc igitur in tua, illiuſq; merita obſequij teſtimonium ne indigneris excipere, dum animum meum ſimul cum alieno munere tibi deuoueo. Vale.*

Reuerendiſſimæ Paternitati Tuæ

Deuinctiſs. & obſequentiſs. Seruus

I. B. V.

AVGVSTINVS MASCARDVS

LECTORI SA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIbellum habes Romanarum Diſſertationum, & Ethicarum proluſionum argumenti fortaſſe varietate iucundum, ſi authoris in Latinis literis nouitati potes ignoſcere. Ingenio opus erat non ſubacto tantum, ſed etiam ipſa ſtyli exercitatione detrito; vt mihi iudiciorum aleam ſubire ſecuro liceret. Verum vt aliquid Italis noſtris ſæpius dederim, Latina certè vel non attigi, vel à prima ſtatim adoleſcentia dimiſi: ita videlicet grauiores primo diſciplinæ, mox etiam aulica negotia iuſſere. His acceſſit contumax viſcerum morbus, qui me alio migrandum identidem monet, nec ſinit in literarum ſtudijs conquieſcere. Vtcumque ſit; non ea eſt ætas, non ea valetudinis, aut vitæ conditio, vt meliora in dies polliceri Lectoribus debeam: vnum illud ſupra votum erit, ſi quales quales conatus meos vel amicis probauero, vt ſocordiæ infamiam declinem. Ignoſcet mihi literatorum genius non tam ætatem, quæ grandis omnino non eſt, quam ægritudinem, vtinam falſò, cauſanti. Vale.

Cum

CVM de mandato Reuerendiſs. P. Iulij Mercori huius Mediolanenſis Ciuitatis, ac Status Generalis Inquiſitoris perlegerim, & quidem attente conſiderarim Ego infraſcriptus Fr. Valentinus Ordinis S. Franciſci de Paula Diſſertationes Romanas, atq; Ethicas Proluſiones Auguſtini Maſcardi olim Pariſijs impreſſas, nihilq; in ijs, quod fidei ortodoxæ, ac bonis moribus obſtare videatur, repererim, imò verò earum elegantia, fœcunditas, atq; ſubtilitas maximè ſit commendabilis, quippè viris doctis plurimam profutura, ideòq; Prælo denuò ſubijciantur maximè dignas exiſtimo. In quorum fidem &c.

Fr. Valentinus Tritius S. Offitij Reuiſor, ac Conſultor &c.

Stante ſupradicta atteſtatione

REIMPRIMATVR.

Fr. Io. Dominicus de Cremona S.T.M. ac Commiſſarius S. Offitij Mediol.

Carolus Ghioldus Theol. S. Nazarij pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.D. Card. Litta Archiep. &c.

F. Arbona pro Excellentiſs. Senatu.

In-

Index Diſſertationum.

DISSER. I. De Multiplici animæ humanæ ſimplicitate. 1
DISS. II. De humani animi perturbationibus. 18
DISS. III. De admirabili corporis cum anima cognatione, &c. 33
DISS. IV. Vtrum animi mores certis corporis ſignis internoſcantur. Hoc eſt de Phyſionomia in vniuerſum. 47
DISS. V. De perturbationum, ac morũ coniectura ex vultu. 60
DISS. VI. In Hieronymi Aleandri funere extemporalis eiulatio. 72
DISS. VII. De morum, ac perturbationũ coniectura ex manibus; Hoc eſt de Chiromantia. 78
DISS. VIII. De morum, ac perturbationũ coniectura ex voce. 92
DISS. IX. De coniectura ex Sermone. 108
DISS. X. De cõiectura ex oratione, ſiue ſtylo. 123
DISS. XI. De coniectura ex cultu corporis, & primum de capillamento. 137
DISS. XII. De coniectura ex hominũ barba. 153
DISS. XIII. De coniectura ex veſtibus. 171
DISS. XIV. De eodem argumento. 187
DISS. XV. De eodem veſtium argumento. 202
DISS. XVI. De morum, ac perturbationum coniectura ex inceßu. 215
DISS. XVII. De coniectura ex ſternutamento, tuſſi, & oſcitatione. 234

In-

Index Proluſionum.

PROL. I. PErturbationũ Idololatria. 247
PROL. II. Perturbationum Idola ope virtutis euerſa. 265
PROL. III. Charidemus, ſiue de literarum ſtudijs ad animi cultũ traducendis. 280
PROL. IV. Vtrum in Virum ſapientem cadat animi perturbatio. Stoici à calumnijs vindicati, & de Chriſto Domino quæſitum. 299
PROL. V. De nimio in valetudine curanda ſtudio. 316
PROL. VI. Præpoſteram Valetudinis curã plurimũ animo, ac virtutibus obeſſe. 338
PROL. VII. De concordi animi ſimul, & corporis tuenda Valetudine diligentia. 356
PROL. VIII. Triplici timoris gladio triplex conſtantiæ clypeus, imminentibus iam ferijs æſtiuis, obiectus. 373
PROL. IX. Fruſtra mortalium vitijs excuſationes obtendi. 390
PROL. X. Omni reducto excuſationum velo, quanta quanta eſt hominum improbitas in aperto collocatur. 413
PROL. XI. De eruditione per ſomnia ad ſomnium Scipionis. 431
PROL. XII. Quomodo Rhetorica Dialecticæ altera ex parte reſpondeat. Ad primum caput Rhetor. Ariſt. 443
PROL. XIII. De Memoriæ præſtantia ſimul ac fragilitate. 465

8188

DE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE MVLTIPLICI ANIMÆ HVMANÆ SIMPLICITATE,

DISSERTATIO PRIMA.

SI mortalium mens, cui regnum totius animi à natura tributum eſt, aciem ſuã ad ea, quæ in nobis admirabilia poſuit Deus, indaganda conuerteret; nihil nobis eſſet magnoperè deſiderandum, ad abſolutæ ſapientiæ formam in animis exprimendã. Verùm ad cæteras humani generis calamitates oppidò deplorandas, inertia quædam, ſeu ſtupor accedit; quo ad noſtra contemplanda prorſus hebeſcentes; in alienis, ac friuolis perſpicaces, intelligentiam, diuinum naturæ munus, vertimus in infortunium;

Vt nemo in ſe ſe tentat deſcendere, nemo; Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo; Perſ. ſat. 4.

non ſine ſtomaco nobilis morum cenſor exclamat, lamiam neſcio quam, oculos,

quos illi exemptiles natura formauerat, è ſedibus ſuis erutos, dum domi ſe contineret, in arcula diligenter aſſeruare ſolitam legimus; quos deinde in publicum proditura rurſus indueret, eoſque velut excurſores, & emiſſarios, in obuia quæque conijceret, ad aliena moroſius peruidenda. De vnoquoque noſtrum fabula, nomine mutato, narratur; qui ad ea, quæ apud nos, ac domi noſtræ ſunt, aut lippientes aut cæci; ludibria rerum humanarum, cura ſemper ancipiti, quamuis cereo conſilio, acutè rimamur; ætatemque vel nihil, vel aliud agentes conterimus impendio ſanè luctuoſo. An quia inter mentis, & corporis oculos est non ſolum cognatio, ſed etiam ſimilitudo intercedit, vt quemadmodum hi vultum ipſum, quem ornant, videre non poſſunt, ita ij animum, quem illuſtrant nequeunt intueri, quod Baſilius arbitratur? An quia deterritus conſcientia ſcelerum animus, ea rerum ſimulacra per otium contemplari reformidat, quæ ſemel illicio voluptatis, per ſenſuum traduces, imbiberat, vt opinatur Plutarchus? Peritus ille architectandi machinator, qui ædem fabricaturum ſe eo artificio pollicebatur, vt curioſis viciniæ oculis feneſtras, aditúſque ſubduceret non ſine mortalium fructu diligentiam

De curioſitate init.

Idem ibid.

ſuam à ſapiente contumelioſè ſenſit exceptam; qui patere omnibus larium ſuorum arcana, conſcientiæ confidentia volebat. Grauius tamen, licet aliquantò acerbiùs, oculos ſibi Democritus effodit, hoc eſt, ex Plutarchi interpretatione, feneſtras animi, quibus in aliena proſpectus aperiebatur, obſtruxit, vt ſibi tantum vacaret, ac ſuis; Aſpendium imitatus, philoſophum non paulò præſtantiorem, quàm citharœdum, qui canere intus, vt aiunt, conſueuerat. Nec noua contingere alicui feneſtræ appellatio debet, quæ à Plutarcho transfertur in oculos; cum mortem etiam per feneſtras ingreſſam diuinæ literæ ſatis apertè denuncient. Hæc omnia apud me teputans, Clementis item Alexandrini monitis excitatus, qui diſciplinam omnium pulcherrimam exiſtimauit cognitionem ſui, ab ea Rhetorices parte, in qua de perturbationibus animi, Ariſtotele præeunte, tractatur, labores meos auſpicari, vobis vti ſpero non improbantibus, ſtatui. Licet enim præclarus benedicendi artifex de affectionibus animi, in libris Rhetoricorum non agat vniuerſim, ſed ea potiùs quæ ad auditores oratione permouendos apprimè côducunt, ex ampliſſima cœteroquin materie curſim delibet; nos qui pleniorem,

Plutar. de curioſit.

Cic action. 3. in Verr. Aſcon. Pedian &c.

Clem. Alex. Pedag. lib. 3. cap. 1.

atque adeò pro virium imbecillitate penitùs abſolutam de ijs diſputationem inſtituimus, latiùs in argumento verſabimur. Neque enim alienum ab inſtituto noſtro iudicabimus, aut Philoſophantes intra limites conuenire, aut medicorum arcana ſcrutari, aut Philologorum myrothecia euertere, aut Theologos de rebus grauiſſimis conſulere. Quod vt omnibus futurum ſpero argumenti varietate iucundiſſimum, ita doctrinæ ſoliditate (quantum quidem ingenij mei tenuitas feret) vobis auguror maximè fructuoſum. Quod igitur bene vertat rem cominus aggrediamur. Præclara illa, ac ſapientiſſima apud Platonem heroina, qua in rebus amatorijs magiſtra ipſe Socrates eſt vſus, Diotima, Amorem philoſophum appellauit in conuiuio: verum Socrates eundem ſophiſtam potiùs dicendum exiſtimauit. huius ego in ſententiam vt non libenter magis, quam iuſtè diſcedam, falſa faciunt de hominum anima Amoris documenta, quorum vnum apud Xenophontem inuenire me memini, profectò ſingulare, atque peruerſum. Panthea Abradatæ Suſorum regis vxor, non tam generis claritudine, aut elegantia formæ, quàm pudicitia ſupra ſexum, vel potius ſupra omnem mortalium fidem admirabilis,

Xenophon. Inſtit. Cyri lib. 5. & 6.

Cyro

Cyro capta, Araſpi Medo traditur in cuſtodiam. is nobiliſſimæ fœminæ pulchritudine delinitus, lenocinijs illius conſtantiam aggreditur. verùm vbi ſanctiorem eam offendit, quam vt blanditijs capi, aut labefactari poſſet, (vt eſt facillimus amoris traiectus in furias,) morantem increpat, & ferrum nil tale metuenti obtrudit, ex cuſtode repente ſicarius, & pene latro melior, quam amator. Re ad Cyrum per internuncium delata, Araſpes accerſitur à Principe, cuius mitiſſima obiurgatione factum eſt, vt militaris animus reuertenti ſubito pudori aditum aperuerit, amorem excluſerit. Verum quoniam non tam facilis efferueſcenti adhuc cupiditati victoria fuit, quin m[illegible] Araſpe[illegible] probaret: *Duæ, inquit, Cyre* [illegible] *animæ; hanc philoſophiam didici modo apud illum improbum ſophiſtam Amorem:* & ne temerè inuſitatum de duplici anima commentum intuliſſe videretur, rationes ad poſitionem confirmandam, vt opinabatur, idoneas in medium attulit; *Nam vna, inquit, ſi eſſet anima, non & bona ſimul eſſet, & mala; neq; res pariter honeſtas, & turpes amaret: neque ſimul eadem vellet, & nollet facere:* Peruerſa omnino, & cæca ſententia: ſed qui cæca

[illegible] phon. Inſtit. Cyri lib.6.

non eſſet,quam hauſerat ab Amore,pręceptore vtique,& mente ſimul, & oculis capto ? Vſque adeò contumaces in tuendis erroribus , & noſtri nimium amantes ſumus , vt admiſſorum etiam ſcelerum culpam, aliquando transferamus in Deum;& hebeſcentes iam in terrarum orbis ſenectute ſolis radios conqueramur, dum offuſam oculis caliginẽ fateri non libet. Quantò ſapientiùs ſanctiſſimus Ethnicorum doctor Apoſtolus, diſſimilem infęlicitati ſuæ cauſam prætendit in re conſimili? *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

D. Paul epiſt. ad Rom. cap. 7.

Vide Tertul. [illegible]

Illud igitur in argumento tam ſerio ſtatuen[illegible] Animam hominis ſim-[illegible]am, ab [illegible]tione [illegible] longiſſimè poſitam eſſe: à duplici tamen appetitu non abhorrere, quorum alter à ratione, à ſenſibus alter nomen accepit, & recepto à Philoſophantibus vocabulo Appetitus rationalis,& ſenſitiuus appellantur. ille diuinam, hic expertem rationis, & ſenſuum ludibrijs obnoxiam partem occupauit; quam quoniam communem nobis cum mutis animantibus natura conceſſit, hominem animalem Apoſtolus nominauit, *Animalis homo non percipit, quæ ſunt Spiritus.* Quod ego

Ariſt. 3 de Anim. cap 10 text. 17. Magn. moral. lib. 1. cap. 17 Epiſt. 1 ad Corinth. 2.

ego de duplici appetitu vobis aperui, à nulla philoſophantium natione reijcitur: licet enim vnaquæque ad tam exploratæ explicationem doctrinæ diuerſa graſſetur via, vt à nobis poſt paululùm oſtendetur, omnes tamen ſiue ex licæo, ſiue ex academia, ſiue ex porticu, conſentientibus fatentur animis, ex vtroque appetitu humanam animam quodammodò fuiſſe conflatam, inter ſe non tam appellatione diuerſis, quàm munere, ac loco contrarijs.

Vide Plutar. de placit. Phi loſ lib. 4 cap. 4.

Centauros olim ingenioſa excogitauit antiquitas; quorum caput, ac pectus ad humani formam corporis machinata eſt, reliquas in equum partes, inaudita rerum permiſtione transfudit. Quid hac ſuper re quæſitum à doctis viris iã pridem ſit, non eſt huius lo[illegible]rare, ſiue enim inter ἀδύνατα monſtra illud fuerit referendum, ſiue intra naturæ vires collocetur, ad rem quà de agimus nihil. Optimum tamen hominis, ex partibus inter ſe diſcrepantibus coaleſcentis, ſimulacrum erit. Ratio ſiquidem in humani capitis arce, tanquam in nobili Capitolio (vt Timæi enarrator Calcidius memoriæ prodidit) imperiũ tuetur ſuum; ſentientis animæ ſatellitium, quod belluis à natura communicatum diximus, reliquis monſtri partibus

De Centauris vniuerſim Vide de Magium cap. 20.

Vide Clem. Alexã. ſtromat lib. 4.

continetur. Neque alio Platonici currus equos arbitror transferendos: ſapientiſſimus etenim philoſophorum Poeta currum animæ fabricauit in Phædro: Aurigam illi mentem impoſuit, itineris moderatricem, & viarum peritam; ex iugalibus autem equis, qui naturæ bonitate præcelleret, rationis appetitum; intractatus, & contumax ſenſuum motionibus agitatam animæ partem referebat. At nullum eſt, vt ego quidem, opinor, ſiue in fabullis poetarũ, ſiue in annalibus hiſtoricorum, ſiue demùm in philoſophantium meditamentis, ad duplicem hanc animæ poteſtatem explicandam argumentum accommodatius, quàm quod ex diuina Moyſis nar[illegible]tione deſumitur. Rebecca Iſacci vxor, [illegible] religioſi coniugis votis tandem aliquàndo concepit; atque vt tarditatem numerò compenſaret, geminum in vtero fœtum ſenſit; nec pacatum ſatis, & per matris cruciamenta matureſcentem. Fœcunditatem odiſſe iam cœperat, planè calamitoſam; cum nulla extarent adhuc futuræ ſobolis ſigna, præter ea, quæ præſentiſſimi tormenta doloris exprimerent. Deum idcircò conſuluit, vt qui ſterilitatis decus ademiſſet, tam fertilem mœroris ſegetem vellet ademptam. Illi ergo hoc oraculum diu-

Vide interpretat. Philonis lib. de Agricultura.

iu-

uinitus fuſum eſt, *duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Noui ſanctorum Virorũ hac ſuper re commentationes, ac placita; legi, quæ ad hiſtoriæ fidem ab Auguſtino, quæ allegoricè ab eodem, ab Origene, à Ruperto traduntur. Verùm cur aliud nobis veritati conſentaneum, & hiſtoriæ nulla ex parte contrarium, comminiſci non liceat? Rebecca anima eſt, duplici fœtu grauis, vtroque videlicet, appetitu: qui quoniam humanæ naturæ vitio raro admodum, ad vitam cum virtute traducendam conſentiunt, rixari inter ſe, ac prope in matris vtero digladiari dicuntur. Hinc crebræ illæ de ſenſuum ſeditione, atque impetu querimoniæ; quæ ideò iuſtiores putandæ ſunt, quòd non raro iſtiuſmodi concertationum finis cum rationis cladè copulatur, & maior minori ſeruire cogitur; quia ſenſus excuſſo rationis imperio, per vim quodammodò dominatur. Durius equus Troiano imperio fatalis, & Poetarum luſibus inclytus (ſi cogitatis interpretum, otio ſimul, atque ingenio infeliciter abutentium, fides adhibenda) viſcera ſortitus eſt, non minus miraculis referta, quam militibus frequentia; vt Alcibiadis Sileni, non myſterijs conſecrati, ſed

Augu. lib. 16. de ciuita cap. 25 & ſer. 78. de temp. Rupert lib. 7. cap. 4. Origen. homil. 12. in Geneſ. Vide Gloſſ.

De hoc Homer. lib. 4. odyſſ. Virg. lib. 2. Æneid.

Index Proluſionum.

PROL. I. Perturbationũ Idololatria. 247

PROL. II. Perturbationum Idola ope virtutis euerſa. 265

PROL. III. Charidemus, ſiue de literarum ſtudijs ad animi cultũ traducendis. 280

PROL. IV. Vtrum in Virum ſapientem cadat animi perturbatio. Stoici à calumnijs vindicati, & de Chriſto Domino quæſitum. 299

PROL. V. De nimio in valetudine curanda ſtudio. 316

PROL. VI. Præpoſteram Valetudinis curã plurimũ animo, ac virtutibus obeſſe. 338

PROL. VII. De concordi animi ſimul, & corporis tuenda Valetudine diligentia. 356

PROL. VIII. Triplici timoris gladio triplex conſtantiæ clypeus, imminentibus iam ferijs æſtiuis, obiectus. 373

PROL. IX. Fruſtra mortalium vitijs excuſationes obtendi. 390

PROL. X. Omni reducto excuſationum velo, quanta quanta eſt hominum improbitas in aperto collocatur. 413

PROL. XI. De eruditione per ſomnia ad ſomnium Scipionis. 431

PROL. XII. Quomodo Rhetorica Dialecticæ altera ex parte reſpondeat. Ad primum caput Rhetor. Ariſt. 443

PROL. XIII. De Memoriæ præſtantia ſimul ac fragilitate. 465

DE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE MVLTIPLICI ANIMÆ HVMANÆ SIMPLICITATE,

DISSERTATIO PRIMA.

SI mortalium mens, cui regnum totius animi à natura tributum eſt, aciem ſuã ad ea, quæ in nobis admirabilia poſuit Deus, indaganda conuerteret; nihil nobis eſſet magnoperè deſiderandum, ad abſolutæ ſapientiæ formam in animis exprimendã. Verùm ad cæteras humani generis calamitates oppidò deplorandas, inertia quædam, ſeu ſtupor accedit; quo ad noſtra contemplanda prorſus hebeſcentes; in alienis, ac friuolis perſpicaces, intelligentiam, diuinum naturæ munus, vertimus in infortunium;

Vt nemo in ſe ſe tentat deſcendere, nemo; Perſ. ſat. 4.
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo,

non ſine ſtomaco nobilis morum cenſor exclamat, lamiam neſcio quam, oculos,

quos illi exemptiles natura formauerat, è ſedibus ſuis erutos, dum domi ſe contineret, in arcula diligenter aſſeruare ſolitam legimus; quos deinde in publicum proditura rurſus indueret, eoſque velut excurſores, & emiſſarios, in obuia quæque coniiceret, ad aliena moroſiùs peruidenda. De vnoquoque noſtrum fabula, nomine mutato, narratur; qui ad ea, quæ apud nos, ac domi noſtræ ſunt, aut lippientes aut cæci; ludibria rerum humanarum, cura ſemper ancipiti, quãuis cereo conſilio, acutè rimamur; ætatemque vel nihil, vel aliud agentes conterimus impendio ſanè luctuoſo. An quia inter mentis, & corporis oculos ea non ſolum cognatio, ſed etiam ſimilitudo intercedit, vt quemadmodum hi vultum ipſum, quem ornant, videre non poſſunt, ita ij animum, quem illuſtrant nequeunt intueri; quod Baſilius arbitratur? An quia deterritus conſcientia ſcelerum animus, ea rerum ſimulacra per otium contemplari reformidat, quæ ſemel illicio voluptatis, per ſenſuum traduces, imbiberat, vt opinatur Plutarchus? Peritus ille architectandi machinator, qui ædem fabricaturum ſe eo artificio pollicebatur, vt curioſis viciniæ oculis feneſtras, aditusque ſubduceret, non ſine mortalium fructu diligentiam

De curioſitate init.

Idem ibid.

ſuam à ſapiente contumelioſè ſenſit exceptam; qui patere omnibus larium ſuorum arcana, conſcientiæ confidentia volebat. Grauius tamen, licet aliquantò acerbiùs, oculos ſibi Democritus effodit, hoc eſt, ex Plutarchi interpretatione, feneſtras animi, quibus in aliena proſpectus aperiebatur, obſtruxit, vt ſibi tantum vacaret, ac ſuis; Aſpendium imitatus, philoſophum non paulò præſtantiorem, quàm citharœdum, qui canere intus, vt aiunt, conſueuerat. Nec noua contingere alicui feneſtræ appellatio debet, quæ à Plutarcho transfertur in oculos; cum mortem etiam per feneſtras ingreſſam diuinæ literæ ſatis apertè denuncient. Hæc omnia apud me reputans, Clementis item Alexandrini monitis excitatus, qui diſciplinam omnium pulcherrimam exiſtimauit cognitionem ſui, ab ea Rhetorices parte, in qua de perturbationibus animi, Ariſtotele præeunte, tractatur, labores meos auſpicari, vobis vti ſpero non improbantibus, ſtatui. Licet enim præclarus benedicendi artifex de affectionibus animi, in libris Rhetoricorum non agat vniuerſim, ſed ea potiùs quæ ad auditores oratione permouendos apprimè cõducunt, ex ampliſſima cœteroquin materie curſim delibet; nos qui pleniorem,

Plutar. de curioſit.

Cic action. 3. in Verr. Aſcon. Pedian &c.

Clem. Alex. Pedag. lib. 3. cap. 1.

atque adeò pro virium imbecillitate penitùs abſolutam de ijs diſputationem inſtituimus, latiùs in argumento verſabimur. Neque enim alienum ab inſtituto noſtro iudicabimus, aut Philoſophantes intra limites conuenire, aut medicorum arcana ſcrutari, aut Philologorum myrothecia euertere, aut Theologos de rebus grauiſſimis conſulere. Quod vt omnibus futurum ſpero argumenti varietate iucundiſſimum, ita doctrinæ ſoliditate (quantum quidem ingenij mei tenuitas feret) vobis auguror maximè fructuoſum. Quod igitur bene vertat rem cominus aggrediamur. Præclara illa, ac ſapientiſſima apud Platonem heroina, qua in rebus amatorijs magiſtra ipſe Socrates eſt vſus, Diotima, Amorem philoſophum appellauit in conuiuio: verum Socrates eundem ſophiſtam potiùs dicendum exiſtimauit. huius ego in ſententiam vt non libenter magis, quam iuſtè diſcedam, falſa faciunt de hominum anima Amoris documenta, quorum vnum apud Xenophontem inuenire me memini, profectò ſingulare, atque peruerſum. Panthea Abradatæ Suſorum regis vxor, non tam generis claritudine, aut elegantia formæ, quàm pudicitia ſupra ſexum, vel potius ſupra omnem mortalium fidem admirabilis, à

Xenophon. Inſtit. Cyri lib. 5. & 6.

Cyro

Cyro capta, Araſpi Medo traditur in cuſtodiam. is nobiliſſimæ fœminæ pulchritudine delinitus, lenocinijs illius conſtantiam aggreditur. verùm vbi ſanctiorem eam offendit, quam vt blanditijs capi, aut labefactari poſſet, (vt eſt facillimus amoris traiectus in furias,) morantem increpat, & ferrum nil tale metuenti obtrudit, ex cuſtode repente ſicarius, & pene latro melior, quam amator. Re ad Cyrum per internuncium delata, Araſpes accerſitur à Principe, cuius mitiſſima obiurgatione factum eſt, vt militaris animus reuertenti ſubito pudori aditum aperuerit, amorem excluſerit. Verum quoniam non tam facilis efferueſcenti adhuc cupiditati victoria fuit, quin m[illegible] Araſpe [illegible] probaret: *Duæ*, inquit, *Cyre mi*[illegible] *animæ; hanc philoſophiam didici modo apud illum improbum ſophiſtam Amorem:* & ne temerè inuſitatum de duplici anima commentum intuliſſe videretur, rationes ad poſitionem confirmandam, vt opinabatur, idoneas in medium attulit; *Nam vna*, inquit, *ſi eſſet anima, non & bona ſimul eſſet, & mala; neq; res pariter honeſtas, & turpes amaret: neque ſimul eadem vellet, & nollet facere:* Peruerſa omnino, & cæca ſententia: ſed qui cæca

[illegible]phon. Inſtit. Cyri lib. 6.

non eſſet, quam hauſerat ab Amore, pręceptore vtique, & mente ſimul, & oculis capto? Vſque adeò contumaces in tuendis erroribus, & noſtri nimium amantes ſumus, vt admiſſorum etiam ſcelerum culpam, aliquando transferamus in Deum; & hebeſcentes iam in terrarum orbis ſenectute ſolis radios conqueramur, dum offuſam oculis caligine fateri non libet. Quantò ſapientiùs ſanctiſſimus Ethnicorum doctor Apoſtolus, diſſimilem infęlicitati ſuæ cauſam prætendit in re conſimili? *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

D. Paul epiſt. ad Rom. cap. 7.

Illud igitur in argumento tam ſerio ſtatuen[illegible] Animam hominis ſim-[illegible]am, ab [illegible]tione longiſſimè poſitam eſſe: à duplici tamen appetitu non abhorrere, quorum alter à ratione, à ſenſibus alter nomen accepit, & recepto à Philoſophantibus vocabulo Appetitus rationalis, & ſenſitiuus appellantur. ille diuinam, hic expertem rationis, & ſenſuum ludibrijs obnoxiam partem occupauit; quam quoniam communem nobis cum mutis animantibus natura conceſſit, hominem animalem Apoſtolus nominauit, *Animalis homo non percipit, quæ ſunt Spiritus.* Quod ego

Vide Tertul. [illegible] & [illegible] Ariſt. 3 de Anim. cap 10 text. 17. Magn. moral. lib. 1. cap. 17 Epiſt. 1 ad Corinth. cap. 2.

ego de duplici appetitu vobis aperui, à nulla philoſophantium natione reijcitur: licet enim vnaquæque ad tam exploratæ explicationem doctrinæ diuerſa graſſetur via, vt à nobis poſt paululùm oſtendetur, omnes tamen ſiue ex licæo, ſiue ex academia, ſiue ex porticu, conſentientibus fatentur animis, ex vtroque appetitu humanam animam quodammodò fuiſſe conflatam, inter ſe non tam appellatione diuerſis, quàm munere, ac loco contrarijs.

Vide Plutar. de plac. Philoſ lib. 4 cap. 4.

Centauros olim ingenioſa excogitauit antiquitas; quorum caput, ac pectus ad humani formam corporis machinata eſt, reliquas in equum partes, inaudita rerum permiſtione transfudit. Quid hac ſuper re quæſitum à doctis viris iā pridem ſit, non eſt huius lo[illegible]rare, ſiue enim inter ἀδύνατα monſtra illud fuerit referendum, ſiue intra naturæ vires collocetur, ad rem quà de agimus nihil. Optimum tamen hominis, ex partibus inter ſe diſcrepantibus coaleſcentis, ſimulacrum erit. Ratio ſiquidem in humani capitis arce, tanquam in nobili Capitolio (vt Timæi enarrator Calcidius memoriæ prodidit) imperiū tuetur ſuum; ſentientis animæ ſatellitium, quod belluis à natura communicatum diximus, reliquis monſtri partibus

De Centauris vniuerſim Vide de Magium cap. 20.

Vide Clem. Alexā. ſtromat lib. 4.

continetur. Neque alio Platonici currus equos arbitror transferendos: ſapientiſſimus etenim philoſophorum Poeta currum animæ fabricauit in Phœdro: Aurigam illi mentem impoſuit, itineris moderatricem, & viarum peritam; ex iugalibus autem equis, qui naturæ bonitate præcelleret, rationis appetitum; intractatus, & contumax ſenſuum motionibus agitatam animæ partem referebat. At nullum eſt, vt ego quidem, opinor, ſiue in fabullis poetarũ, ſiue in annalibus hiſtoricorum, ſiue demùm in philoſophantium meditamentis, ad duplicem hanc animæ poteſtatem explicandam argumentum accommodatius, quàm quod ex diuina Moyſis nar[illegible] de[illegible]mitur. Rebecca Iſacci vxor, [illegible] religioſi coniugis votis tandem aliquando concepit; atque vt tarditatem numero compenſaret, geminum in vtero fœtum ſenſit; nec pacatum ſatis, & per matris cruciamenta matureſcentem. Fœcunditatem odiſſe iam cœperat, planè calamitoſam; cum nulla extarent adhuc futuræ ſobolis ſigna, præter ea, quæ preſentiſſimi tormenta doloris exprimerent. Deum idcircò conſuluit, vt qui ſterilitatis decus ademiſſet, tam fertilem mœroris ſegetem vellet ademptam. Illi ergo hoc oraculum diui-

Vide interpretat. Philonis lib. de Agricultura.

uinitus fuſum eſt, *duæ gentes ſunt in vtero tuo,& duo populi ex ventre diuidentur, populuſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Noui ſanctorum Virorũ hac ſuper re commentationes, ac placita; legi, quæ ad hiſtoriæ fidem ab Auguſtino, quæ allegoricè ab eodem, ab Origene, à Ruperto traduntur. Verùm cur aliud nobis veritati conſentaneum, & hiſtoriæ nulla ex parte contrarium, comminiſci non liceat? Rebecca anima eſt, duplici fœtu grauis, vtroque videlicet, appetitu: qui quoniam humanæ naturæ vitio rarò admodum, ad vitam cum virtute traducendam conſentiunt, rixari inter ſe, ac prope in matris vtero digladiari dicuntur. Hinc crebræ illæ de ſenſuum ſeditione, atque impetu querimoniæ; quæ ideò iuſtiores putandæ ſunt, quòd non rarò iſtiuſmodi concertationum finis cum rationis cladè copulatur, & maior minori ſeruire cogitur; quia ſenſus excuſſo rationis imperio, per vim quodammodò dominatur. Durius equus Troiano imperio fatalis, & Poetarum luſibus inclytus (ſi cogitatis interpretum, otio ſimul, atque ingenio infeliciter abutentium, fides adhibenda) viſcera ſortitus eſt, non minus miraculis referta, quam militibus frequentia; vt Alcibiadis Sileni, non myſterijs conſecrati, ſed

Augu. lib. 16. de ciuit. cap. 25. & ſer. 78. de temp. Rupert lib. 7. cap. 4. Origen. homil. 12. in Geneſ. Vide Gloſſ.

De hoc Homer. lib. 4. odyſſ. Virg. lib. 2. Æneid.

quiſquilijs farcti, illius comparatione dicendi ſint. Ad libram cuncta non reuoco. Neſcio quis ſanè apud Clementem Alexandrinum, in multiplici diuerſorum militum permiſtione, atque vt ita dicã, in vnius vteri populo, illam ipſam deſignari, in vna hominum anima, diſcretam poteſtatum coniunctionem arbitrabatur, de qua hactenùs diſputaui. Eſt igitur, vt inueniatur aliquis in diſſerendo modus, Anima humana natura ſimplex, poteſtate duplex, appetitu videlicèt gemino, rationis, & ſenſus. De Rationis appetitu inquirendum nobis hoc loco nõ eſt. Sentiẽtis animæ facultatẽ in duas iterùm diſtribuimus, alteram qua iraſcimur, qua concupiſcimus alteram. Tria ergo veluti membra in ſingulis animis conſtituenda ſunt, quæ proprijs philoſophantium vocibus appellabimus (vt nominum nouitas apud rudiores, ad ea rectè percipienda, quæ in poſterum ſumus allaturi, impedimento non ſit) Rationalem, Concupiſcibilem, atque Iraſcibilem. Atque hoc eſt multiforme illud naturæ, an potiùs ingenij portentũ, quòd pro templorum veſtibulis Ægyptij adhibere ſoliti ſunt, Sphingem intelligo; cuius egregia forma Virginem vultu mentiens, in auem paulatim, inde poſtrema corporis parte in leonem degene-

Vide D. Thom. 1. 1. q. 82. a. 5. & alibi & Ariſt. lib. 2. de Anim. text. 27.

nerare videbatur: vt triplici hoc diſſentientium partium ſimulacro, triplicem animæ facultatem nobis ob oculos poneret. qua de re luculentis ſanè carminibus, ſi numerum ſpectes, vtinam alioqui non lutulentis, Claudianus in quarto Honorij Conſulatu, egiſſe viſus eſt! *De Sphinge multa nos in Cebetis Thebani Tabulam.*

——— cum conderet artus.
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus
Sinceram patri mentem furatus olympo
Cõtinuit clauſtris, indignantèmq; reuinxit.
Et quũ non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas. Illæ cũ corpore lapſæ
Intereunt, hæc ſola manet, buſtòq; ſuperſtes
Euolat: hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricẽ operũ, proſpecturàmq; labori.
Illas inferius collo, præceptàque ſummæ
Paſſuras dominæ, digna ſtatione locauit.
Quippe opifex veritus confundere ſacra prophanis,
Diſtribuit partes animæ, ſedèſq; remouit.
Iram, ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit, imbutã flãmis, auidãq; nocendi,
Præcipitèmq; ſui rabie ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur tepefacta metu: quũq; omnia ſecum
Duceret, & requiẽ mẽbris veſana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumq; fluenti
Prębuit, vt tumidæ ruerent in mollia fibrę.
At ſibi cuncta petens nil collatura cupido

In iecur, & tractus imos compulſa receſſit,
Quā velut immanes reſerat dum bellua
rictus,
Expleri paſcique nequit, nunc verbere
curas
Torquet auaritiæ, ſtimulis nunc flagrat
amorum,
Non gaudet, nunc mœſta dolet, ſatiataq;
rurſus
Exoritur, cæsàq; redit pollentius Hydra.

Alcinous de doctr. Platon. cap. 28. Plutar. l. 4 de placit. Philoſoph. cap. Tertul. lib. de anim. cap. 16. Ariſt. lib. de motu anim. cap. 7. Alber. l. 2. de anim. tract. 1. cap. 7.

Tripartita verò hæc animæ diuiſio, non ita Platoni, atque Academicis arriſit, quin eam Ariſtoteles quoque ac Stoici ſuis, vt ita dicam, calculis confirmarint; quod tum à Plutarcho, tum copioſius à Tertulliano didicimus. Licèt enim Ariſtoteles partes huiuſmodi ab intellectu tantùm excogitatas affirmet, & animæ ſubſtantiam integrã ſolo corde circumſcribat, vt cœlo Deum, facultates tamen illas agnoſcit, ex quibus veluti propagines, animorũ ægritudines, ſeu perturbationes enaſcuntur. Hinc aptè Clemens Alexandrinus ratiocinantem internum hominem vocat, Deo ſubditum, externo homini imperantem; Iraſcentem verò feram, ac immanem, non longè à furore autumat domicilium collocaſſe; Concupiſcentem deniq; cum Protheo comparat, variam, ac verſipellem. Atque ex hoc concupiſcendi, ac

iraſcendi veluti fonte, vniuerſa perturbationum colluuies in animos deriuatur: hæ autem vbi ſemel effractis rationis repagulis in prçceps ferri cœperunt, qui fluctus, quæ tempeſtates in animis excandeſcunt; quæ virtutum naufragia, aduerſis perturbationum motibus pereuntium lamentamur? impios quaſi mare feruere ſemper, atque intumeſcere ab oraculo diuinitatis accepimus; & Regis cor ſicut diuiſiones aquarum à mortaliū ſapientiſſimo exiſtimatum legimus in Prouerbijs. Vtrumque diuinè. Qui autem ventorum impetus mare illud emoliuntur, atque conuellunt, quæ vis tam inuſitata, quàm efficax aquas diuidit refluentes, niſi hic ipſe ægritudinum turbo in animos vel molliores, vel incautos incumbens!

Vide Philō. lib de agricul. *Iſai. cap. 57.* *Prouerb. 21.*

Æoliam ventorum patriam, à priſcis ſapientibus conditam legimus, ab Æolo illorum principe ſic appellatam; qui ſaxis, vt Virgilius ait, immanibus moderator impoſitus

Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio coercet ſuo: niſi tamen Deiopeiæ coniugio, atque Iunonis illecebris delinitus, velut ſonitu, ac terrore armatas acies emittit. Æolum ratio refert, perturbationibus imperans, earumque furias legitimo iure compeſcens,

Virg. 1. Aenei. *Strabo. lib. 6. Geogr.* *Dionyſ. in deſcript. orbis.* *Diod. lib. 5. cap. 3. Biblith.*

ſcens: quæ vbi ſemel voluptatum capta lenocinio à ſe ipſa deſciuit, atque in alienum conceſſit arbitrium, fluctus illi ſtatim in animis attolluntur; qui tùm demùm deſæuient, cum blandioribus adſpirantibus, aut potiùs aurigantibus auris Neptunus emergens; hoc eſt cum intelligentia diuino perfuſa lumine, afflata numine, Æolum de iure violato conueniet; ideſt Rationem vitijs mancipatam ad meliora conuertet. Vulgare eſt inter eos, qui Caldaicæ diſciplinæ ænigmata voluntates, Magorum doctrinam admirari conſueuerunt, Oraculum illud Zoroaſtris, à Pſello primum, mox à viro inter recentiores eruditos benè literato, de Dæmonibus prudenter expoſitũ; cuius in rem meam interpretationem, ſine dubio nouã (quando hoc etiam licere mihi pro veſtra humanitate voluiſtis) accipite. *Tuum vas feræ terreſtres habitabunt*, inquit Zoroaſtres. Vas anima eſt, quæ tum dicitur à belluis habitari, cùm perturbationibus agitatur. Nam quòd terreſtres à Zoroaſtre nominantur, illud potiſſimum reſpicit, quod ex Platonis ſententia paulò ante docuimus; ægritudines nimirum, earumque fontes, in animam ex contagione corporis, quod terra demùm eſt, redundare: cur verò belluarum nomine

Vide oracula magica ſiue Caldaica.

af-

affectiones intelligantur, præſertim ferocientes, nemo iam neſcit, qui philoſophantium, aut ſanctorum Patrum, atque adeò diuini codicis monumenta non oſcitanter euoluerit; vel immanem ſaltem affectuũ tyrannidem cogitauerit, qua natura hominum violenter abrepta quàm feroces illi ludos ludant, infeliciter experitur. Immo quoniã allegoricè hactenùs diſſeruimus, & ad finem iam declinat oratio, illud etiam animaduertite. Philo Iudæorum Plato, compactile Noemi domiciliũ animo contemplatus, quo ſemen piæ gentis, & caſtas humani generis reliquias vltimas, communi orbis terrarum naufragio ſubduxit, ac propagationi reſeruauit Deus; vbi omni beſtiarum illuuione illud oppleri vidit, ſtatim in mortalium conditionem planè calamitoſam cogitationem conuertens, violentos affectionum motus, immanes quaſdam, & indomitas feras, poſt naturæ labem admiſſas in homines conqueſtus eſt. Qua in re prætereundum non eſt; quòd ex immundis animantibus mares duæ, fœminæ item duæ in ſpem generis à Noemo exceptæ ſunt. Cum enim Philo Patonis æmulator, Animæ currui, quem ſub initium nominauimus, equos adiunxit, illud bigæ Socraticæ de ſuo addidit, vt Animoſam, atque ira-

Vide Philon. de agricul.

Lib. de plãtat. Noemi pag. 172.

Lib. de agricult.

iraſcentem facultatem marem appellauerit equũ, fœminam Concupiſcentem. Cùm quatuor ergo ſint ſumma perturbationum capita, vt ſuo loco dicturi ſumus, belluas duas ad iraſcentẽ mares, ad concupiſcentem fœminas, ex Philonis ſententia referimus, vt prolis ſpecio paternæ pulchritudini ex æquo respondeat. At ſentio nimis abiectè me, atque humiliter de hominum animo hactenùs fuiſſe locutum; cum in illum veluti in Augiæ ſtabulum, Herculeo ſanè labore expurgandum, beſtias immanes, rabidaſque conieci. cuius quidem imprudentiæ veniam à delicatioribus, qui has ſibi ſordes appingi moleſtè ferunt ſedulò poſtularem; niſi cogitationes meas aliò auocaret Dauidis Regis ſanctiſſimi, ac vatis, non tam imprecatio, quàm conſilium; quo nos de monſtrorum fœditate, quæ alimus, grauiter admonet, & ad ea penitus inſpicienda cohortatur. *Deſcendant*, ait, *in infernum viuentes*. Scio

Pſ. 54.

Regem ſapientiſſimum Datani, & Abironis caſum, qui ſubito terra dehiſcente abſorpti ſunt, vt viuentes, videnteſque perierint, reſpexiſſe: quia tamen doctiſſimus Mediolanenſium Antiſtes Ambroſius, infernum pro ſepulchro accipiens, ad neceſſariam viuentibus commentationem mortis, regij vatis oraculum

Ita Auguſt Hierõ. Liran. &c. in hunc locum.

lum refert; non erit cur me aliquis reprehendat, ſi eadem illa verba ad cognitionem ſui, ac præſertim ad perturbationes animi pernoſcendas tranſtulero. *Deſcendant* ergo *in infernum viuentes*, hoc eſt ſe ipſos intueantur, ac videant, in affectionibus perturbatis quid monſtri alant; tunc enim vero quam propè ab inferorum furijs diſtent, exploratò cognoſcent. quo loquendi genere vſum etiam Perſium initio diximus,

Vt nemo in ſe ſe tentat deſcendere. *Perſ. ſat. 4.*

Antiquiſſimi ſiquidem philoſophorum (Macrobij verba ſunt Scipionis ſomniũ interpretantis) *aliud inferos eſſe negauerunt, quàm ipſa corpora, quibus incluſæ animæ carcerem fœdũ tenebris, horridum ſordibus, & cruore patiuntur; hoc animæ ſepulchrum, hoc Ditis concaua, hoc inferos vocauerunt:* paulò poſt, ad ipſam iam perturbationum enumerationem, qua de loquimur, accedens ait, *Pari interpretatione Phlegetontem ardores irarum, & cupiditatum putarunt. Acherontem quidquid feciſſe, dixiſſeuè vſque ad triſtitiam, humanæ varietatis more, nos pœnitet: Cocytum quidquid homines in luctum, lacrimaſque compellit; Stygem quidquid inter ſe humanos animos in gurgite mergit odiorum. Deſcendant* ergo *in infernum viuentes*; intelligant à pertur-

Macrob. l. 1. in ſomn. Scip. c. 10.

ba-

bationum immanitate, humanas animas diuinitatis capaces, in furiarũ receptaculum eſſe conuerſas; & quoniam vnuſquiſque noſtrum cum Iobo affirmare
Iob. cap. 17 confidenter poteſt, *Infernus domus mea eſt*, corpus videlicet meum, quod tanquam peregrinanti animæ diuerſorium natura formauit, perturbationum ſæuitia in inferorũ carcerem commutatum eſt, alienas domos curioſè perueſtigare nolimus, ſed eiuſdem Perſij monitis obtemperantes, ſibi dictum vnuſquiſque ſaluberrimè putet.

Tecum habita, vt noris, quam ſit tibi
curta ſupellex.

Hoc eſt Delphicum illud fronti velit inſcriptum, *Noſſe te ipſum*, quod primum fuit meæ diſſertationis exordium; atque hic finis eſto. Quæremus in poſterum, quid ſit, quæ ſit, quotuplex ſit animi perturbatio.

De humani animi perturbationibus.

DISSERTATIO SECONDA.

INfelix ille Niſus, cuius calamitatem virtus nobilitauit, virtutem calamitas non infregit, Troiano excidio ſuperſtes, ideo cum Æneа viſus eſt in Italiam nauigaſſe, non vt magnitudinem ani-

animi, ex patriæ ruinis inauſpicato naſcentem, in Auſonios agros veluti in ſolum fortunatius, aliquando transferret; ſed vt ab ea tum potiſſimum ad interitum raperetur, cùm illius deſiderio maximè properaret ad gloriã. Iacturam in fortiſſimo iuuene etiam hoſtibus deplorandam. Is ergo, neſcius à morte ſe propius abeſſe, quàm à victoria; in ea concione, quam ad Euri:lum, amore ſibi, ac virtute coniunctum, poſtremam habuit, tanquam in exuenda mortalitate vaticinans, hæc ait,

— *Dij ne hunc ardorē mentibus addunt Euriale, an ſua cuiq; Deus fit dira cupido?* *Virgil. Aenei. 9.*

diuinaſti, iuuenum miſerrime, diuinaſti. Immanis illa tua Rutulos vlciſcendi libido, qua ad Æneam in tempore reuocandum, per ipſa obſidentium hoſtium caſtra ferebaris, cupido ſanè fuit, ſed dira cupido; & quam (licet Deũ fingas in animo) carnificem tibi & amiciſſimo capiti expertus es. hæc florem Troianorum adoleſcentum Eurialum, vixdum primum vitæ ſimul, & gloriæ ſtadium ingreſſum, peracerbo funere reprehendit; huic heu quantum mœroris, ac lacrimarum debet in perpetuo filij cariſſimi deſiderio, vidua iamdudum, nunc etiam orba conſeneſcens Mater! Furor Niſe fuit cupido tua, non Deus. Illud

ta-

tamen nobis ſuo opinionis errore Niſus intelligendum reliquit, cæca mortalium iudicia, ſuis quodammodo furoribus blandientia, ipſis etiam animi perturbationibus nomen diuinitatis imponere. Cuius appellationis cauſas, ſi à Platonicorum placitis liberet arceſſere, non modò Plato ipſe in Timæo, atque in Republica, ſed Iamblichus, atque Porphirius, & quod incredibile alicui videatur, Apuleius ex Aſino repente Philoſophus, præſtò eſſent, qui animos noſtros in Dæmonum ordinem cooptarunt. Verùm inauditam affectionum apotheoſim aliò ſtatuo, niſi vos aliter ſentitis, viri clariſſimi, quàm ad Academicorum myſteria referendam. Elegantiſſimus Sicyonij Ariſronis Pęan, in poſtrema diſſertatione à Tyrio Maximo allatus eſt, in quo votum huiuſmodi, ipſo ſtatim initio à Poeta proponitur.

S. Aug. lib. 9. de ciui. Dei ca. 11. & ibi Viues. Iã. de myſter. vide Cælium Rhodig. l. 2. ca 9.

Max. Tyr. diſſert. 41.

Diuarum Dea ſanitas,
Tecum ſit mihi viuere
Vitæ quòd ſupereſt meæ.

Quęrit amęniſſimo vir ingenio, ecquę tandem ſanitas illa ſit, cuius tantopere vates ſibi expetit contubernium, quamque vt Dearum auguſtiſſimam votiuo carmine veneratur & colit. Multa ille in rem ſuam ingenioſè; ego ad argumentum, quo de agimus, accommodatè ſic

dif-

diſſero. Cùm ad hominis conſtitutionem duo, corpus nimirum, atque anima, admirabili coniunctione conſentiant, in quorum nexu, naturæ, ſiue Dei potius manu compacta, vitæ totius ratio poſita eſt; quemadmodum corporis omnis coagmentatio, vt ait Tullius, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & frangitur; ita præclara animi compoſitio, perturbationum quodam quaſi æſtu agitatur, abſorbetur, abripitur; tunc enimuero vtrobique morbus occupatas à ſe partes vehementer exercet. Hinc funeſta apud Medicos nomina febrium, dolorum, vulnerum in corpore, quibus ex æquo ægritudines in animo, cupiditates, angoreſque reſpondent. Delicati ergo fictores nominum, vt in nudis etiam rerum notionibus ſibariticè delicias facerent, Pallorem, Orbonam, Febrim in faſtos retulerunt; numina videlicèt ſubitaria diuinitate donata. Et ne animus prætermiſſos ab ijs, tanquam minorum gentium Deos, morbos ſuos conqueri poſſet, Timorem Lacedæmonij, Angeronam, & Volupiam, de quibus poſt paululum diſſeremus, alij coluere. Vſque adeò verum eſt, quod à Niſo propemodum moriente dictum fuit, ſua cuique Deus fit dira cupido. Diuarum igitur Dea ſanitas, quàm

Vide S. Aug. li 2. de ciuit. Dei ca. 14. & lib. 4. cap. 15. & alibi.

Cic. l. 2 de Legib. Plutarc. in Agide & Cleo

Pæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pæanis initio Sicyonius Poeta laudauit, vtrique morbo adhibet medicinam.

Verùm dum aliud ago, in primum diſſertationis meæ caput incidiſſe, ab eoque penè incogitanter euaſiſſe me ſentio. Dum enim perturbationes animorum morbos animæ nominaui; nullus penè auditoribus locus relictus eſt anquirendi, quid ſint; ne tamen in re grauiſſima delibare potiùs leuiter momenta rerum, quàm accuratè perpendere videamur, diligentiùs aliquanto verſandũ à nobis argumentum tam neceſſarium exiſtimo. Et primò quidem Stoicorum opinionem ab omnibus reijciendam eſſe facilè intelligemus; ſi ea, quæ de perturbationum, gemino quaſi fonte, in ſuperiori noſtra diſſertatione commemorata ſunt, libuerit in memoriam reuocare. Aiunt Stoici perturbationes animi opiniones eſſe, atque iudicia. Hinc ergo ad intelligentis, non ad ſentientis animæ partes eaſdem pertinere velint, nolint, apertè conficiunt. Qua in re vtinam conſtantiam illam, quam in ſapiente adamantinam poſuerunt, in eorum principe Chryſippo Galenus meritò non requireret: is enim cùm opiniones, atque iudicia in parte rationis compote collocaret, voluptatem, atque dolorem in ſentiente; affectiones nihilominus opinio-

Vide Picolom. Philoſoph. ciuil. gradu. 1. cap. 7.

4. De placitis Hippocr. & Platonis.

niones eſſe, atque iudicia contendebat.
His ita conſtitutis, aio, Affectiones, ſeu perturbationes animorum eſſe animæ ſentientis,ex boni,vel mali opinione natas commotiones, quæ quoniam corpus ipſum ſic attingunt, atque commutant, vt aliquid patiatur, paſſiones vulgo, ab ipſis etiam Philoſophantibus appellantur. Summa earum veluti capita duo conſtituunt ſapientiſſimi viri Plato, atque Ariſtoteles, dolorem, ac voluptatē, ex quibus primò quatuor enaſcuntur, reliquæ deinceps omnes, certo inter ſe ordine copulatæ dimanant. Et ſanè ſi quis voluptatis, atque doloris pugnantem ſemper, diſtractamque naturam diligenter animaduertat, mirabitur qui fieri vmquam potuerit, vt ab vna, eademque hominis anima fœtus extiterint genere diſcrepantes, inſtituto contrarij, in parentis tantum cruciatibus conſentientes,atque conflati. Vidit hoc in Platonis Phœdone Socrates, cui cùm nulla ſatis idonea ad ſoluendam dubitationem ratio ſuppeteret,quaſi in nodum vindice digniſſimum incidiſſet,tanquam numen è machina, Æſopum aduocat fabulatorem,eiuſque nomine apologo cōcinnato,Deum ait, cùm dolorem ac voluptatem ſemper inter ſe pugnantes cōciliare vellet, nec poſſet tamen, ita in-

Vide Alcinoum de doctr. Plat. cap. 31 Porphir. lib. 1. de abſtinent. 5. Ambr. l. 1. de Iacob. cap. 2. D. Tho. q. 26. de verit. articl. 5.

vnum vtriuſque apices coniunxiſſe, vt alter ab altera diſtrahi nequeat, atque diuelli; diſſidium tamen quotidie in animis recrudeſcit, atque hoſtis hoſtem perpetua rerum viciſſitudine protrudit: qua humani generis calamitate quid fingi, aut excogitari funeſtiùs poteſt: cùm vnus, atque idem animus, & area ſit bellantibus, & præmium belli, victori præda, ſepulchrum victo? Ædem Concordiæ à M. Furio Camillo in Capitolio excitatam, ad deliberandum cum Senatu Magiſtratus delegere: rati videlicèt ipſa loci religione conſilia omnium ad Reipublicæ incolumitatem conſpiratura, quæ cœteroquin diſſentientia, certam perniciem florentiſſimo Imperio allatura videbantur. At quid nobis, rebuſque noſtris fiet, Auditores, quibus vt Plato exiſtimat in libro de Legibus primo, duo in anima à conſilijs Senatores aſſident, voluptas, & dolor; non diſcordes tantum inter ſeſe, continenterque bellantes, ſed aduerſarij rationis, furentes, atque præcipites: illos autem pedarij conſequuntur timor, & confidentia. Vtinam inteſtinis horum diſcordijs eò iam non deueniſſent plerique mortalium, vt conqueri iuſtè, atque exclamare non poſſent,

Plutar. meminit dedicat. in Camillo in fine. vide Roſin. antiq. Rom. lib. 2. cap. 18.

Cantic. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Vo-

Volupiam, & Angeronam (numina quondam voluptatibus, atq; angoribus ſtultè propoſita) non ædem modò, ſed communes etiam aras habuiſſe memoriæ proditum legimus. ego verò infęlicem prorſus, & penè deridendam coniunctionem exiſtimaſſem, niſi naturam hominum contemplatus, voluptatem cum dolore copulatam, templum ſibi, atq; aram in animis poſuiſſe, non tam doctorum virorum lucubrationibus, quàm experimento didiciſſem. Quod cùm non ſemel animaduertiſsē, ad Ægyptum mentem, cogitationemq; conuertere, rei nouitate, propemodum coactus ſum. Terram illam monſtrorum diuinitate nobilem, ac regum molibus inclytam, apud Homerum legeram aliquando, herbis non minus noxijs, quàm ſalutaribus abundantem; ſoli enim illius ingenio indiſcreta fęcunditas eſt; hoc ad animum vtcumq; transferens, hanc ipsā, qua de loquimur, voluptatis, doloriſq; permiſtionem conſiderabā: ſed rem hactenus non attingo. Omni pluuiarum præſidio deſtitutus regionis tractus, fęlix quodammodò in infęlicitate ſua eſt; quod illi nunquam cælū obducitur, nunquam ſidera clauduntur, ſed perpetua ſerenitate collucent, & cernuntur, & cernunt. Duplex illi aquarum genus ad ia-

ćturam ſarciendam, natura ſuppeditauit: alterum quod effoſſis altè puteis, è terrę viſceribus emanat, atq; colligitur; alterum quod ſuperfuſus aruis Nilus (quem verè Ægypti colonum dixeris) ad alendas ſegetes, ſitimq; camporum reſtinguendam, propinat. Verùm amaræ è puteis vndæ, dulces è flumine in Ægyptiorum cõmoda deriuantur, vt Plutarchus eſt auctor. Ægyptus animus eſt virtutũ, & vitiorum ſuaptè natura vberrimè fertilis; vndis alluitur reciprocãtibus; quoties enim ſuperfundente ſe voluptate ſuauiſſimè irrigatur; paulò autem poſt, doloris liquoribus ita perfunditur, vt amarus ille humor corpus ipſum aliquãdo peruadens, erumpat in lacrimas? hinc amaræ potiſſimum lacrimæ ſunt; quod ſanctiſſimus multarum victoriarum pugil expertus erat, cùm dixit: *Non peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus:* atque hoc eſt Hypanis fluuij prodigiũ, ab Herodoto primum, mox etiam ab Athenæo poſteritati tranſmiſſum, qui aliquot dierum via dulciſſimus labitur, mox vndas amaritudine toto quatriduo inficit, atq; corrumpit; vſq; adeo non tragicè magis, quàm verè dictum à Seneca eſt,

—— dolor & voluptas
Inuicem cedunt.

&

& ſapienter à M. Tullio, *voluptatibus maximis finitimum faſtidium eſt;* nimirũ neceſſitatis æternæ lex eſt, vt Caſtores hi, alterno ſemper motu in animis oriãtur & occidant. Vita etenim, quæ à neceſſitate apud Græcum Poetam mortalibus propinatur, ex gemino voluptatis, doloriſque cratere delabitur. Extra cogniti orbis ambitum, inter Græcos hiſtoricos non incelebris Theopompus, regionem, & ampliſſimam multitudine populorum, & morum varietate admirabilem, accuratè deſcribit, in extrema autem regione ingens hiatus aperitur, nec maturo ſatis illuſtris lumine, nec tenebris tamen omnino cœcus, aut horridus, quam flumina vſquequaq; circumluunt, doloris ac voluptatis; ita enim ab incolis nominantur. Vnicuiq; flumini arbores adnaſcuntur, proceritate maioribus platanis æquales, flumini vero ſuo virtute perſimiles; doloris ſiquidem arbores, fructus edunt, quos qui attingunt perpetuo lacrimarũ imbre perfuſi, tandem moriuntur; at poma voluptatis, ſenectutem, curaſq; depellunt, annos iam exactos reuocant in adoleſcentiam, atq; ordine ſemper conuerſo, ad infantiam vltimam repellunt: vt tum demum viuere homines deſinant, cùm ſe vixiſſe non ſentiunt. Vtrumq; mortalitatis noſtræ

Vide Cauſin. l. 1 parabol. hiſt. n. 48 in Apoſdoſi.

Cel. ex Aeliano l. 17 c. 35. antiq. lect.

documentum eſt. in ſubluſtri hoc humanæ vitæ crepuſculo inter alternos voluptatis, doloriſq; fluctus, aut nauigamus, aut naufragium facimus. Fructus autem quibus veſcimur, & quos nobis vtraque perturbationũ arbor emittit, nos ærumnis frangunt, delicijs eneruant; vt in adeptione virtutis, non raro ad primam infantiæ debilitatem, & curas ſine curis, voluptatis, quaſi Medeæ veneficio recocti redeamus, & vita nobis non ſentientibus elabatur.

Eſt igitur duplex perturbationũ origo, ex boni, aut mali exiſtimatione, quã voluptatem dicimus; ac dolorem. Quia tamen, vt docet, Alcinous, boni præſentia delectamur, abſentia concupiſcimus; præſente item malo dolemus, imminente metuimus, hinc iam animi quadriga duobus additis equis abſoluitur, & quatuor tandem affectionum capita conſtituuntur. Placuit vehementer etiam Stoicis hæc diſtributio, vt Marcus Tullius teſtatur in Tuſculanis: eandem vſurpauit, ex poeta in Æneidos ſexto philoſophus, Virgilius

D. Th. p. 2. q. 23 à 4 in corpore: & Philo lib. de Decal.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq;

adhibuit Horatius in epiſtolis,

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatque quid ad rem?

expreſſit non vno in loco Plutarchus: & com-

& communi, vt ſemel dicam, doctorum hominum conſenſione, vſuq; recepta eſt.

Non ſum neſcius alias ab alijs perturbationum diuiſiones afferri, ſiue ex duplici ſentientis animæ facultate; ſiue ex rerum, de quibus agunt, diuerſitate deſumptas; multas enumerari à multis intelligo, quarum nulla adhuc in diſſertatione mea mentio facta eſt; noui à Platone in Teeteto pene infinitas dici, nominèq; carentes; vndecim Ariſtoteles in libro de moribus; totidem, ſed non eaſdem D. Thomas; Galenus octo; quinq; Nemeſius: viginti demum Cardanus ſatis operosè recenſent. Verum cùm eas Philo pecudibus comparauerit, an ego non ſtultè facerem, ſi prolixius de earum numero laborarem [illegible] am eleganter à P[illegible] cogitationem vocat, non [illegible]

Pauperis [illegible]

Illud ergo iterum ſtatuo: quatuor eſſe præcipua perturbationum capita, ad quæ reliquæ omnes, certo ordine referuntur, vt à nobis opportunè dicetur. Humanam animam, *Æoliæ* nomine ſuperiori diſſertatione à nobis deſignatam fuiſſe recordamur; ex qua erumpentes perturbationum venti, omnia ſuſq; deq; miſcerent; non ineptè, vt opinor, & fortaſſe ſatis accommodatè. Quid vero ſi eandem animam, mare, & quidem ma-

Philo lib. de ſacrif.

tamen nobis ſuo opinionis errore Niſus intelligendum reliquit, cæca mortalium iudicia, ſuis quodammodo furoribus blandientia, ipſis etiam animi perturbationibus nomen diuinitatis imponere. Cuius appellationis cauſas, ſi à Platonicorum placitis liberet arceſſere, non modò Plato ipſe in Timæo, atque in Republica, ſed Iamblichus, atque Porphirius, & quod incredibile alicui videatur, Apuleius ex Aſino repente Philoſophus, præſtò eſſent, qui animos noſtros in Dæmonum ordinem cooptarunt. Verùm inauditam affectionum apotheoſim aliò ſtatuo, niſi vos aliter ſentitis, viri clariſſimi, quàm ad Academicorum myſteria referendam.

S. Aug. lib. 9. de ciui. Dei ca. 11. & ibi Viues. Iã. de myſter. vide Cælium Rhodig. l. 2. ca 9.

Elegantiſſimus Sicyonij Ariſronis Pęan, in poſtrema diſſertatione à Tyrio Maximo allatus eſt, in quo votum huiuſmodi, ipſo ſtatim initio à Poeta proponitur.

Max. Tyr. diſſert. 41.

Diuarum Dea ſanitas,
Tecum ſit mihi viuere
Vitæ quòd ſupereſt meæ.

Quęrit amęniſſimo vir ingenio, ecquę tandem ſanitas illa ſit, cuius tantopere vates ſibi expetit contubernium, quamque vt Dearum auguſtiſſimam votiuo carmine veneratur & colit. Multa ille in rem ſuam ingenioſè; ego ad argumentum, quo de agimus, accommodatè ſic

diſſero. Cùm ad hominis conſtitutionem duo, corpus nimirum, atque anima, admirabili coniunctione conſentiant, in quorum nexu, naturæ, ſiue Dei potius manu compacta, vitæ totius ratio poſita eſt; quemadmodum corporis omnis coagmentatio, vt ait Tullius, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & frangitur; ita præclara animi compoſitio, perturbationum quodam quaſi æſtu agitatur, abſorbetur, abripitur; tunc enimuero vtrobique morbus occupatas à ſe partes vehementer exercet. Hinc funeſta apud Medicos nomina febrium, dolorum, vulnerum in corpore, quibus ex æquo ægritudines in animo, cupiditates, angoreſque reſpondent. Delicati ergo fictores nominum, vt in nudis etiam rerum notionibus ſibariticè delicias facerent, Pallorem, Orbonam, Febrim in faſtos retulerunt; numina videlicèt ſubitaria diuinitate donata. Et ne animus prætermiſſos ab ijs, tanquam minorum gentium Deos, morbos ſuos conqueri poſſet, Timorem Lacedæmonij, Angeronam, & Volupiam, de quibus poſt paululum diſſeremus, alij coluere. Vſque adeò verum eſt, quod à Niſo propemodum moriente dictum fuit, ſua cuique Deus fit dira cupido. Diuarum igitur Dea ſanitas, quàm

Vide S. Aug. li 2. de ciuit. Dei ca. 14. & lib. 4. cap. 15. & alibi.

Cic. l. 2 de Legib. Plutarc. in Agide & Cleo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pæ-

Pæanis initio Sicyonius Poeta laudauit, vtrique morbo adhibet medicinam.

Verùm dum aliud ago, in primum diſſertationis meæ caput incidiſſe, ab eoque penè incogitanter euaſiſſe me ſentio. Dum enim perturbationes animorum morbos animæ nominaui; nullus penè auditoribus locus relictus eſt anquirendi, quid ſint; ne tamen in re grauiſſima delibare potiùs leuiter momenta rerum, quàm accuratè perpendere videamur, diligentiùs aliquanto verſandū à nobis argumentum tam neceſſarium exiſtimo. Et primò quidem Stoicorum opinionem ab omnibus reijciendam eſſe facilè intelligemus; ſi ea, quæ de perturbationum, gemino quaſi fonte, in ſuperiori noſtra diſſertatione commemorata ſunt, libuerit in memoriam reuocare. Aiunt Stoici perturbationes animi opiniones eſſe, atque iudicia. Hinc ergo ad intelligentis, non ad ſentientis animæ partes eaſdem pertinere velint, nolint, apertè conficiunt. Qua in re vtinam conſtantiam illam, quam in ſapiente adamantinam poſuerunt, in eorum principe Chryſippo Galenus meritò non requireret: is enim cùm opiniones, atque iudicia in parte rationis compote collocaret, voluptatem, atque dolorem in ſentiente; affectiones nihilominus opi-

Vide Picolom. Philoſoph. ciuil. gradu. 1. cap. 7.

4. De placitis Hippocr. & Platonis.

nio-

niones eſſe, atque iudicia contendebat. His ita conſtitutis, aio, Affectiones, ſeu perturbationes animorum eſſe animæ ſentientis,ex boni,vel mali opinione natas commotiones, quæ quoniam corpus ipſum ſic attingunt, atque commutant, vt aliquid patiatur, paſſiones vulgo, ab ipſis etiam Philoſophantibus appellantur. Summa earum veluti capita duo conſtituunt ſapientiſſimi viri Plato, atque Ariſtoteles, dolorem, ac voluptatẽ, ex quibus primò quatuor enaſcuntur, reliquæ deinceps omnes, certo inter ſe ordine copulatæ dimanant. Et ſanè ſi quis voluptatis, atque doloris pugnantem ſemper, diſtractamque naturam diligenter animaduertat, mirabitur qui fieri vmquam potuerit, vt ab vna, eademque hominis anima fœtus extiterint genere diſcrepantes, inſtituto contrarij, in parentis tantum cruciatibus conſentientes,atque conflati. Vidit hoc in Platonis Phœdone Socrates, cui cùm nulla ſatis idonea ad ſoluendam dubitationem ratio ſuppeteret,quaſi in nodum vindice digniſſimum incidiſſet,tanquam numen è machina, Æſopum aduocat fabulatorem,eiuſque nomine apologo cõcinnato,Deum ait, cùm dolorem ac voluptatem ſemper inter ſe pugnantes cõciliare vellet, nec poſſet tamen, ita in-

Vide Alcinoum de doctr. Plat. cap. 31 Porphir. lib. 1. de abſtinent. s. Ambr. l. 1. de Iacob. cap. 2. D. Tho. q. 26. de verit. articl. 5.

vnum vtriuſque apices coniunxiſſe, vt alter ab altera diſtrahi nequeat, atque diuelli; diſſidium tamen quotidie in animis recrudeſcit, atque hoſtis hoſtem perpetua rerum viciſſitudine protrudit: qua humani generis calamitate quid fingi, aut excogitari funeſtiùs poteſt: cùm vnus, atque idem animus, & area ſit bellantibus, & præmium belli, victori præda, ſepulchrum victo? Ædem Concordiæ à M. Furio Camillo in Capitolio excitatam, ad deliberandum cum Senatu Magiſtratus delegere: rati videlicèt ipſa loci religione conſilia omnium ad Reipublicæ incolumitatem conſpiratura, quæ cœteroquin diſſentientia, certam perniciem florentiſſimo Imperio allatura videbantur. At quid nobis, rebuſque noſtris fiet, Auditores, quibus vt Plato exiſtimat in libro de Legibus primo, duo in anima à conſilijs Senatores aſſident, voluptas, & dolor; non diſcordes tantum inter ſeſe, continenterque bellantes, ſed aduerſarij rationis, furentes, atque præcipites: illos autem pedarij conſequuntur timor, & confidentia. Vtinam inteſtinis horum diſcordijs eò iam non deueniſſent plerique mortalium, vt conqueri iuſtè, atque exclamare non poſſent,

Plutar. meminit dedicat. in Camillo in fine. vide Roſin. antiq. Rom. lib. 2. cap. 18.

Cantic. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Vo-

Volupiam, & Angeronam (numina
quondam voluptatibus, atq; angoribus
ſtultè propoſita) non ædem modò, ſed
communes etiam aras habuiſſe memo-
riæ proditum legimus. ego verò infęli-
cem prorſus, & pene deridendam con-
iunctionem exiſtimaſſem, niſi naturam
hominum contemplatus, voluptatem
cum dolore copulatam, templum ſibi,
atq; aram in animis poſuiſſe, non tam
doctorum virorum lucubrationibus,
quàm experimento didiciſſem. Quod
cùm non ſemel animaduertiſsē, ad Ægy-
ptum mentem, cogitationemq; conuer-
tere, rei nouitate, propemodum coactus
ſum. Terram illam monſtrorum diuini-
tate nobilem, ac regum molibus incly-
tam, apud Homerum legeram aliquan-
do, herbis non minus noxijs, quàm ſalu-
taribus abundantem; ſoli enim illius in-
genio indiſcreta fęcunditas eſt; hoc ad
animum vtcumq; transferens, hanc ipsā,
qua de loquimur, voluptatis, doloriſq;
permiſtionem conſiderabā: ſed rem ha-
ctenus non attingo. Omni pluuiarum
præſidio deſtitutus regionis tractus, fę-
lix quodammodò in infęlicitate ſua eſt;
quod illi nunquam cælū obducitur, nun-
quam ſidera clauduntur, ſed perpetua
ſerenitate collucent, & cernuntur, & cer-
nunt. Duplex illi aquarum genus ad ia-

ctūram ſarciendam,natura ſuppeditauit: alterum quod effoſſis altè puteis,è terrę viſceribus emanat, atq; colligitur; alterum quod ſuperfuſus aruis Nilus (quem verè Ægypti colonum dixeris) ad alendas ſegetes, ſitimq; camporum reſtinguendam, propinat. Verùm amaræ è puteis vndæ, dulces è flumine in Ægyptiorum cōmoda deriuantur, vt Plutarchus eſt auctor. Ægyptus animus eſt virtutū, & vitiorum ſuaptè natura vberrimè fertilis; vndis allnitur reciprocātibus;quoties enim ſuperfundente ſe voluptate ſuauiſſimè irrigatur; paulò autem poſt, doloris liquoribus ita perfunditur, vt amarus ille humor corpus ipſum aliquādo peruadens,erumpat in lacrimas? hinc amaræ potiſſimum lacrimæ ſunt; quod ſanctiſſimus multarum victoriarum pugil expertus erat, cùm dixit: *Non peccaui,& in amaritudine moratur oculus meus:* atque hoc eſt Hypanis fluuij prodigiū, ab Herodoto primum, mox etiam ab Athenæo poſteritati tranſmiſſum, qui aliquot dierum via dulciſſimus labitur, mox vndas amaritudine toto quatriduo inficit, atq; corrumpit; vſq; adeo non tragicè magis, quàm verè dictum à Seneca eſt,

—— dolor & voluptas
Inuicem cedunt.

&

& ſapienter à M. Tullio, *voluptatibus maximis finitimum faſtidium eſt*; nimirũ neceſſitatis æternæ lex eſt, vt Caſtores hi, alterno ſemper motu in animis oriã-tur & occidant. Vita etenim, quæ à neceſſitate apud Græcum Poetam mortalibus propinatur, ex gemino voluptatis, dolorisque cratere delabitur. Extra cogniti orbis ambitum, inter Græcos hiſtoricos non incelebris Theopompus, regionem, & ampliſſimam multitudine populorum, & morum varietate admirabilem, accuratè deſcribit, in extrema autem regione ingens hiatus aperitur, nec maturo ſatis illuſtris lumine, nec tenebris tamen omnino cœcus, aut horridus, quam flumina vſquequaq; circumluunt, doloris ac voluptatis; ita enim ab incolis nominantur. Vnicuiq; flumini arbores adnaſcuntur, proceritate maioribus platanis æquales, flumini vero ſuo virtute perſimiles; doloris ſiquidem arbores, fructus edunt, quos qui attingunt perpetuo lacrimarũ imbre perfuſi, tandem moriuntur; at poma voluptatis, ſenectutem, curaſq; depellunt, annos iam exactos reuocant in adoleſcentiam, atq; ordine ſemper conuerſo, ad infantiam vltimam repellunt: vt tum demum viuere homines deſinant, cùm ſe vixiſſe non ſentiunt. Vtrumq; mortalitatis noſtræ

Vide Cauſin. l. 1 parabol. hiſt. n. 48 in Apodoſi. Cel. ex Aeliano l. 17 c. 35. antiq. lect.

documentum eſt. in ſubluſtri hoc humanæ vitæ crepuſculo inter alternos voluptatis, dolorisq; fluctus, aut nauigamus, aut naufragium facimus. Fructus autem quibus veſcimur, & quos nobis vtraque perturbationũ arbor emittit, nos ærumnis frangunt, delicijs eneruant; vt in adeptione virtutis, non raro ad primam infantiæ debilitatem, & curas ſine curis, voluptatis, quaſi Medeæ veneficio recocti redeamus, & vita nobis non ſentientibus elabatur.

Eſt igitur duplex perturbationũ origo, ex boni, aut mali exiſtimatione, quã voluptatem dicimus, ac dolorem. Quia tamen, vt docet, Alcinous, boni præſentia delectamur, abſentia concupiſcimus; præſente item malo dolemus, imminente metuimus; hinc iam animi quadriga duobus additis equis abſoluitur, & quatuor tandem affectionum capita conſtituuntur. Placuit vehementer etiam Stoicis hæc diſtributio, vt Marcus Tullius teſtatur in Tuſculanis: eandem vſurpauit, ex poeta in Æneidos ſexto philoſophus, Virgilius

D. Th. p. 2. q. 23 à 4 in corpore: & Philo lib. de Decal.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq;

adhibuit Horatius in epiſtolis,

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatque quid ad rem?

expreſſit non vno in loco Plutarchus: & com-

& communi, vt ſemel dicam, doctorum hominum conſenſione, vſuq; recepta eſt. Non ſum neſcius alias ab alijs perturbationum diuiſiones afferri, ſiue ex duplici ſentientis animæ facultate; ſiue ex rerum, de quibus agunt, diuerſitate deſumptas; multas enumerari à multis intelligo, quarum nulla adhuc in diſſertatione mea mentio facta eſt; noui à Platone in Teeteto pene infinitas dici, nominèq; carentes; vndecim Ariſtoteles in libro de moribus; totidem, ſed non eaſdem D. Thomas; Galenus octo; quinq; Nemeſius: viginti demum Cardanus ſatis operosè recenſent. Verum cùm eas Philo pecudibus comparauerit, an ego non ſtultè facerem, ſi prolixius de earum numero laborarem, quòd dictum eleganter à Po[illegible]

Pauperis eſt numerare pecus.

Illud ergo iterum ſtatuo: quatuor eſſe præcipua perturbationum capita, ad quæ reliquæ omnes, certo ordine referuntur, vt à nobis opportunè dicetur. *Philo lib. de ſacrif.* Humanam animam, Æoliæ nomine ſuperiori diſſertatione à nobis deſignatam fuiſſe recordamur; ex qua erumpentes perturbationum venti, omnia ſuſq; deq; miſcerent; non ineptè, vt opinor, & fortaſſe ſatis accommodatè. Quid vero ſi eandem animam, mare, & quidem ma-

gnum appellaremus, cuius elationes Dauidi quoq; mirabiles viſæ ſunt? *mirabiles elationes maris mirabilis in altis*, hoc eſt in profundo, ſiue in mari, *Dominus;* ſi quid enim eſt, quod conditoris Dei ſapientiã, virtutemque in terrarnm orbis opificio commendet, is profectò homo eſt, diuinum animal, & adorandum, vt Hermes termaximus loqui ſolet. Hinc regius idẽ Vates, in ſui ipſius contemplatione Deũ maximè veneratus exclamat, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* Atqui Daniel quatuor ventos in mari magno pugnantes, quatuor ſcilicet perturbationes animum continenter exercentes vidit. Quẽadmodum enim ex innumerabili ventorum multitudine, quatuor tantummodo ſeligunt [illegible] terrarum orbem in [illegible] mundi [illegible] nominant cardinales; ita ex omnibus animi affectionibus quatuor à ſapientibus tanquam præcipuæ ſeponuntur, quarum vel permiſtione, vel cõfinio reliquæ continentur. (*ſit,*

Ouid. 1. Metam.

Eurus ad Aurorã, Nabatæaq; regna receſ-
Perſidaq; & radijs iuga ſubdita matutinis;
Veſper, & occiduo, quæ littora ſole tepeſcũt
Proxima ſunt Zephiro; Scythiam, ſeptemque Triones
Horrifer inuaſit Boreas; contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluuioque madeſcit ab Auſtro.

vtram-

vtramque comparationis meæ partem, qua & animam cum mari compoſui, & perturbationes Daniele duce Ventis deſignaui, venuſtè complexi ſunt elegantiſſimi Poetarum; quorum locum, ad ſpecimen, vnicum ex Senecæ Medea libet commemoraſſe,

Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor,
Diducit; anceps æſtus incertam rapit;
Vt ſæua rapidi bella cum venti gerunt,
Vtrinque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiũq; pelagus feruet,haud aliter meum
Cor fluctuatur, ira pietatem fugat,
Iramque pietas.

Mare igitur anima hominum eſt. Sed quoniam ab Ambroſio, atque Baſilio fluuiorum hoſpitium mare nouimus appellatum, tantorum Patrum autoritas aliò quidem cogitationem vocat, non tamen à quatuor animi perturbationibus auocat. Cum terrarum orbem vniuerſum moliretur Deus, in Meſopotamiæ finibus hortum condidit delicijs omnibus affluentem, Paradiſum dicunt; eumque primo humani generis Parenti tradidit,quem excoleret. Quatuor in eo flumina exoriebantur, quorum nomina, atque iter diuinæ hiſtoriæ diligentiſſimus concinnator enumerat. Fidei, ac diligentiæ vniuſcuiuſque noſtrum animam permiſit Deus, hortum deliciarũ, *Geneſ. c. 15.*

Pæanis initio Sicyonius Poeta laudauit, vtrique morbo adhibet medicinam.

Verùm dum aliud ago, in primum diſſertationis meæ caput incidiſſe, ab eoque penè incogitanter euaſiſſe me ſentio. Dum enim perturbationes animorum morbos animæ nominaui; nullus penè auditoribus locus relictus eſt anquirendi, quid ſint; ne tamen in re grauiſſima delibare potiùs leuiter momenta rerum, quàm accuratè perpendere videamur, diligentiùs aliquanto verſandũ à nobis argumentum tam neceſſarium exiſtimo. Et primò quidem Stoicorum opinionem ab omnibus reijciendam eſſe facilè intelligemus; ſi ea, quæ de perturbationum, gemino quaſi fonte, in ſuperiori noſtra diſſertatione commemorata ſunt, libuerit in memoriam reuocare. Aiunt Stoici perturbationes animi opiniones eſſe, atque iudicia. Hinc ergo ad intelligentis, non ad ſentientis animæ partes eaſdem pertinere velint, nolint, apertè conficiunt. Qua in re vtinam conſtantiam illam, quam in ſapiente adamantinam poſuerunt, in eorum principe Chryſippo Galenus meritò non requireret: is enim cùm opiniones, atque iudicia in parte rationis compote collocaret, voluptatem, atque dolorem in ſentiente; affectiones nihilominus opi-

Vide Picolom. Philoſoph. ciuil. gradu. 1. cap. 7.

4. De placitis Hippocr. & Platonis.

nio-

niones eſſe, atque iudicia contendebat. His ita conſtitutis, aio, Affectiones, ſeu perturbationes animorum eſſe animæ ſentientis, ex boni, vel mali opinione natas commotiones, quæ quoniam corpus ipſum ſic attringunt, atque commutant, vt aliquid patiatur, paſſiones vulgo, ab ipſis etiam Philoſophantibus appellantur. Summa earum veluti capita duo conſtituunt ſapientiſſimi viri Plato, atque Ariſtoteles, dolorem, ac voluptatẽ, ex quibus primò quatuor enaſcuntur, reliquæ deinceps omnes, certo inter ſe ordine copulatæ dimanant. Et ſanè ſi quis voluptatis, atque doloris pugnantem ſemper, diſtractamque naturam diligenter animaduertat, mirabitur qui fieri vmquam potuerit, vt ab vna, eademque hominis anima fœtus extiterint genere diſcrepantes, inſtituto contrarij, in parentis tantum cruciatibus conſentientes, atque conflati. Vidit hoc in Platonis Phœdone Socrates, cui cùm nulla ſatis idonea ad ſoluendam dubitationem ratio ſuppeteret, quaſi in nodum vindice digniſſimum incidiſſet, tanquam numen è machina, Æſopum aduocat fabulatorem, eiuſque nomine apologo cõcinnato, Deum ait, cùm dolorem ac voluptatem ſemper inter ſe pugnantes cõciliare vellet, nec poſſet tamen, ita in-

Vide Alcinoum de doctr. Plat. cap. 31. Porphir. lib. 1. de abſtinent. 5. Ambr. l. 1. de Iacob. cap. 2. D. Tho. q. 26. de verit. articl. 5.

vnum vtriuſque apices coniunxiſſe, vt alter ab altera diſtrahi nequeat, atque diuelli; diſſidium tamen quotidie in animis recrudeſcit, atque hoſtis hoſtem perpetua rerum viciſſitudine protrudit: qua humani generis calamitate quid fingi, aut excogitari funeſtiùs poteſt: cùm vnus,atque idem animus, & area ſit bellantibus, & præmium belli, victori præda, ſepulchrum victo? Ædem Concordiæ à M. Furio Camillo in Capitolio excitatam, ad deliberandum cum Senatu Magiſtratus delegere: rati videlicèt ipſa loci religione conſilia omnium ad Reipublicæ incolumitatem conſpiratura, quæ cœteroquin diſſentientia, certam perniciem florentiſſimo Imperio allatura videbantur. At quid nobis,rebuſque noſtris fiet, Auditores, quibus vt Plato exiſtimat in libro de Legibus primo, duo in anima à conſilijs Senatores aſſident, voluptas, & dolor; non diſcordes tantum inter ſeſe, continenterque bellantes, ſed aduerſarij rationis, furentes, atque præcipites: illos autem pedarij conſequuntur timor, & confidentia. Vtinam inteſtinis horum diſcordijs eò iam non deueniſſent plerique mortalium,vt conqueri iuſtè, atque exclamare non poſſent,

Plutar. meminit dedicat. in Camillo in fine. vide Roſin. antiq. Rom. lib. 2. cap. 18.

Cantic. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Vo-

Volupiam, & Angeronam (numina quondam voluptatibus, atq; angoribus ſtultè propoſita) non ædem modò, ſed communes etiam aras habuiſſe memoriæ proditum legimus. ego verò infęlicem prorſus, & pęnè deridendam coniunctionem exiſtimaſſem, niſi naturam hominum contemplatus, voluptatem cum dolore copulatam, templum ſibi, atq; aram in animis poſuiſſe, non tam doctorum virorum lucubrationibus, quàm experimento didiciſſem. Quod cùm non ſemel animaduertiſsē, ad Ægyptum mentem, cogitationemq; conuertere, rei nouitate, propemodum coactus ſum. Terram illam monſtrorum diuinitate nobilem, ac regum molibus inclytam, apud Homerum legeram aliquando, herbis non minus noxijs, quàm ſalutaribus abundantem; ſoli enim illius ingenio indiſcreta fęcunditas eſt; hoc ad animum vtcumq; transferens, hanc ipsā, qua de loquimur, voluptatis, doloriſq; permiſtionem conſiderabā: ſed rem hactenus non attingo. Omni pluuiarum præſidio deſtitutus regionis tractus, fęlix quodammodò in infęlicitate ſua eſt; quod illi nunquam cælū obducitur, nunquam ſidera clauduntur, ſed perpetua ſerenitate collucent, & cernuntur, & cernunt. Duplex illi aquarum genus ad ia-

ctuꝛam ſarciendam, natura ſuppeditauit: alterum quod effoſſis altè puteis, è terrę viſceribus emanat, atq; colligitur; alterum quod ſuperfuſus aruis Nilus (quem verè Ægypti colonum dixeris) ad alendas ſegetes, ſitimq; camporum reſtinguendam, propinat. Verùm amaræ è puteis vndæ, dulces è flumine in Ægyptiorum cõmoda deriuantur, vt Plutarchus eſt auctor. Ægyptus animus eſt virtutũ, & vitiorum ſuaptè natura vberrimè fertilis; vndis alluitur reciprocãtibus; quoties enim ſuperfundente ſe voluptate ſuauiſſimè irrigatur; paulò autem poſt, doloris liquoribus ita perfunditur, vt amarus ille humor corpus ipſum aliquãdo peruadens, erumpat in lacrimas? hinc amaræ potiſſimum lacrimæ ſunt; quod ſanctiſſimus multarum victoriarum pugil expertus erat, cùm dixit: *Non peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus:* atque hoc eſt Hypanis fluuij prodigiũ, ab Herodoto primum, mox etiam ab Athenæo poſteritati tranſmiſſum, qui aliquot dierum via dulciſſimus labitur, mox vndas amaritudine toto quatriduo inficit, atq; corrumpit; vſq; adeo non tragicè magis, quàm verè dictum à Seneca eſt,

—— dolor & voluptas
Inuicem cedunt.

&

& ſapienter à M. Tullio, *voluptatibus maximis finitimum faſtidium eſt ;* nimirũ neceſſitatis æternæ lex eſt, vt Caſtores hi, alterno ſemper motu in animis oriãtur & occidant. Vita etenim, quæ à neceſſitate apud Græcum Poetam mortalibus propinatur, ex gemino voluptatis, doloriſque cratere delabitur. Extra cogniti orbis ambitum, inter Græcos hiſtoricos non incelebris Theopompus, regionem, & ampliſſimam multitudine populorum, & morum varietate admirabilem, accuratè deſcribit, in extrema autem regione ingens hiatus aperitur, nec maturo ſatis illuſtris lumine, nec tenebris tamen omnino cœcus, aut horridus, quam flumina vſquequaq; circumluunt, doloris ac voluptatis; ita enim ab incolis nominantur. Vnicuiq; flumini arbores adnaſcuntur, proceritate maioribus platanis æquales, flumini vero ſuo virtute perſimiles; doloris ſiquidem arbores, fructus edunt, quos qui attingunt perpetuo lacrimarũ imbre perfuſi, tandem moriuntur; at poma voluptatis, ſenectutem, curaſq; depellunt, annos iam exactos reuocant in adoleſcentiam, atq; ordine ſemper conuerſo, ad infantiam vltimam repellunt: vt tum demum viuere homines deſinant, cùm ſe vixiſſe non ſentiunt. Vtrumq; mortalitatis noſtræ

Vide Cauſin. l. 1 parabol. hiſt. n. 48 in Apodoſi. Cel. ex Aeliano l. 17 c. 35. antiq. lect.

documentum eſt. in ſubluſtri hoc humanæ vitæ crepuſculo inter alternos voluptatis, doloriſq; fluctus, aut nauigamus, aut naufragium facimus. Fructus autem quibus veſcimur, & quos nobis vtraque perturbationũ arbor emittit, nos ærumnis frangunt, delicijs eneruant; vt in adeptione virtutis, non raro ad primam infantiæ debilitatem, & curas ſine curis, voluptatis, quaſi Medeæ veneficio recocti redeamus, & vita nobis non ſentientibus elabatur.

Eſt igitur duplex perturbationũ origo, ex boni, aut mali exiſtimatione, quã voluptatem dicimus; ac dolorem. Quia tamen, vt docet, Alcinous, boni præſentia delectamur, abſentia concupiſcimus; præſente item malo dolemus, imminente metuimus; hinc iam animi quadriga duobus additis equis abſoluitur, & quatuor tandem affectionum capita conſtituuntur. Placuit vehementer etiam Stoicis hæc diſtributio, vt Marcus Tullius teſtatur in Tuſculanis: eandem vſurpauit, ex poeta in Æneidos ſexto philoſophus, Virgilius

D. Th. p. 2. q. 23 à 4 in corpore: & Philo lib. de Decal.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentq;

adhibuit Horatius in epiſtolis,

Gaudeat, an doleat, cupiat, metuatque quid ad rem?

expreſſit non vno in loco Plutarchus:

& communi, vt ſemel dicam, doctorum hominum conſenſione, vſuq; recepta eſt.

Non ſum neſcius alias ab alijs perturbationum diuiſiones afferri, ſiue ex duplici ſentientis animæ facultate; ſiue ex rerum, de quibus agunt, diuerſitate deſumptas; multas enumerari à multis intelligo, quarum nulla adhuc in diſſertatione mea mentio facta eſt; noui à Platone in Teeteto pene infinitas dici, nominèq; carentes; vndecim Ariſtoteles in libro de moribus; totidem, ſed non eaſdem D. Thomas; Galenus octo; quinq; Nemeſius: viginti demum Cardanus ſatis operosè recenſent. Verum cùm eas Philo pecudibus comparauerit, an ego non ſtultè facerem, ſi prolixius de earum numero laborarem, [illegible] dictum eleganter à Po[illegible]

Pauperis eſt numerare pecus.

Illud ergo iterum ſtatuo: quatuor eſſe præcipua perturbationum capita, ad quæ reliquæ omnes, certo ordine referuntur, vt à nobis opportunè dicetur. *Philo lib. de ſacrif.*

Humanam animam, Æoliæ nomine ſuperiori diſſertatione à nobis deſignatam fuiſſe recordamur; ex qua erumpentes perturbationum venti, omnia ſuſq; deq; miſcerent; non ineptè, vt opinor, & fortaſſe ſatis accommodatè. Quid vero ſi eandem animam, mare, & quidem ma-

gnum appellaremus, cuius elationes Dauidi quoq; mirabiles viſæ ſunt? *mirabiles elationes maris mirabilis in altis*, hoc eſt in profundo, ſiue in mari, *Dominus;* ſi quid enim eſt, quod conditoris Dei ſapientiã, virtutemque in terrarum orbis opificio commendet, is profectò homo eſt, diuinum animal, & adorandum, vt Hermes termaximus loqui ſolet. Hinc regius idẽ Vates, in ſui ipſius contemplatione Deũ maximè veneratus exclamat, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me:* Atqui Daniel quatuor ventos in mari magno pugnantes, quatuor ſcilicet perturbationes animum continenter exercentes vidit. Quẽadmodum enim ex innumerabili ventorum multitudine, quatuor tantummodo ſeligu[illegible] terrarum orbem in [illegible] mundi [illegible] nominant cardinales; ita ex omnibus animi affectionibus quatuor à ſapientibus tanquam præcipuæ ſeponuntur, quarum vel permiſtione, vel cõfinio reliquæ continentur. (ſit,

Ouid. 1. Metam.

Eurus ad Aurorã, Nabatæaq; regna receſ-
Perſidaq; & radijs iuga ſubdita matutinis;
Veſper, & occiduo, quæ littora ſole tepeſcũt
Proxima ſunt Zephiro; Scythiam, ſeptemque Triones
Horrifer inuaſit Boreas; contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluuioque madeſcit ab Auſtro.

vtram-

vtramque comparationis meæ partem, qua & animam cum mari compoſui, & perturbationes Daniele duce Ventis deſignaui, venuſtè complexi ſunt elegantiſſimi Poetarum; quorum locum, ad ſpecimen, vnicum ex Senecæ Medea libet commemoraſſe,

Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor,
Diducit; anceps æſtus incertam rapit;
Vt ſæua rapidi bella cum venti gerunt,
Vtrinque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiũq; pelagus feruet, haud aliter meum
Cor fluctuatur, ira pietatem fugat,
Iramque pietas.

Mare igitur anima hominum eſt. Sed quoniam ab Ambroſio, atque Baſilio fluuiorum hoſpitium mare nouimus appellatum, tantorum Patrum autoritas aliò quidem cogitationem vocat, non tamen à quatuor animi perturbationibus auocat. Cum terrarum orbem vniuerſum moliretur Deus, in Meſopotamiæ finibus hortum condidit delicijs omnibus affluentem, Paradiſum dicunt; eumque primo humani generis Parenti tradidit, quem excoleret. Quatuor in eo flumina exoriebantur, quorum nomina, atque iter diuinæ hiſtoriæ diligentiſſimus concinnator enumerat. Fidei, ac diligentiæ vniuſcuiuſque noſtrum animam permiſit Deus, hortum deliciarũ, *Geneſ. c. 15.*

Aliam quatuor flu minum allegoriam vide apud S. Ambr. l. de Paradiſ. & Philon. lib. Allegor legiſ. mihi pag. 39 Cātic. c. 1. Pſalm. 68.

ac voluptatum. hoc eſt omni virtutum genere ſi velimus, feraciſſimum; in eo tamen, veluti in vinea allaborandum nobis eſt, vt fructus tempori, laborique reſpondeat. hinc illæ infelicis agricolæ lacrimæ, qui cuſtos impoſitus vineæ, & fratrum ſuorum digladiationibus oppugnatus, querebatur: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui:* quatuor autem ex domeſtico Paradiſo fluuij perturbationum emanant, quibus anima continenter alluitur; vtinam aliquando non mergeretur, non haberet cur calamitates ſuas dolenter exequeretur ærumnoſus ille, qui dixit, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.*

Sed finiendum tandem aliquando eſt. [illegible]d ex hac mea diſſertatione colligimus, affectiones nec opiniones eſſe, nec iudicia, vt Stoici arbitrabantur, ſed animæ ſentientis, ex boni, vel mali exiſtimatione natas commotiones. Illas in duo primū capita dolorem ac voluptatem, mox in quatuor, dolorem gaudiū, ſiue voluptatem, cupiditatem, metum à ſapientibus diuidi; quamuis alij non deſint præclarè Philoſophantes, qui numerum mirum in modum augeant. De admirabili autem corporis cum anima cognatione, ac de mutuis vtriuſque offi-

cijs,

cijs, in prima ſtatim congreſſione diſputabimus.

De admirabili corporis cum anima cognatione, &c.

DISSERTATIO TERTIA.

CVM multa ſint, quæ incredibilem conditoris Dei ſapientiã loquuntur, ac prædicant, tum nihil æquè, ac humani corporis habitudo, mortalium mentes admiratione percellit. Vt enim Cœlum ornatum aſtris, atque diſtinctum; rata ſemper, ac permanens ſolis via; creſcentis, ac ſeneſcentis lunæ varietas; orbium conuerſiones, atque vertigines vmbrarũ, ac lucis viciſſitudo opificem ita commendent, vt regius pſaltes olim cecinerit: *Cœli enarrant gloriam Dei*, in humani tamen contemplatione corporis, neſcio quo pacto, luculentius eluceſcit veſtigiũ diuinitatis. Quemadmodum enim inter maxima præclarorum artificum ſigna diligenter elaborata, minuta quædam ſigilla, veluti artis compendia, libentius admiramur; ita hominum corpus, quaſi contractum vniuerſitatis totius, ac ipſius Dei ſimulacrũ, merito prę ceteris diuinę manus operibus, veneramur. Vere enim Manilius,

—— quid mirum noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exẽplũq; Dei quiſq; eſt in imagine parua?

Tres olim mundos à priſcis ſapientibus excogitatos philoſophantium monumenta teſtantur; quorum primus ab Angelis, à Cœlo alter, poſtremus à rerum corporatarum initijs, quæ dicimus elementa, nomen accepit. In tripertita humani corporis diſtributione, triplicẽ etiam hunc mundum, in vno tamen homine ingenioſè collectum, intelligimus, ſi rem libuerit accuratè perpendere. Caput rationis domicilium, ac templum intelligentiæ, angelicus mundus erit; nam & beatæ illæ mentes intelligentiæ nuncupantur. In pectore, vbi cor tanquã totius corporis princeps, ac vitæ moderator, ſanguine veluti purpura conueſtitur; ſpiritibus quaſi ſatellitio cingitur, mundi cœleſtis originem intuebimur: nam & cœli cor à viris præſtantiſſimis dictus eſt ſol, & vitæ mortalis initia hauriuntur è Cœlo. Elementaris deniq; vt ita loquar, mundus, in perpetua rerum enaſcentium, atque occidentium viciſſitudine continenter laborans, ad eas pertinebit humani corporis partes, quæ ſub pectore à natura conſtitutæ, vel concoctum, ac modificatum cibum op-

Vide Cal. Rhodig. lect. antiq. lib. 2. c. 18. Diuerſam mundi diuiſionem vide apud Platonem in Timæo, & Coimb. in 1. l. Ariſt. de Cœlo. quæſt. 1 ar. 2. Vide Ambr. Hexam c. 9.

por-

portunè diſtribuunt, vel proceatione ſobolis, humani generis mortalitati medentur. Vt non barbarè barbarus neſcio quis, in hac terrarum orbis ſcena, nihil homine diuinius dixerit inueniri. *Cælius ubi ſupra.* Peritiſſimus cælandi artifex Phidias, Mineruam Athenienſibus finxit ex ebore: hanc autem cùm non Deæ magis ſimulacrum, quàm artis ſuæ monumentum vellet extare, cùm inſcribere non liceret, ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo; *Ariſt. lib. de mũdo.* Humanum corpus, machinamentum, vt ait Zoroaſter, naturæ confidentiſſimæ, poſt multa, ſexto tandem die molitus eſt Deus; *Vide orac. Magica.* quo artificio mirificè delectatus, nomen operi non addidit ſuum, qu d illi fuiſſet commune cum omnibus; ſed animam indidit immortalem, hoc eſt viuam illi impreſſit imaginem ſui: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, *Geneſ. c. 1.* & hoc ipſum tamen corpus tam admirabile, ac Deo dignum, (cuius partes dum integro volumine deſcribit, ac laudat Galenus, ſacrum ſermonem, atque hymnũ ſcribere ſe maioribus victimis numini cariorem putat) tam contemptim, abiectèque legimus appellatum, vt tanquam publicus, ac iuratus animæ hoſtis, acerbiſſimis ſapientum omnium vapulet contumelijs: à Gorgia ſiquidẽ Leontino putreſcens,

ruinæque proximũ animæ diuerſorium; triſte animi domicilium cauea, pondus à Seneca; à Plutarcho piſtrinum; carcer atque ſepulchrum à Platone; ab antiquioribus etiam inferorum ſupplicijs deſtinatum ergaſtulum nominatur. Vt ergo pars hominis, ſi non melior, certè non mala, multis ipſa per ſeſe periculis obnoxia, alienæ quoque temeritatis inuidia non laboret, quidnam à corpore detrimenti capiat anima, quid rurſus ab anima corpus patiatur, hodierna diſſertatione libet inueſtigare.

Et primò quidem tantam inter animam, & corpus cognationem intercedere συμπάθειαν Græci dicunt, quantam rerum maximè diuerſarum inter ſe patitur ſimilitudo, notius eſt, quàm vt prolixa dicentis induſtria indigere videatur. Docuit id initio Phyſiognomicorum naturę miraculum Ariſtoteles, cuius argumenta hoc loco commemorare non intereſt. Viſum aliquibus eſt, fœdus, & ſocietatem vtriuſque naturæ, gemino Mercurij angue, quo caducæum perficitur explicare; quaſi hac corporis animæque coniunctione, atque conſenſu, cuius beneficio homo componitur, ſceptrum diuinitatis, hoc eſt abſolutiſſimum diuinæ poteſtatis opus extaret; illud tamen animaduerto, ita in vtriuſque

con-

coniunctione ſitam eſſe hominis vitam, vt diſtractis ſemel partibus, ſiue conſilio ſiue caſu, ea protinus euaneſcat, & effluat. Animæ corpus ancillatur, corpori anima vitam impertit, ac motū. Verùm illud, dum mutuis inter ſe officijs contendunt, effecere, vt quæ turbas in anima excitant, eidemque non raro perniciem creant, à corporis contagione in animam redundare, hoſtili propemodum commercio credantur: quod vt confiſciant Academici, rem altiùs repetunt in hunc modum.

Ariſt. 1 polit. c. 3. S. Augu. de Ciu. Dei l. 9 c. 9. Ennod. Epiſt. l. 6. ep. 3. & lib. 8 epiſt. 13 Saliſt. in i. coniurat. Catilin.

Animas ante corporum effectionem ſtellarum numero pares in cœlo docent habitaſſe: inde per lacteum circulum ad hæc inferiora delapſas, aliis eſtractis, nouaque ebrietate trepidantes, ab adoleſcentioribus Dijs fabricatas, vt loquitur Plato, in corpora tanquam in ergaſtulū fuiſſe detruſas; ex hac autem ærumnoſa, vt ita dixerim, ſocietate, eam animis labem opinantur adhæreſcere, vt voluptate atque cæteris perturbationibus, quaſi clauis animæ corporibus affigantur, eorumque formam induant, corporatæque dicantur. Atque hic, quaſi in ſalebras offenderim, repente ſubſiſto. Immanitatem ſane deteſtabilem Ætruſcorum Valerius Maximus commemorat, à Macrino deinceps (vt ſunt ad ſæuitiam

Vide Ariſt. l. 1. c. 5. & l. 7. c. 1.

pro-

prona mortalium ingenia) crudeliter vſurpatam, & à Virgilio in Deorum, hominumque contemptorem Mezentium, ſapienter, ingenioſeque tranſlatã;

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibuſq; manus, atq; oribus ora,
(Tormenti genus) & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

quo quid dici truculentius poteſt? Atqui Platonici dum animam rationis cõpotem, ac proximam diuinitati, ita morbido affigunt corpori (ſepulchrum Plato vocat) vt illius pædore, ac ſordibus inquinetur, & à naturæ ſuæ præſtantia, ac maieſtate deſciſcat, nonne Mezentij ſupplicium, feritatis, odijque pleniſſimum, videntur inuehere? Pergo. Animas ita corporibus infuſas dixerim, an ſepultas? aiunt perturbationibus commoueri; quæ ſimul cùm ſenſibus, ex corporis, atque animæ copulatione dimanant. cùm enim ſentientem facultatem, non tam loco diſcretam, quàm natura contrariam, animæ rationis compoti doceant, vt à corpore illam naſci, ita etiam ſimul interire cùm corpore fabulantur. Omnem ergo ſcelerum culpam in corpus reijciunt; cuius vi atque impetu

S. Hilarius in Pſal. 67. S. Greg Nazian. car. 13. S. Chryſoſt. ad Theod. Ita S. Augu. l. 5. contra Petil. c. 15.

petu animæ innocentiam tuentes, perturbationum tyrannidem, furoremque prætendunt. Quam in ſententiam diſcedere viſi ſunt, præſtantiſſimi Poetarũ Virgilius, & Horatius. Alter enim in Æneidis ſexto, de animis differens,

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus; moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere cæco.

Horatius verò,

Heſternis vitijs animum quoque prægrauat vnà,
Atq; affigit humi diuinæ particulam auræ.

Nec à Platonicorum opinione Plutarchus aberrat: in eo ſiquidem libro, in quo deſidioſos Epicureorum mores exagitat, ſententiaſque conuellit, perturbationes ex ſola corporis conſuetudine tranſcribit in animas, quarum veneficio, in libello de Socratis genio, in belluas degenerare creduntur. Ex fœcunda, vt videtis, errorum ſegete, quædam certum in locum arbitror ſeponenda, ne ſimplicium mentibus, ſpecie veritatis imponant; quædam vt mendacij comperta diſertè reijcimus. Nam

Vide Henrici Steph. Schedias. l. 1. Schedias 4.

quod

quod diuinæ particulam auræ humanam animam appellauit Horatius, Stoicorũ commentum eſt, à Philone primùm, mox etiam à Gnoſticis, à Manichæis, à Priſcillianiſtis, intolerabili opinionis errore receptum, ab Auguſtino autem doctiſſimè iugulatum. Diuina ſiquidem natura; nec rerum viciſſitudines nouit, nec violari, aut diuidi poteſt: *Ego Dominus & non mutor*. Conditas autem animas ante corpus, in quod pœnæ nomine, tanquam in ergaſtulum detrudantur, Platonicus error eſt, quem tamen hauſit Origenes, veterum Patrum magiſter infelix; verùm & à Concilio Bracharenſi primo, & à Cyrillo Alexandrino, inter cæteros Chriſtianæ Religionis antiſtites, tribus ac viginti rationibus ſolidè, ac luculenter falſitatis arguitur. Cætera quæ in ſpeciem elegantiæ, & ad orationis lenocinium de adoleſcentibus dijs humani corporis architectis, de ſtellarum æquali cum animis numero, & affinitate dicuntur, fabulæ ſunt, ac ſomnia Platonicorum, ad aucupandam ſapientię reconditioris auram excogitata.

Illud igitur nobis ſupereſt indagandum; vtrum ea, quæ in corpus improbè, ac contumelioſè iactantur, cùm veritate, vlla ex parte conſentiant. nam quominus de carceris nomine mihi arbitrer la-

Vide Pamelium in Antidot. ad Paradnu 3. Lib. de hæreſib. c. 6. 46. & 70. & Concil.

Vide præterea SS. Hieron. in epiſt. ad Pammac Augu. ep. 28. ad Hieron. Leon 1. ep ad Thorib. &c.

laborandum, faciunt diuini codicis teſtimonia, quibus analogicè, aut eadem, aut non abſimilis humani corporis appellatio continetur: *Educ de cuſtodia animam meam; Quis me liberabit de corpore mortis huius*, &c. Negotium potiùs iuſtè faceſſere videtur illud oraculum, *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, quæ ipſiſſima ſunt Horatij verba, *Pſ. 145. S. Paul. ad Rom. 7. Sap. 9.*

— corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoq; prægrauat vnà.

ne longum faciam, ita ſtatuo: interituri corporis cùm immortali anima nexum, ad rerum contemplationem impedimēto eſſe non ambigo; cùm enim anima, ſuaptè natura, à rerum corporatarum concretione ſegregata ſit, niſi noſtræ mortalitatis pondere retardaretur, libenter in meditatione conquieſceret. Sæpiſſimæ tamen velit, nolit, auocatur, & ad corporis curam tempeſtiuè traducitur; atque hoc tandem incommodi in illam redundat à corpore. Grauia ſunt, & planè paterna Dædali præcepta, quibus Icari adoleſcentis imperitiam ad volatū informat, ſed illud ad argumentum, quo de agimus accommodatum, *Vide Tert. l. de anima c. 53. S. Ambr. l. 5. in Lucam. S. Bernard. ep. 266. S. Hieron. in c. 4. ep. ad Epheſ. S. Ambr. lib. de bono mortis c. 3.*

—— medioque vt limite curras
Icare, ait, moneo, ne ſi demiſſior ibis
Vnda grauet pennas. *Ouid. Metamor. l. 8*

alas

alas animæ vtique ad volandum affinxit inter Poetas philoſophus, inter philoſophos Poeta Plato; quas ille aptari ſibi vehementer optabat, cùm diceret, *Quis mihi dabit pennas, vt columbæ, & volabo, & requieſcam?* Verùm cognati corporis labe madefactæ, ad volatum explicari non poſſunt. quotuſquiſque enim eſt, qui ab humanarum rerum ludibrijs, ab illecebris voluptatum, à ſenſuum lenocinio, tàm ſeriò, atque conſtanter mentem auertat, vt corporis contagione infici ſe, atque corrumpi non ſentiat, atque animam corpori quodammodo non immiſceat? Decantatum vulgo eſt Siculæ crudelitatis inuentum, æneus Phalaridis Taurus; quo qui includebantur, ſubditis ignibus morientes, non eiulatus humanæ ſono vocis exprimere, ſed in Tauros propemodum commutati, mugitus edere cogebantur. corpore excipitur anima, non humanæ ſæuitiæ, ſed diuinæ prouidentiæ machinamento, cuius contubernio mores quandoque induit ita corpori proprios, vt in naturam corporis, in Platonis Phœdone, quodammodo commigraſſe dicatur; at dicatur tantum. quemadmodum enim ſiderum princeps ſol, non ideò luce, cuius fons eſt, & origo, deſtituitur, quòd è putreſcentibus terræ lacunis, in nubem coacti vapores, illius

Valer. Max. l. 9. c. 2. Plin. l 34 c 8. Cic. in Piſonē.

illius radios mortalium oculis eripiunt; ita etiam anima, licet vitio imbecillitatis humanæ, nubeculas neſcio quas à corporis fæce contrahat, quibus lux illi priſtinæ venuſtatis obducitur, anima tamen eſt, & ſpontè contractas è corporis contubernio ſordes, ſponte deponet, modò ipſa nō deſit ſibi, nec corporis ſocietatem in crimen vocet. Atque hoc eſt, de quo diſſerendum initio ſtatuebā. corpus nimirum in conquiſitione virtutis animæ non obeſſe, licet ipſius negligentia factum ſit, vt illins pondere, veluti ſarcina prægrauetur. Nam *corruptio corporis eſt* (verba habetis Auguſtini, ſententiam Platoni, atque Virgilio communem, exagitantis) *corruptio*, inquit *corporis eſt, quæ aggrauat animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit eſſe corruptibilem carnem*; quo in argumento multus eſt Ioannes, cognomento Chryſoſtomus, Apoſtoli ad Epheſios epiſtolam eloquenter enarrans. ſua tamen è contra corpus animæ neceſſaria inſtrumenta ſuppeditat, quibus illa ſi careret, æuum otioſè, ſtolideque tranſigeret. Et ne à perturbationum diſputatione diſcedam (quò labores meos collineare profeſſus iampridem ſum) rerum ſimulachra per ſenſus hauſta, ad imaginatricem traijcit, cuius deinde facultatis impetu

petu iſta anima, atque perculſa, vehementius commouetur; hinc ſanguinem, atque ex illo ſpiritus veluti addictam ſacramento militiam corpus in procinctu habet, quibus anima iam perturbationibus agitata, ad ipſum corpus impellendum abutitur. His autem rebus ſingillatim ſuo loco dicturi ſumus.

Profligatis iam Platonis erroribus, Galeni hac ſuper re ſententia perpendenda eſt: cuius doctrinam viro philoſopho prorſus indignam ipſi etiam diſcipuli, in Magiſtri verba iurare ſoliti, tueri ſalua dignitate, ac religione non poſſunt. Cùm enim arctiſſimum inter corpus, & animam neceſſitudinis vinculum, amentiam in pueris, in ſenibus deliramenta, obliuionem, atq; furorem in multis animaduertiſſet, ex calidi, vel frigidi hauſtu pharmaci in animis enaſcentia; eò tandem deuenit, vt neſcire ſe quid ſit anima, alicubi faſſus ſit; mox illam in corporis temperatione poſuerit, cum corpore perituram. Quod mirandum ijs videri meritò poterit, quibus Galeni ingenium, eruditio, doctrina, rerum vſus, omnia in eo ſumma, fuerint antè perſpecta. Vſq; adeò erroribus patet humana cognitio, vt nulla ſit ſine ignorantiæ permiſtione ſcientia. Hanc opinionem cùm ille altius imbibiſſet, librum edidit

lu-

luculentum cæteroquin, ac benè doctũ; in quo animi perturbationes, ac mores à ſola corporis temperatione pendere, demonſtrare contendit. Verùm cùm opus illud fundamentis adeò caducis, atq; fragilibus innitatur, ipſum etiam corruat neceſſe eſt. qua de re cũ de imaginatrice facultate diſſerendum à nobis erit, nec pauca, nec, vt ſperamus, vulgaria in medium proferemus. Illud tamen non negauerim, quod ſapienter, ac ſæpe ab eodem Galeno memoriæ proditum eſt, & à Græcis, Arabibus, Latiniſq; medicis confirmatum; corporis cruciatibus, atq; doloribus animam quoque, vt ita dixerim, ſauciari. quoties enim in phrenitide, in peſtilentibus febribus, in atræ bilis intemperiijs, cùm vel calidiore, vel nimis denſo, atq; incompoſito, vel graui, ac turbulento veluti fumo cerebrum afflatur, ita anima cùm oculis elangueſcit, vt nec alios internoſcat, nec ſui ipſius recordetur ęger? Contrà verò, tanquam corporis imperatrix anima, ita cumlibet illud agit, ac verſat arbitrio ſuo, vt illius valitudinem quodammodo habeat in poteſtate. Teſtatur non vno in loco Galenus, perturbationibus animi maximam vim ad corporis ægritudines, velut è longinquo, arceſſendas, inditam eſſe; & ſe non aliam ægrotis medici-

Vide Dionē Cryſo. orat. 3. de Regno præclare ad hæc rem. Ariſt. Phiſiog. init. & c. 4 & Iſidor. Peluſ. l. 4 epiſt. 125

nam

nam adhibuiſſe non rarò, quàm vt affe-ctiones incompoſitas, & efferueſcentes rationis lege compeſcerent.

Vide Prater Mythologos, Cælium Calcagninū in Anterote, ſiue de mutuo amore.

Venerem ingenioſo planè commento, fingit Porphyrius, Erotem genuiſſe, pulchrum oppidò puſionem, & qui matrē elegantia formæ, ac pretio venuſtatis argueret. Themidis tamen oraculo monita Anterotem edidit, amorem amori omni ex parte germanum: tanta autem in fratribus conſenſionis, ſeu ſimpathiæ vis fuit, vt altero creſcente creſceret alter, ægrotaret ægrotante, decumbente decumberet, moriente moreretur. Corporis atq; animæ ſimulacrum, in vtroq; amore, facile reperiemus, ſi mutuam illā morborum corporis atq; ægritudinum animæ coniunctionem, de qua Galeno duce diſſeruimus, perpendemus.

Ouid. l. 1. de arte amādi.

Palleat omnis amans, color hic eſt aptus amanti.

an non ab anima corpus aſpergitur, vt ex animę incēdio in vultu ſuperſit cinis?

Virg. 2. Aenei.

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, & vox faucibus hæſit.

Vide integrū opuſculum Aloyſ. Luiſii, de compeſcen.

an non rigor ille capitis, & vocis interclusæ ſilentium, timentis animæ tyrannidem loquitur? Priuigni arteria, nunc ad naturæ modulos attemperata, nunc ſine lege ſubſiliens, an non ab adoleſcentis anima, nouercæ vel abſentia, vel pręſentia

ſentia perculſa commouetur? Quæ omnia cùm ad trutinam ſedulò reuocanda ſint, vbi de ſingularibus affectionibus diſputatio inſtituetur, illud in præſentia ſtatuiſſe ſufficiat. Corpus animæ ad perturbationes excitandas, rerum ſimulachra, ſanguinem, ſpiritusq; ſufficere, & longam ægritudinum iliadem cum illa communicare. Animam contra, imaginatricis excitatam vi, ſanguinis, ac ſpirituum ſatellitio corpus aggredi, ac cõmutare: ex qua rerum viciſſitudine multa in poſterum, eaq; præclara, inter diſſerendum, à nobis problemata explicabuntur.

animi affectibus per moralē philoſ. & medendi artem.

Vtrum animi mores certis corporis ſignis internoſcantur,
Hoc eſt de Phyſionomia in vniuerſum.

DISSERTATIO QVARTA.

SPeculum Veneri ſacrum, inter ineptas muliebris mundi delicias ſolitum numerari, cum literata priſcorum fama noſtrorum temporum oculata conſuetudo conſentiens, ſatis illuminatè declarat. Si quid enim eſt, quod ad extorquendã mortalium fidem ſub aſpectum cadat, & quodammodo incurrat in oculos, ſpeculum illud eſt, cuius conſilia tum demum

ad veritatem propiùs accedere iudicantur à fœminis, cùm magis oculis placuere, quàm menti. Conſulitur illud, vt alicubi quæritur Tertullianus, tanquã oraculum de pulchritudine: omnia veluti Phœbades curioſè ſcitantur oculi, expectatæ & ipſi pars optima fœlicitatis: voti rea ſiſtitur fœmina, decretoriã vocem de muto tripode relatura; digniſſima vel hoc nomine quæ fallatur, quòd vitream planè gloriam, hoc eſt fragilem, ac ſemper contabeſcentem aucupatur à ſpeculo. Prçclariùs Socrates, atq; Pythagoras, generoſum, ac maſculum Philoſophantium par, in ſapientiæ inſtrumentum, ac cenſum ſpeculum retulere, vt Plutarchus, atq; Laertius prodiderunt: illud ſubinde, adoleſcentum præſertim oculis ſubijcientes, vel monitorem verecundiæ, vel virtutum cotem, vel ad excolendam animi pulchritudinem inuitamentum. Vſq; adeò à falſis etiam rerũ imaginibus vera in nobis ſpecies virtutis effingitur; & ad vmbris lucem mutuari licet, dum cœcutire ſpontè non libet. Verùm vt cauſæ à viris doctiſſimis afferantur idoneè, quamobrem in ſpeculum intuentes officij admoneri ſe putent, grauior illa certè, & congruentior veritati videtur, quæ à Galeno, Plauto, atq; Apuleio prætermiſſa, à Seneca indicatur

Tertul. lib. de velãd. Virgin. c. 12.

catur potiùs leuiter, quàm exponitur. *Inuenta ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe noſceret*, inquit in quæſtionibus naturalibus Seneca. Grandia polliceris ò Aulicorum ſapientiſſime, atq; præclara, & vereor, vt promiſſa cum fide repræſentare nobis repoſcentibus poſſis. Quid enim? notitiam ſui, tam arduum, quàm neceſſarium generis humani bonum, è cęlo, vt inquit ille, delapſum, & magnificè pro templorum foribus inſcriptum: tu in obiecti contemplatione ſimulachri tam facilem, obuiamq; nobis obtrudis, vt ad eam comparandam oculos in ſpeculum conieciſſe ſufficiat? Nimirum Phyſiognomorum artem appellat hic locus. Monemur enim, certiſſimam ex totius oris caracteribus, latentium in animis ægritudinum fieri coniecturam, idemque apud Senecam eſſe ſpeculum intueri, atque proprias animi perturbationes, prauaſque propenſiones, ex ſui vultus meditatione rimari. quo de argumento, cùm me diſputaturum in prima ſtatim congreſſione receperim; hodiernę diſſertationis argumentum eſto, vtrum latentes animi morbi certis corporis ſignis internoſcantur.

Cor hominis mortalibus inſcrutabile, vnius Dei oculis expoſitum eſſe, dictum olim accepimus à viro, cuius ora- *Hierem. 17.*

cula non tam probamus; quia vera, quàm quia diuina veneramur; atqui miſerabilis omnino fuiſſet conditio societatis humanæ, ſi abditos pectorum ſenſus, odio quandoque in mutuam perniciem armatos, tanquam collocatos in inſidijs latrones, timere ſemper, nunquā explorare potuiſſet. Æquiſſimum ergo fuit, certa indere corporibus quaſi ſymbola, quibus decernere de animis, cognita veluti cauſa, liceret. Si enim gentilia quædam ſigna in poſteris impreſſa diuinitus, ad notitiam ſtirpium legimus in annalibut, vt Seleucidarum ancora, lancea Draconteorū, Pelopidarum ex ebore humerus, apud Dionem Chryſoſtomum, atque Sineſium patefaciunt: immò verò ſi naturæ conſtant æmulatrix ars, teſſeras excogitauit, Cæſaris Venerem genetricem, Pompeij Herculem, Larem Marij, Apollinem Delphicū Syllæ, Antiochi ſanitatem, quibus & militem imperator, & imperatorem miles, & ſocium ſocius, perturbatis etiam ordinibus, recognoſceret; an non decuit animorum veſtigia, & caracteres ita in corporibus expreſſiſſe, vt feneſtra illa Socratica non indigeret genus humanū, quia veluti admiſſo in viſceribus ſole, & opaca mentium caligine rareſcente, in retruſis etiam pectoris anfractibus nuda

De his vide Lipſiū de militia Romana l.4. Dialog. 12 hoc eſt vlt. in fine & God. Steuuec. ad lib. 2. Veget. c. 7.

veritas cerneretur? Nimirum verè potiùs quàm tragicè in Medea cum Ioue rixaretur Euripides, quod cùm indicia ad aurum explorandum mortalibus, diuino beneficio non deſint, deeſſent tamen ad inueſtigandas hominum voluntates.

Patet ergo per corporis notas, quaſi per rimas, ſi non oculis, certè menti traiectus ad animum. Statutum id non ſemel accepimus à ſummis philoſophantum capitibus, Pythagora, Socrate, atque Ariſtotele: receptum autem apud medicorum principes Hippocratem atque Galenum; probatum ab hiſtoricis elegantiſſimis Plutarcho, Philoſtrato, Suetonio, atque Laertio; & quod caput eſt, grauiſſimo ſacrorum codicum teſtimonio confirmatum: quorum omnium ne ſententias vobis in aceruum congeſtas obtrudam, facit conſuetudo, quam in meis diſſertationibus adhibendam decreui, quædam ſcilicet ſeligendi, non adeò peruulgata, atque omnium oratione contrita.

Proclus in Alcibiad. 1. Ælian. l. 2. var hiſt. Panegyr. Conſtant.

Vide Menochium in Hieropolit. l. 2. c. 30. n. 8.

Argumenta porro, quæ ad hanc coniectandi artem fulciendam adhibere ſapientes ſolent, vt numero varia, ita pondere diſſimilia cenſenda ſunt. Eorum ego aliqua curſim, & propemodum enumerans delibabo: vos ſingula diligen-

tiùs, pro veſtra prudentia perpendetis. Et primò quidem Galeni ſententiam, à me ſuperioribus diebus, ex hoc eodem loco reiectam, iterum non exagito, illud attigiſſe ſufficiat, ſi anima humana nihil eſſet aliud, quàm corporis temperatio, quæ recepto iam apud medicos vocabulo complexio nominatur; adeò facilis eſſet de hominum moribus coniectura, atque oculos aperire, vel claudere. Semel etenim inſpecto colore, qui ex diuerſa tum ſanguinis, tum cæterorum permiſtione humorum, in corporibus efflorescit, ipſa quodammodo anima cerneretur. Verius ergo, atque ſapientiùs opinantes, Galeni quidem documenta non reſpuunt, ſi falſam illam de anima opinionem excipias; immò perturbationes animorum, ac mores, à temperatione proficiſci, vltrò fatentur, niſi libera hominis voluntas obnitatur, & naturæ impetum virtutis ſoliditate debilitet. Atqui cùm varia corporum temperatio, ex varia item tum elementorum, tum humorum permiſtione naſcatur; ex hac autem facultatum vires (qualitates appellant philoſophi) vel acuantur, vel retundantur; hinc procul dubio fit, vt cognitis qualitatibus, elementa primùm, atque humores internoſcantur, ex quibus deinceps perturbationum, morùmque

que notitia, conuerſo ordine, ſed tamen quaſi per gradus eruitur: qualitates verò ita in corporibus apparent, vt ſola ſenſuum teſtificatione prodantur. Præterea; licet anima in ſanguine collocata non ſit, quicquid apud Marcum Tulliũ, atque Lactantium opinetur Empedocles (cuius in ſententiam Poeta fortaſſe diſceſſerat, cùm dixit:

Purpuream vomit ille animam,) *Virg. 9. Æneid.*

illo tamen dum operatur, tanquam adminiſtro tam neceſſario vtitur; ita ſpiritus, puriſſimo, ac maximè tenui ſanguinis flore conflatos, cogitur adhibere, vt quicumque à ſanguinis, atque ſpirituum in ſingulari homine conditionibus, eiuſdem mores vel[illegible]bationeſque colliger[illegible] lit animus, non aberraret. [illegible] nobiles olim huius artis interpretes, poſtquam naturæ arcana ſedula peruestigatione vehati eſſent, opinionẽ illã altiùs imbibiſſe, vt certos eſſe in anima caracteres crederent, quibus ex æquo certa in corporibus ſigna reſpondeant. Cùm enim anima ideò condita ſit, vt corpori vitam impertiens, hominem ex vtroque perficiat; quemadmodum hæc anima huic tantùm corpori congruit, ita huic corpori quædam ſymbola à rerum natura ſunt indita, quæ huius, non alterius

mæ proprietates, vt loquuntur, intimas, ſentientis facultatis pateſaciunt; quod ſatis apertè libro contra Celſum primo teſtatur Origenes vbi Loxo, Polemone, Zopyroque laudatis, omnes animas habere corpora ſibi congrua, atque accommodata, eorum fretus auctoritate pronuntiat.

Vide Panegyr. ad Conſtant. fil.

Verùm vt è moleſtis Philoſophantiũ ſenticetis euadam, illud cum Ariſtotele plauſibiliter ſtatuo, in mutua corporis, atque animæ conſenſione (ſympathiam Græci dicunt) præcipua Phyſiognomicorum argumenta eſſe collocanda. Qua de re cùm luculenter vobis audientibus aliàs diſſeruerim, ad vnum illud prouoco, quod ipſa nou[illegible] Auditorum, ve[illegible] huma[illegible], animos [illegible] conciliabit. Vitream domum quadrato opere à Firmo exædificatam memoriæ prodidit Vopiſcus, ita bitumine, alijſque medicamentis ex arte illitam; vt conceptas rerum imagines ad interiora conclauia traijceret; quidquid ergo fieri à prætereuntibus contingebat, ipſe domi ſedens in parietibus otioſè contemplabatur; quod & in Domitiani Cæſaris porticu apud Suetonium: & in Fortunæ Seiæ, templo, apud Plinium phengite lapide diſtinctis, vſu veniſſe crediderim. Ma-

gnum

gnum profectò artis ſimul, & naturæ miraculum. Corpus humanum animæ domus eſt, qua veluti diuerſorio vtitur dũ adhuc peregrinatur. Vitreum illud, an lapideum appelles, ex apta, aut præpoſtera humorum compoſitione tibi decernendum eſt. Cui enim purior ſanguis, tenuis, atque pellucidus, eius item mollior caro, corpuſque gracilius; ac proinde ingenium acutum, habile, & maximè ad diſciplinas idoneum; ſed & anima rerum contemplatrix, & huiuſmodi corpore non circumſepta, ſed circumfuſa, tam facilè obiecta rerum ſimulachra intuetur, vt ad ipſa, tanquam per vitrum, patere ſibi proſpectum ſentiat, & ad ea quodammodo egrediatur; quod ſi domicilium nacta lutulentum, inter agendum obſtupeſcat, aut torpeat, tunc enimbero *corpus*, inquit Tertullianus, *animam conſepto ſuo obſtruit, & obſcurat & concretione carnis infecat*: quæ igitur ſpes vitreæ claritatis? pergit doctiſſimus Afer, *vnde illi veluti per corneum ſpecular, obſoletior lux rerum eſt*. Diuinè ergo, vt ſemper, hominum ſapientiſſimus Salomon, *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*; & quia de corpore tanquam de animæ domo, ſed lutea, non chriſtallina loquebatur, ſubdit appoſitè, *& terrena inhabitatio deprimit ſenſum*

multa cogitantem. Hoc animæ domicilium Phyſiognomus curiosè perluſtrat; ſi qua ſe ad animæ latebras inueſtigandas via patefaciat; quod cùm forma, colore, apta partium diſpoſitione, ſanguinis perſpicuitate, ſpirituum copia, atq; ſplendore vitreum inuenit, nullo negotio de ingenio, de propenſionibus, atq; affectionibus animi diſertè pronuntiat, vt à nobis ſuo loco dicendum erit. Sin autem in corpus impingat obeſum, varium, nec explicatum ſatis, & colorum indiſcreta permiſtione confuſum, non tamen hæret in ſalebris, ſed ipſa conandi neceſſitate ſuperbior, ſolida permeat, illuſtrat obſcura, colligit varia, confuſa diſponit, donec in imo latentem, aut potiùs conſepultam animam aſſequatur.

Linceo Meſſeniorum Regis filio, adeò firmam, atq; acrem oculorum aciem fuiſſe, inter poetas Apollonius, ac Pindarus, inter hiſtoricos Pauſanias, Plutarchus, ac Plinius tradidere, vt non per quercuũ tantùm ſtipites, atq; per lapides cerneret, ſed in ipſa etiam terræ viſcera oculos penetraret, quæque apud inferos fierent peruideret. Nugæ ſunt, & credulæ deliramenta vetuſtatis. Ex certo ſtirpiũ, atque herbarum genere, ex telluris notis, ac ſignis, ingenium, atque indolem ſoli, Linceus conijciebat; hinc eruta primum

Vide Martin. Delr. diſquiſit Magic. l. 1. c. 3. q. 4 & Comment. in Medeam Senec.

mum metalla latentibus fodinis ex terræ facie feliciter, & planè phyſiognomicè patefactis; ita vetus Caſſandræ Scholiaſtes interpretatur. atque hoc argumenti genus ad occultas fontium ſcaturigines deriuandas; Paulo Æmilio in Perſeum, Pompeio in Mithridatem pugnantibus profuiſſe Plutarchus eſt autor. Phyſiognomus non aurum, aut aquas in terræ viſceribus, indicijs ſponte fruticantibus, indagat; ſed ægritudines animi, eiuſque propenſiones, ex ſola corporis inſpectione rimatur. Quæ conijciendi ratio tam efficax ſemper eſt habita, vt Pythagoras adoleſcentes, qui ſe in eius diſciplinam conferebant; Cæſar in ſuam perniciem conſpirantes; Nazianzenus Iulianum religionis deſertorem, Zopyrus Socratem fruſtra deridente Alcibiade; Titum, ac Britannicum Metopoſcopus neſcio quis; milites demum Vegetius, ad primum militiæ tirocinium admittendos, corporis habitudine, atque oris caracteribus metiri ſoliti fuerint; rectè enim affirmauit Ambroſius, *mentis habitum in ſtatu corporis cerni, cùm virum ex viſu, & ab occurſu faciei ſenſatum cognoſci*, docuerit Eccleſiaſtes.

Ælian. l. 2. variarum hiſtor. Plutar. in Cæſarem. Naziã. oratione 3. & 4. & in eum Elias Cret. Cic. li. de fato. Sueton. in Tito Flau. init. Veg. l. 1 c. 6.

Inter illuſtria Indorum inſtituta, quibus ad omnem honeſtatem populorum mores conformabant, illud mihi memo-

ria dignum ſempiterna viſum eſt; quod à Phraota Rege Apollonius apud Philoſtratum didicit. certos, & quidem ſapientiſſimos ex vniuerſo ciuium ordine ſeligebant, qui prope Hypaſim fluuium, adoleſcentes Philoſophiæ candidatos, primò in quæſtionem de maiorum aut ſceleribus, aut virtutibus vocarent; quibus ſi labem nullam adhæſiſſe compertū eſſet, tunc in ipſius adoleſcentis mores diligenter inquirerent. Huius autem quæſtionis teſtes; & quidem oculatos, ne dum idoneos, ſuos ipſi primum oculos iudicabant; accuratè igitur adoleſcentes, & curiosè luſtrabant. *Oculi namque* (verba ſunt Philoſtrati) *mores hominum indicant: Multa etiam in ſupercilijs, geniſque poſita ſunt, ex quibus ſapientes, & naturæ periti, imagines veluti in ſpeculo aſpicientes, quæ mens illis, quodve ſit ingenium contemplantur.* hactenus Philoſtratus. Atque ita ſenſim in ſpeculum iterum impegi, quod vobis ipſo meæ diſſertationis exordio propoſueram; quod cùm Phyſiognomo imaginem offerat ſui, ad animi notitiam comparandam, vtinam nullo perturbationum frāgatur impetu, nullo voluptatis temeretur afflatu. Tarentinum neſcio quem narrat Ariſtoteles, infirma, atque hebeti oculorum acie fuiſſe; qui tamen cùm am-

Vide Petr. Vict. l. 25. var. lect. c. 22.

bu-

bularet, antecedere ſimulacrum ſui obuerſo in ſe ore continenter videret. Fortunata oculorum debilitas, Aquilis omnibus acrior, atque conſtantior; quæ ad aliena cęcutiens, ſuas ipſa tenebras explorabat. an tanti fuiſſet oculos, veluti emiſſarios, atque alienæ pulcritudinis prædatores, longè proijcere, vt domum ex vaga peregrinatione redeuntes deficerent, nec proprias animi turpitudine cernerent? Fruſtra ille ſibi oculos eruit, qui vmbras à frontis luce, ingenio inter philoſophandum offundi metuebat; noſter hic Tarentinus veram philoſophandi artem felicius in oculis ſitam eſſe didicerat, quos ſemper habuit in imaginis ſuæ meditatione defixos: quam aſſiduè ille etiam intuebatur, qui dixit: *Anima mea in manibus meis ſemper*. Et quoniam apud Hypaſim fluuium Indorum adoleſcentum indoles explorabatur, hoc eſt ad ruſticum ſpeculum, de quo elegantiſſimus Paſtor,

Vide Plutar. de curioſit.

Pſalm. 118.

——nuper me in littore vidi
Cùm placidum ventis ſtaret mare.

Virgil. Bucol.

illud autem ad morum inſpectionem, & coniecturam accommodatum Salomon Prouerbijs in falſus eſt; *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*, peruidendum etiam atque etiam eſt, ne

Eccl. 2.

falſis rerum imaginibus illudamur, venenum in pharmacis delibantes. Narciſſus ſanè in hoc vndarum ſpeculo, formam, quam amauerat, perdidit; & æquũ fuit, vt qui à ſui notitia ſuperbiam hauſerat, non modeſtiam, in fonte flammas biberet, non liquores.

Ouid. 3 Metamor.

Hæc habui, quæ in vniuerſum de Phyſiognomicorum arte diſſererem, peculiares autem notas tunc vberiùs explicabo, cùm de peculiaribus affectionibus agetur. Statim verò de vultus humani partibus ad animi perturbationes indagandas diſtinctè tractabitur.

De perturbationum, ac morum coniectura ex vultu;

DISSERTATIO QVINTA.

QVI Palladem ſapientiæ præſidem è Iouis capite ſecuris ictu diffracto proſiluiſſe nugantur, næ illi, vt arbitror, inſaniunt operosè; truces potiùs carnifices numinum, quàm artifices fabularum. Nimirum inauſpicato illo obſtetricandi genere, cruentam nobis ſapientiam obtrudunt, è patris vulneribus emicantem; vt tum primum ſapere incipiat genus humanum, cùm Iuppiter fabulatorum intemperijs ſauciatus, capite luit conceſſa mortalibus munera diuini-

Vide Luciã. in Deorum Dialog. & Gal. 3. de decretis Hippoc. prater Mythologos.

tatis.

tatis. Bacchi prodigia non commemoro, (qui vt è tenebricoſo materni ventris ergaſtulo adhuc immaturus erumperet, natalis luce fulminis indigebat) ſed ſuem apud Martialem, apud Philippum canem, Leænam apud Auſonium, per vteri vulnera à venatoribus temere impreſſa, viam fœtibus aperuiſſe fortunę ludibrium fuit; quod in Iouis caput tam conſtãter, ſerioq; transferre, hominis eſt, nimis inſipiẽter in inueſtigatione ſapiẽtiæ delirantis. Sapientiã ego Dei munus, ac prolẽ eſſe ſempiternã non nego: illud confidentiſſimè nego, è diuini capitis ſacrario eruendam per vim; perinde quaſi queadmodum fulmina, niſi vulneratis, vt ita dicã, nubibus, non intermicant, ita ſapiẽtia integro Dei capite, cũ mortalibus communicari nõ poſſit. Qua de re, vt ſine piaculo differentes, à ſacris tanquã prophani non iubeamur exeſſe, æternam illã rerum omniũ molitricẽ ſapientiã veneremur, non attingamus; obductiſque cęli adytis, iocularia, atque factitia numina vetuſtatis aggrediamur ex æquo. Vnicuique mortalium caput ſapientia fœtum, & graue perinde, ac Ioui eſt. Ad prolem tamen è latebris educendam nullis ſecuribus in cerebrum adactis, Ioue feliciores indigemus. Molliùs cum hominum genere actum eſt, tantumque

Pind. Olymp. Od. 11. Ouid 3 Meta. &c.

natura indultũ mortalibus voluit, vt ſola oculorum obſtetricatione, in hanc lucem euocare ſapientiam poſſint. Struthiocamelum pullos ſuos obtutu tantùm ab ouis excludere ſolitum, multorum conflata mendacijs fama teſtatur. Somnia ſunt atque imperitæ deliramenta multitudinis: miræ etenim magnitudinis auis, ac penè implumis, oua, quæ fouere non poteſt ipſa per ſeſe, calentibus arenis obtecta, vitali ſolis lumini alenda permittit; locumque ſubinde contemplatur, in quo cum pullis amor etiam, deliciæque parentis nidulantur. Vnis hæc prodigia Phyſiognomis natura cõceſſit, vt efficaci oculorum in alienum caput conie&u, ſapientiam inde eliciant deliteſcentem, cuius oraculo intimos animorum mores, retruſas pectorum perturbationes, arcana cordium ſenſa rimantur. *Sapientia enim hominis lucet in vultu eius*, inquit Eccleſiaſtes. Videtis iamdudum opinor, quò collineet oratio mea. extrema ſiquidem diſſertatione de Phyſiognomia egimus in vniuerſum, ſtatuimuſque ex totius corporis habitu, ſatis certam de hominũ moribus elici cõiecturam. Quia tamen eximijs, ac diuinatricibus dixerim, an diuinis? naturæ teſſeris, caput, eiuſque partes leguntur inſcriptæ; vnde ſingularis, ac maximè

Refert Cauſi. parabo. hiſt. l 5 parab. 105. ex Plin. l. 9 c. 10. ſed apud Plin. ne verbũ quidẽ.

pro-

propria Phyſiognomiæ pars,quæ Metopoſcopia dicitur,dimanauit; admirandū nos etiam diuinæ manus opificium accuratiùs contemplemur, vt dum *ſtultus in tenebris ambulat, ſapientis oculos in capite eius eſſe*, quod Salomonis effatum fuit,experimento diſcamus.

Qui rerum hanc vniuerſitatem, quam mundum dicimus,cum humani corporis ſtructura ſtudioſè contulerunt, vt cætera omnia diligentiſſimè perſecuti ſint,in eo certè induſtriam deſiderari patiuntur ſuam, quòd diuinandi artem in vtroque mundo perſimilem,in minori meliorem, miſere. cœlum etenim,volumen ingens, ac bene doctum, grandioribus ſiderum caracteribus inſcriptum, diſciplinam cōtinet, non tam veritate commendatam, quàm curioſitate vendibilem: cuius beneficio,ſeu potiùs veneficio, credula natio diuinatorum, fata mortalium ambitioſè diſpenſat. Humanum caput contractum quidem cœlum, ſed luculentum eſt, ſuumque ſolem, ſua ſidera nouit, quorum fatidico lumine, abdita pectorū prudentioribus recluduntur. Neque hic ego rectas ſex frontis lineas, ſeptimam triplici angulo definitam commemoro, quas ſeptem inerrantibus ſtellis reſpondere, vulgares Meotpoſcopi fabulantur; illud potiùs animaduerto, à ſapien-

Ita illud appellat Plin. lib. 11. c. 37. de capitis excellentia, & principatu multa congerit Tiraquel. ad l. 2. Alex. ab Alexan. c. 19 quē cōſule.

pientiſſimis philoſophantium graues in medium afferri cauſas, quamobrem cœli nomine caput humanum nobilitatum ſit. Et primò quidem; quia rationalis, ac diuina pars hominis ancillantibus imperans facultatibns; tamquam numen regnat in capite; æquiſſimum viſum eſt caput appellatione cœli cohoneſtari; vt non ſemel ſomniator obſeruauit Artemidorus, & illo non paulò præſtantior autor Calcidius Platonici Timæi doctiſſimus Scoliaſtes. Nec leuis hac ſuper re cenſenda eſt Euſtathij coniectura; is enim primum Iliados librum enarrans, caput ideò cœlum à priſcis appellatum interpretatur, quod ad illius ſimilitudinem compactum, locum in corpore nactum ſit, quem in maiori mundo cœlum, corporum omnium nobiliſſimum ſortitum eſt. Atque huc Ægyptiorum commentum arbitror referendum, qui Serapidis ſimulachro, in humanam ſpeciem efformato, cœlum capitis loco impoſuerunt. Venerabile, ſacrum, atque adeò diuiniſſimum in homine caput eſt, vt Plato in Timæo, Ariſtoteles in Problematis docuerunt; ſiuè quòd iuſiurandū per caput concipiebatur à priſcis, quod diſcimus ab Athenæo; ſiue quòd in ſolo capite, ac vultu totum hominem eſſe opinabantur, quod memoriæ prodidit Apu-

Vide Cælium lib. 2. c. 18. & l. 3. c. 23. & l. 14. c. 38. & alibi. Spondan ad lib. 1. Iliad. Homeri Artemid. Onirocrit. l. 2 c 38. Vide Pieriū in hierol. l. 22. c. 4.

Apuleius. atque hæc potiſſimum ratio impulit Metopoſcopos, vt in vnius contemplatione capitis, ac vultus, artis ſuæ fundamenta collocarent. Si enim inter Iuriſconſultos peritiſſimus Paulus, de funeribus diſputans, eum locum religioſum videri, ait, in quo non integrum cadauer, ſed caput conditum ſit; eo videlicet nomine, *quòd caput*, inquit, *eius imago fiat, & inde cognoſcamur*; ſi ſola Principum capita, ac ductos ære, vel marmore vultus, veluti numina coli ſolita legimus in Ambroſio, an non ex capite de animo, eiuſque moribus Phyſiognomus iure decernet, cùm caput animi totius ſimulachrum ſit? ſed ne à cœli imagine diſcedamus, præit illud Phyſiognomo admirandum in modum, ad diuinationẽ perturbationum; & ſtellis pictum, & ſideribus interſtinctum. Nam primò quidem facies, præcipuum humani cœli ſidus, ex pluribus in vnum coaleſcentibus ſtellis mira arte conflatum, quas animorum latebras non illuſtrat? quæ pectorum arcana non prodit? *Ex viſu cognoſcitur vir, & ex occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus*. Medicorum antiſtes Galenus, in humani corporis fabrica ſolertiſſimũ naturæ ſeſe oſtentantis ingenium admiratur: quemadmodum enim primi nominis artifices, præter opus inſtitutum,

Vide M Tul. 3. de Orat. & de petit. Conſul. Plin. l. 11. c. 37. Eccleſiaſt. c. 19.

at-

atque palmare, ad artis lenocinium quædam veluti parerga conficiunt ad ornatum, vt in columnis corymbos, in gladiorum capulis emblemata, atque ſigilla, in quibus quanta, quanta eſt opificis ſeſe effundit, ac iactat induſtria; ita rerum omnium natura machinatrix, cùm nullam humanæ fabricæ partem illaboratam, ac ſine rithmo compoſuit, tùm faciem præcipuè delegit, in quam artis ſuę theſauros, copiaſque congereret. Si hæc ad naturæ laſciuientis ornatum amplificandum à medicorum præſtantiſſimis excogitantur; eleganter mea quidem ſententia dicuntur, ac ſplendidè. at ſi eò referuntur, vt humani vultus cæleſtem, prorſuſque fatidicam vim exagerato loquendi genere patefaciant, vereor ne ieiune nimis, ac leuiter Galenus in argumento verſetur. quid enim? an temerè ſapientiſſimus naturæ magiſter Deus, in hominum facie notas illas animorum indices explicauit? non magis quàm in cœlo ſtellas; quæ vt extimam ſupremi mundi faciem interſtinguant, atque ornent, neſcioquid tamen ad vtilitatem fructuoſius mortalitati propinant, dum eam in abditarum rerum notitiam, tanquam in diuinitatis penetralia deducunt. Nobile olim apud Hebræos diuinationis genus in ſacris literis legimus,

&

& priuatim, & publicè commemoratum; pars erat pectoralis tunicæ ſacerdotis, opere quidem multiplici diſcriminata, ſed quaterno præcipuè lapidum ordine ita conformata diuinitùs, vt vel eorum ſubita illuſtratio, aut hebetatio, vel commutata in literarum ordinem diſpoſitio oracula conciperet; ac conſulentibus funderet, hinc tanquam mente, & ratione prædita rationale iudicij dicebatur. Hominum vultus rationale illud eſt, coniectoribus opportunum, cuius fatidicas notas, hoc eſt pretioſos ſacerdotis lapides, dum Phyſiognomus contemplatur, ea in ſingulorum frontibus legit, quæ altiùs in pectoribus deliteſcunt; præclarè enim poeta inter noſtrates elegantiſſimus.

Il cuor negli occhi, è ne la fronte hò ſcritto. quare *facies homini tantùm*, inquit curioſus naturæ interpres Plinius, *cæteris os, aut roſtra; frons & alijs; ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeueritatis index.* Obuerſatur adhuc oculis gemina illa theatri lux, quã ſuperioribus diebus, ſiue in Sueuorum Principũ funeribus, ingenioſis nobilium adoleſcentũ dolor tragicè nobilitauit; ſiue in ludicro etiam argumento ingenium lepidiſſimi poetæ Nymphis canentibus addixit; atque ex ea recordatione ſuboriri mihi in ani-

De qua in Exo. c.27. & alibi. vide Salian. in annalib. Eccleſ. vet. teſtam. ad annum mundi 2504. an. 545 vſque ad nu. 553. Vide Plutar. de ira cohib. Latin. Pacat. in Panegyr. ad Theodoſ. Cic. pro Piſcio Comœdo.

animo ſentio, neſcioquid arcanum, ac nouum, quod cogitationem tamen à vultus humani diuinatione non auocat. Mimum hic agimus. AA. Mortalium vnuſquiſque perſonam, quam diuino conſilio ſemel induit, exuere in hac vitæ fabula, niſi, noua illi diuinitùs imponatur, non poteſt: ad extremum actum vbi cum laude peruentum eſt, reducto ſipario plauſus merentem ſequitur, immeritum ſibilus explodit. Atqui decantatum iam, atque protritum apud Philoſophantes, genus imaginis, tanquam nouum vobis obijcio. Audio; nondum enim, quò digitum intenderam progreſſus ſum. Mobile nos ipſi, ac viuens theatrum inuicem ſumus: ſcena vnicuique explicatur in vultu: actores prodeunt ægritudines; ſpectacula ſæpè edimus luctuoſa, atq; feralia, doloribus anxij, perturbationibus agitati; ſępè voluptatibus frangimur, atq; lætitia geſtiētes, comicè, hoc eſt intēperanter vultus deformamus in riſum. Nec aliò fortaſſe reſpexit Apoſtolus, cùm ſuam ſimul, ac ſociorū conditionem disertè declarans, *Spectaculū*, inquit, *facti ſumus Deo, Angelis, & hominibus*; quę verba licet ad beſtiarios referēda eſſe Tertullianus exiſtimet, ad fabulam tamen, qua de loquimur, Chryſoſtomus opportunè detorquet; aitque *theatrum*

Epiſt. 1. ad Corinth. c. 4.

facti

facti ſumus Deo, Angelis, & hominibus; Diligentes igitur, ſpectatores in hanc vultus Scenam continenter intuentes, ex varijs actorum geſtibus, hoc eſt ex diuerſis perturbationum veſtigijs, quid intra proſcenium lateat, quæ ſcilicet in pectoribus affectiones animi debacchentur, non minus verè, quam ingenioſè diuinant.

— in vultus dolor
Proceſſit omnis,

de Dianira apud Senecam Nutrix.

Nec vnus habitus durat, aut vno fuerit
Contenta vultu: nunc inardeſcunt genæ,
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes,

Et ne mutos in ſcenam produxiſſe videretur actores, de eadem Chorus hæc habet,

— licet ipſa neges,
Vultus loquitur quodcumque negas.

Sed præceps iterum è cœlo delapſus ſũ; quòd ſi caſus ita innocens fuit, vt ad nouum adhuc iter reſeruer, humanitatis indulgentia veſtræ eſt, non fortuna temeritatis meæ: molliſſimo etenim illius receptus ſinu foueri poſſum, collidi non poſſum. pennis igitur non homini datis viam redordior, & cùm capitis cœlum vultuſq; ſidus hactenus deſcripſerim, in nubes ſuperciliorum, de quibus Horatius,

Deme

Hor. l. 1. ep. 18 *Deme ſupercilio nubem*
volens,nolens impingo;quarum obiectu quia ſolem, lunamque ſentio laborare; dabitis mihi hanc veniam, vt funeſtam callginem ab oculis depulſurus hæream, tantiſper in tenebris, amator potiùs luminis, quam contemplator; Supercila ſuperbiæ arcus, quibus non tam promerita fulciuntur, quam triumphat ambitio,animi affectiones non excipiunt, ſed ſuſpendunt. altis hiſce, abruptiſque vultus partibus,vt ait Plinius, tanquam rupibus affixæ proſtituuntur, ac pendent. Illis Phyſiognomus arrogantiam, mœrorem, hilaritatemque metitur; inde ad geminum humani cęli aſtrum,oculos videlicet, bene ominata tranſitione delabitur; quos ne ſtellas, vt delicias poeticè facerem videar appellaſſe, teſtem dabo ſatis,opinor, locupletem Ambroſium,in ijs libris, in quibus primam huius vniuerſitatis molitionem ſex diebus ab initio definitam, Baſilium æmulatus, eleganti ſtilo perſequitur; *quod ergo ſol, & luna in cælo, hoc ſunt oculi in homine; ſol, & luna duo mundi lumina, oculi autem quædam in carne ſidera fulgent deſuper.* hæc autem ſidera mirum quantum ad explorandos animos momenti Phyſiognomis afferunt; hæc enim *eſt vna pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot* ſigni-

vide Pet. Victor. var. lect. l. 16. c. 14.

Vide Petr. Vict. li. 8. var. lect. c. 1

ſignificationes, & commutationes poſſit efficere, inquit in tertio de Oratore M. Tullius; *oculos enim natura nobis, vt equo, & leoni ſetas, caudam, aures ad animorum motus declarandos dedit*; in hoc etiam Dioſcuris ſidera fauſtiora, quod illi malaciam imminentem, hæc tranquillitatē ab affectionum temperatione, tempeſtatem ab ſæuitia portendunt. Quòd ſi dum de gemino frontis ſidere loquimur, appellatione ſolis abſtinendum cenſetis, quia vnicus, atque adeò ſolus eſt ſol, à Pythagoræ vt opinor ſententia non aberrabitis; qui vt apud Laertium legimus ſolis ianuas oculos nuncupauit. Sol igitur animus erit, qui quoties extra ſe ſtatuerit egredi, affectionum quadriga, quam Platonis artificio alias compoſuimus, alte ſubuectus, per oculorum ianuas viam ſibi pateſaciet, atque conſternet: quod temerè fortaſſe dictum, quis arbitraretur, niſi præſto eſſent liquidiſſima Quintiliani verba dicentis *per oculos maximè animus emanat*.

In Achaia ad Cereis delubrum oraculum deſcribit Pauſanias, fide maiore, quam nomine; inter cætera, quæ ſacris operaturi adhibere neceſſariò debebant, ad Numinis reſponſa poſtulanda, vbi odores Deæ adoleuiſſent, inſpicientes in ſpeculum, ex imaginibus, periturus ne,

an victurus æger eſſet, diuinabant. Phyſiognomus arcana ſcitatur oracula: mortalium vnuſquiſque ægritudine detinetur; perturbationes enim animorum omnibus inſitæ ægritudines à Philoſophantibus rectè dicuntur. In oculorum igitur ſpeculo, læthali, ne an facili laboremus morbo coniectat, & ſic de vita, aut de morte decernit. Nec abire longiùs me ſinit deplorata amiciſſimi capitis ægritudo, quæ quoniam immaturo nimis funere doctiſſimi viri decora anteuertit, diſſertationis quoque meæ filum immaturè præcidit, vt ægritudinis, ac mortis nomina poſtremò compellem, quarum imagines in animo luctuosè circumfero.

In Hieronymi Aleandri funere extemporalis eiulatio.

DISSERTATIO SEXTA.

QVAS ego de affectionibus animi diſſertationes, annua ſtudiorum inſtauratione ineunte ſuſceperam, eas ipſis animi affectionibus exigẽtibus, intercidi, ſummoperè doleo AA. Optandum ſiquidem erat, vt qui ad aliorum ægritudines perſanandas, remedia in Philoſophantium myrothecijs ſtudiosè conquiro, tentatæ (vtinam & non pro-

proſtratæ) valetudinis meæ argumenta non proderem. Verùm quia omnis mortaliũ virtus debilitate vallatur, ita fatis iubentibus contigit, vt doloris viribus impetitus prius caderem, quàm caſus pericula præuiderem. Nimirum lutum ſumus à Prometeo lacrimis maceratum, quicumque in hanc mortalitatis aleam à natura,pene dixerim nauſeante, proijcimur; hinc tam facilè liqueſcimus in ploratum: quod mihi in tam acerba calamitate vtinam accidiſſet, non importunam odiſſem animi mei firmitatem, obſtinatè de amicorum lacrimis triumphantem. Hieronymum Aleandrum,at qualem,quantumque Virum! ex hac vita abeuntem vidi, oculis vt ita dicam corneis; atque rigentibus, At ego tamen,qui rudimenta hæc infelicium literarum ad animi ſolatium adhibere conſueui, ità me hoc doctiſſimi, atque amiciſſimi capitis deſiderio afflictum ſentiebam,vt nulla me felicem efficere fortuna poſſet, nulla calamitas miſerum; vſque adeò ſita eſt in deſperatione ſecuritas; & tamen tacui. Ignoſcite importunæ animi vel conſtantiæ, vel ſtupori. Pſammenytum Ægypti principem à Cambyſe ſuperatum,& in vinculis habitum, ad amici quondam fœlicis, tunc autem ſtipem emẽdicantis aſpectum collacrimaſ-

ſe tradit Herodotus; eundem verò filij ceruicibus imminentem carnificis gladium ſine lacrimis contemplatum. Nimirum quoddam doloris genus eſt tam cruentum, atque atrox, nulla vt vultus teſtificatione prodatur. Cùm humanæ conditionis fines calamitas ſupergreditur, quaſi ius ſuum natura perdiderit, dolori imparem ſe fatetur. Amicum morientem vidi, Virum multiplici quidem eruditione, morum candore, ſuauiſſima vitæ conſuetudine, liberalitate, moderatione, conſtantia, virtutibus omnibus prædicandum, ſed in amicitiæ iure colendo tam religioſum, propoſitique tenacem, vt paucos hæc Vrbium Regina dederit illi fortaſſe pares, neminem ſuperiorem, & tamen ferreus, in tam inuiſo funere tenui lacrimas,

Ergo illudis adhuc, mẽtemq; angoribus ægrã
Sæue dolor, tacito pergis corrodere morſu?
Cur latebras crudelis amas, cur viſcera cęco
Vulnere depaſtus, nondũ eluctaris in auras?
Exere funeſtas tandem, dolor, exere vires.
Cordis & anguſto erumpens è limite, totus
In vultus, oculoſq; ſubi: tu verba querenti
Suffice, turgentes animi teſtantia fluctus.
Siccine decipior? ſic ſpes intercipit omnes.
Præuertens Libitina metum? tam ſedulus inſtat
Fatorum furor à tergo? proh flebilẽ vulgus

Mortales, furijs ſignum lacrimabile ſortis.
Scilicet ille abijt, qui me ſecum abſtulit; ille
Muſarum cultor, diuinæ Palladis hæres,
Candida, quem docto pauit ſapientia lacte,
Seu quæ Plimpeo perfundit nectare mẽtes,
Seu quæ Socraticas illuſtrat moribus artes,
Aſtreæ ſeu digna ſoror, quæ iura recludit.
Ille abijt, ſuperi vos ò rapuiſtis in aſtra
Iamdudũ emeritũ, & cælũ virtute rogantẽ.
Non equidem inuideo; quis enim cæleſtibus vnquam
Inuideat, cladeſq; ſuas ferus imputet aſtris?
Sed tamen, heu veſtras fugiens Aleander in oras,
Iuſtitium indixit Muſis, arteſque diſertas
Extulit, vt ſecum ſocia condantur in vrna.
Iam video atratæ pendentes æthere nubes,
Dulce olim lacrimis violantes agmen aquarum;
Iã qui fatidicas lãbit chorus inclytus vndas
Cigneos iterat miſerando in funere cantus.
Ipſa etiam paſſo circum pia buſta volatu
Gloria contractis mœrens ingloria pennis,
Neſcio quid taciti deſignat murmure vultus.
Sed quid ego aſpicio? ſenſim dediſcere luctũ
Incipit, & rursũ manifeſta in luce renidet.
Iã tumulo incumbens, æuiq; peroſa fugacis
Imperiũ, æternos quas iã trãſcribat in annos
Eripit, & cursũ meditatur in ardua chartas
Gloria ſiſte gradum quo te nouus impetus vrget?

Reſpicit inſigne Academiæ Humoriſt.

Siſte, nec ingenij monumenta perennia tanti
In cælum rapias, mortalibus inuida votis;
Scilicet æterno quo ſculpta adamante legantur,
Hoſtiliſque æui rabies ludatur hiantis.
Sidereis animata notis, & perlita multo
Sole, iterum nobis diuina volumina pandit
Gloria, doctrinæ præcox, & poſthuma merces.

De regionibus ſuburbicarijs aduerſ.

Aſpice Præfectus fines hinc Vrbicus vrbis,
Inde ſuburbano deſcriptos limite campos
Cedere in imperium Romani Præſulis olim
Gaudet, & Italiæ ſacras imponere metas.

Anon. Tabula Eliaca explicatio.

Cernis vt Eliaca facūdū in imagine marmor
Prouocat ingenij conantis in ardua vires?
Noctibus ò quantis vigilata volumina ſoli
Dant lucem, quam fronti adimunt, vitamque labentem (dūt?
Scribentis, ſemper victura in marmora fun-

Nauis Eccleſiæ in gemma.

At quæ gemmato mihi ludit in æquore Nauis?
Illa ne, quæ digiti vibrata micantis in auro,
Et ſcopulo pretioſa ſuo, cæleſtibus auris
Fœta, procelloſis victrix luctatur in vndis?
Illa tuo quondam dubijs emerſa tenebris
Auſpicio, puppi libros ſuſpendit ab alta,
Ingenij monumenta tui, doctique laboris;
Illa coronatas pelagi plaudentibus vndis
Aduertens proras, te vitæ marmor arantē
Excipit, & tecum ſirenum præterit oras,
Et portum ſubit æterna ſtatione quietum:

Sed nimis heu properas Aleander, corripe greſſum
Dum licet,& mæſtis ſociorũ allabere votis.
Nos tua turba ſumus, tua turba precantia iactat
Verba,heu crudeles incaſſũ iacta per auras.
Scilicet ire libet? libet ire,& cominus aſtra
Cernere,deſpectis animũq;ex tollere terris;
I,felix quocunque vocant te fata Deuſque;
Sed lacrimas tecũ noſtras,animoſq;ſequaces
Ire iube; liceat iuſtum effudiße dolorem;
Errantes liceat ventos oneraſſe querelis:
Magna voluptatis pars ſit tua corpora ſaltẽ
Triſtes exuuias, fletu lauiſſe ſupremo.
Triſtes exuuiæ,carum,at miſerabile pondus
Pondus iners,ſine mente caput, ſine nomine corpus
Accipite hos gem[illegible]
lentis;
Accipite hæc laceri ſolatia triſtia cordis.
Tu curis animũ,tu mentem conficis ægrem;
Nam ſeu nocturnas radijs ſol increpet vmbras;
Ecce iterum cum ſole dolor,cũ ſole querelæ
Immeritæ ſolis comites; ſeu porrigat vmbras
Nox tacitis inuecta rotis; vt cætera cæcis
Inuoluat tenebris, tua certè haud occulit ora.
Te te iterũ, heu qualẽ aſpicio,te nocte ſilẽti
Alloquor,amplector,deceptus imagine sõni

Hinc tecta extremi fugio male cõſcia luctus
Tecta tuis lacrimata malis, & deuius erro,
Quamq; miſer fugio mecũ circũfero, mortẽ.
Finiet hæc olim, quod conficit omnia tẽpus,
Tempus edax rerũ, vitæ cũ contrahet orbẽ.
Interea ingratæ fallam diſpendia lucis,
Et tecum ereptos lacrimis ſolabor amores.

De morum, ac perturbationum coniectura ex manibus;

Hoc eſt de Chiromantia.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DIuturnæ, ſi non longinquæ peregrinationis incommodis tandem aliquando perfunctus N. N. ne diutiùs differam vadimonium, iterum me vobis ſi[illegible] veſtræ ſpectator [illegible]atis, ſpectaculum infantiæ meæ. Ad ſum ego qui fueram ſapientiæ mancipatus, atque alio tantiſper auocatum domeſticis curis animum, ad intermiſſa reuoco meditamenta doctrinæ, tam fructuosè, vtinam, quàm libenter. Quamquam regnatricem hanc Vrbem humanorum cordium iucundè rapacem, nunquam ita, corpore peregrinante, deſerui, vt animum illa ab ſe nunquam aberrantem aliquando deſeruerit. Mecum hæc iuris adyta, hæc ſacraria doctrinarum, publicum hoc ſapientiæ domicilium,

hæc

hæc eloquentiæ templa circumtuli: in hoc etiam Stilponi par, quod bona mihi feceram, quæ ferebam. L. Cornellius Sylla aureum Apollinis ſigillum Delphis à ſe furto ſublatum, in ſinu ſemper bellaturus geſtaſſe memoratur, vt olim flagitij pretium, ſic in poſterum omen fœlicitatis. Deorum ſcilicet ocultor eximius, ne auerſum ſemel diuinum aurum ſibi elaberetur è manibus, pectori tantùm ſuo religioſum credidit furtum: & auratum potiùs, quàm auritum delegit numen, cui auaritiæ vota narraret. Romam ego vbique locorum auſpicatius in ſinu habui, teſtem amoris mei, teſſeram beneuolentiæ veſtræ: cum ea familiariter, tanquam cum Ægeria ſua Numa, ſæpiſſimè fabulabar, non de amicorũ magis fide ſollicitus, quàm de ſalute. Vindemiales interim ferias, ſine ambitu, patrio ſub cœlo, in meorum contubernio, hoc eſt in veræ non adumbratæ amicitiæ comitatu, otioſè tranſegi. Hilaritatem illam ſimplicitatis, candoriſque pleniſſimam, temporum vitio ab aulis exulantem, inter autumni delicias vrbaniſſimè ruſticantem inueni. Et ne aliquid ad vindemiæ feſtiuitatem deeſſet, conuiciorum plauſtra ab ebrioſis hominibus in me contumelioſè iactata, aut audiſtis vos etiam, aut audire ſi libuit

Plutar. in Sylla Val. Max. l. 1. c. 3.

potuiſtis, Quirites. Quæ amicorum literis ad me perlata cùm eſſent, infelici nebulonum petulantiæ vehementer indolui; quæ cùm proprij mœroris alimenta in aliena fœlicitate poſuerit, veneno paſcitur voluntario, criminum ſuorum ſimul machinatrix, & vindex. Illa ego vindemialis licentiæ iurgia, proborum hominum miſeratione digniora, quàm odio, ad autorem Eliogabalum referebam; cuius in vita cùm nihil vnquam fuerit à turpitudine, ac fœditate ſeiunctum, qui fieri poterat, vt in verbis honeſtatem, in oratione verecundiam præſeferret? Atque vtinam imitatores, nimis oppidò diligentes, hodieque non haberet ſcelerum princeps, principum ſcelus; non eſſet cur in delubris errantes potiùs, quàm orantes Sicophantarum greges, ludicram, in calumniarum ſeria commentatione operam luderent; ea temerè viris honeſtiſſimis appingentes, quorum ipſi ſupplicia, deteſtabili morum immanitate venantur. Quæ cùm ego in patria ſedulò cogitarem, tum maximè in Vrbe me eſſe ſentiebam, vbi furias illas ſola fortunæ, atque conſtantiæ ſoliditate domabiles, in me qualis qualis opinione virtutis armaueră: quas vno in vrbem reditu velint, nolint, ita compeſcui, vt nunc demum vana eſſe mendacij

Ælius Lamprid. in Eliogabalo.

ma-

machinamenta fateantur, & doleant. Erubeſcerent etiam ſi liceret, ſed quis pudor ſit illis, quorum à fronte frons abeſt? Verùm vt hæc omnia me ab vrbe nunquam digreſſum, vrbanæ dixerim an inurbanæ dicacitatis obiectu teſtata ſint, aſſidua tamen de perturbationibus animi meditatio, de quibus anno ſuperiore multa diſſerui, plura in poſterum explicanda reſeruaui, ita me in hanc aulam compellebar, vt iam tum à ſordido vindemiæ ſpectaculo, mentem ad vos, vocemq; traduceret. quod vt tunc animi ad obſequia veſtra properantis pręſagio factum eſt, ita nunc demum ex inſtituti mei ratione libentiſſimè perſequor. Et quoniam quæſitum olim à nobis fuerat, vtrum certis quibuſdam ſignis à natura deſcriptis in corpore, ad occultas animorum ægritudines indagandas via coniectoribus aperiretur; controuerſia de Phyſiognomicè vtcumq; profligata, vobis ſpectantibus, atque vt ſpero non improbantibus, manum porrigo Chiromanti.

Inter docta fœminarum deliramenta, quibus ſapere ſatyram ſuam docuit Iuuenalis, illud eruditæ genus illecebræ nō omittit. quod Chiromantes attingit,

— *ſortes ducet, frontemque manumq;*
Præbebit vati.

nimirum tam altè inſita mortalibus eſt à natura ſciendi cupiditas; tam effrenatè in diuinationem ferimur, ſpecie diuinitatis, vt intolerabili opinionis errore, veritatem ipſa vix intelligentia perceptibilem, ac ſemper lubricam, manibus tenere nos, arctèq; conſtringere ſomniemus. Lenam neſcio quam apud Plautum in Aſinaria, oculatas meretricum manus appellaſſe iam didici; hoc autem quia nullius ſequi fidem conſueuere, ſed præſenti tantùm pecuniæ, quam tangerent credere: at è manibus tam conſtanter doctrinam haurire, tanquã à libro, illaſq; identidem intueri, areolis tumeſcentes, notis inſcriptas, lineis exaratas, planetarum tum caracteribus, tum poteſtatibus deſignatas, ac proinde fatorum interpretes, hominis eſt oculos lapidibus appingentis, aut vltro in alieno lumine caligantis. Longas Regibus, atq; Principibus manus eſſe in loco docuit ingenioſiſſimus poetarũ: vere, ſed pro principum fortuna, atq; ſuperbia ſatis anguſtè. Præclariùs Seneca, vtinam veriùs, vtpotè in aula diutiùs educatus, & proximus Principi. Is ergo dum Neronis clementiam nondum in ſæuitiam degenerantem commendat, ipſum ita loquentem inducit. *Ego ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum, qui in terris*

Ouid. in ep. Helena ad Paridem.

Deorum vice fungerer; ego vitæ, neciſque gentibus arbitrer; qualem quiſque ſortem, ſtatumque habeat in manu mea poſitum eſt. Magnificè. Atqui vniuſcuiuſque mortalium manibus ſuas ſortes Chiromantes inſcribit, non aliunde à Principũ arceſſendas imperio. vtrumque ſtolidè; *in manibus enim tuis ſortes meæ*, Rex vatum cecinit, Deum alloquens, ſortis cuiuſcumque arbitrum, & artificem. Ps. 30. Quia tamen curioſa hæc natio præſtigiatorum, diuinatricem manuum inſpectionem obſtinatè propugnat, atque vbi rationibus deſtituitur, Ariſtotelis, adeoque diuini Codicis teſtimonijs rem vrget; vt ipſos proprijs in caſtris veritatis armis cædamus, age, & eorum ineptias ita afferamus in medium, vt ineptire illi, ſi velint, deſinant, nos nunquam velimus incipere.

Et primo quidem, ne per ingenij laſciuiam nodum reperiſſe potiùs, quàm inueniſſe dicamur, nobilis inter Chiromantes nugator artem ſine arte ita definit, *Eſt*, inquit, *Chiromantia ſcientia quædam, qua ex ſenſibilibus manuum ſignis, hominis fortunam, propenſiones eius varias, naturaleſque affectiones cognoſcere poſſumus.* Cùm enim ſapientiſſimus huius vniuerſitatis molitor Deus, volucribus, cæteriſque animantibus neſcio quas

Ioãnes Taiſnier l. 1. Chirom. c. 1
Antiochus Tybertu L. Chirom. c. 2

præſenſiones indiderit, quibus, aeris, vt ita dicam,ſeditiones,cæli grauitatem, ac ſerenitatem, & ſibi præuideant, & alijs certo corporis motu prædicant; an non decuit hominem, animal admirandum, vel vt loquitur Zoroaſter, naturæ miraculum confidentiſſimæ, imminentia ſibi vel commoda, vel diſcrimina perſentiſcere, atque in manuum caracteribus, ipſis oculis quodammodo contemplari? an lineas illas numero multiplices, ſectionibus varias, figura diuerſas, ordine diſſipatas,quibus hominum manus, non tam naturæ ludentis ingenio, quàm Dei futura docentis imperio exarantur, fruſtra mentiemur, otioſeque deſcriptas? an non infantes, in hanc mundi auram recenter expoſiti, fortunæ manus priùs explicant,quàm ſoli oculos; vt parentibus futuras vitæ viciſſitudines,quas verbis adhuc non poſſunt,hac veluti manus oſtentatione prænuncient? Nimirum eaſdem vires, quibus cœlum ad mortalium, vel felicitatem, vel perniciem natura ditauit,ſic in manus hominum trãſtulit, vt præter lineas, ipſis etiam planetis areolas, monteſque diſtinxerit; ex qua cœli, manuſque admirabili conſenſione facultas demum diuinatrix erumpit: Ita videlicet Chiromantes philoſophãtur;ampullosè nimirum,ac ſplen-

didè;

didè, vt potè qui planetas ipſos, ſine magica excantatione cœlo excludant, manibuſque concludant: quos ideo errantes iure appellauit antiquitas, quia errantibus viam ſternunt,& ad errorum tenebras, ipſa luminis infelicitate deducunt. Hominum manus ego etiam, cum viris ſapientiſſimis, tanquam exquiſitū diuinæ mentis artificium exoſculor, & admiror; ſiue enim organum organorū, deflexa tantiſper Ariſtotelis voce à doctiſſimo Aquinate, nominentur; ſiue rationis,& ſapientiæ miniſtræ à Lactantio dicantur, quæ in ſolo homine, vt Galenus obſeruat, reperiuntur; meritò apud Arrianum Stoicorum princeps exclamat μέγας ὁ θεὸς, ὅτι ἡμῖν χεῖρας δέδωκεν, *magnum, & pollentem Deum eſſe, qui nobis dederit manus*. Non inde tamen illas diuinatione, atque adeo diuinitate donauerim. Sit hæc inſana Chiromantum apotheoſis,qui dum tam perditè de manibus argutantur, næ illi ex tot interſectæ manus veluti proſciſſæ telluris ſulcis,mendacia,in meſſem colligunt,ſponſionibus diuites, euentu mendici; & (vt eſt genus hominum ſemper infauſtum) non rarò in infelicitatis denuntiatione fœlices. Vitalis ſcilicet linea illa eſt; hæc à natura nomen,hæc ab hepate mutuatur; menſalis illa dicitur, hæc raſcet-

ta (audite monſtra vel ipſo nomine barbara, & deteſtanda ;) Saturninam hanc appellant, ſorores alias ; quæ artis inſipientiſſimæ, ſi Deo placet, vaticinationes abſoluunt. Quid quod galaxiam, ſeu lacteum circulum, ad mentis leuitatem ſignificandam, ab extrema manus linea ad auricularem producunt, non tam minuto innoculatum ſidere, atque diſtinctum, quàm denſa præſtigiarum nube ſuffuſum, ac cœcum ? quid quod Veneris cingulum comminiſcuntur ? ain verò ? cingulum illud Cupidinis igne temperatum, atque recoctum; in poetica, hoc eſt in vanitatis officina, fabrefactum ab Homero blanditijs, illecebris, voluptatibus libidinosè conflatum ? Illo ipſo, inquam, hominum arctiſſimè manus coarctarunt, vt neceſſitatem intemperantiæ prætenderent, dum voluntas venereis quodammodo vinculis alligata, vel ipſis manibus inuita protrahitur in libidinem, mancipium impuritatis. Perditiſſime nebulonum, an non oportuit ſuſpendioſum te Iunonis laqueum, in quem collum indueres, tibi compoſuiſſe, dum hæc opinionum portenta, vniuerſæ nequitiæ faber, tam impudenter excogitas ? Video tamen, quorſum Chiromantes euadat : ad occultam ſiderum vim, tanquam ad deli-

rantium commune perfugium, prodigia refert ſua; atque ideo manum ſtellis infarcit. recidit eodem. Ad cælum quidem feruntur vota mortalium, ſed cui olim vertice ferire ſidera, aut digito cœlum tangere contigiſſet, is humanæ ſortis conditionem ſupergreſſus, fœlicitatem ſuam in tuto locauerat. Chiromantis ſtellas manibus è cœlo diripit, quarum igne, luteis, ac planè lutulentis cōmentitiæ artis ſimulachris, Prometheo melior, vitam inſpiret. Quòd ſi diuinæ Apocalypſeos concinnator, in Dei filij manu ſeptem olim ſtellas contemplatus eſt; totidem vnicuique noſtrum Chiromantis benignè largitur. Verùm ſidereas horum ineptias libenter exagitarem, ſtiloque confoderem, ſi extra hodiernæ diſſertationis anguſtias euagari me, vel loci maieſtas, vel Auditorum dignitas pateretur. Illud tantum attigiſſe ſufficiat, ad lubricam Chiromantum fidem ob oculos collocandam. In areolis, ſiue regionibus Planetarum in manibus deſignandis, tam varię ſunt, tam deſcrepantes, diſtractæque ſententiæ, nullum vt ego Planetarum, arbitrer deſcenſurum, ad occupandas ſedes, vel ipſa ambiguitate ſuſpicioſas, ac formidandas; quid enim ſi loco cedere eorum aliquis cogeretur? Cocles ſiquidem (deteſtata re-

De Rar Chiromantiũ inconſtantia vide Georgiũ Raguſeum l. 2. de diuinat. epiſt. 1.

religioſis auribus nomina ignominiæ cauſa liceat vſurpare) Tricaſſus ab Indagine, Taiſner, alijque monti pollicis Venerem, auricularis Mercurium, Triãguli ſpatio Martem præficiunt: at Ruſſus Epheſius, Tibertus, atque Cardanus montem pollicis Marti, auricularis Veneri, triangulum Mercurio tribuerunt. Faceſſant igitur inconſtantis ludibria diſciplinæ, à ſapientibus viris exploſa, religioſis legibus execrata, & ad pernoſcendas latentes animorum perturbationes, firmioris adhibeantur argumenta doctrinæ. At Ariſtoteles Chiromantum artem ſuo veluti ſuffragio commendauit. audio, & cum doctiſſimis ætatis noſtræ Philoſophis duplicem ſtatuo Chiromantiam. Alteram quam Phyſicam dicunt, Phyſiognomices cognatam, ac partem: ſideralem alteram, & Aſtrologiæ peccatis obnoxiam. Primam tanquam bonæ, ac malæ valetudinis indicem, & quæ humanorum conſtitutionem corporum, præſertim linearũ longitudine, atque profunditate metitur, Ariſtoteles meritò probat; ſecundam ne nomine quidem, aut appellatione dignatur. Si ergo ex latitudine linearum, ac longitudine plurimum ineſſe homini caloris, ac ſanguinis ingenioſè conijcias; quæ calorem, ac ſanguinem

Mart. Delr. diſq. Magic. l. 4. c. 3. q. 5 & Georg. Raguſ. loc. cit. Valeſ. de ſacra philoſoph. c. 32. Pineda. in c. 37. Iob.

comitantur ijſdem lineis ducibus deprehendes. Si manum hiſpidam, atque aſperè vbique fruticantibus pilis hirſutã tanges, cum ſanctiſſimo, ac cœco ſene, manum Eſau, hoc eſt mores agreſtes, ac planè ſubruſticos recognoſces, nec blanda tibi vox delicati adoleſcentis imponet. at optimus veritatis interpres Iob ait, *qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua*. In Iobi hiſtoria verba illa non diſſiteor inueniri; verùm nec à Iobo dicuntur, & in eorum interpretatione aut fallit, aut fallitur Chiromantis. rem pluribus non inuoluo; Franciſcus Valeſius in ſacra Philoſophia, Martinus Delrio in magicis diſquiſitionibus, & Ioannes de Pineda nuperrimus Iobi Scholiaſtes, ſolidè docent, verba hæc non magis ad Chiromantes pertinere, quam horrida cœli tempeſtas agricolarum laboribus inimica, ad lineas, aut ad areolas Iouis, Martiſuè pertineat.

Atque hactenus de peregrino Chiromantum ſtudio diſputauimus; vtinam vobis extra chorum ſaltare viſi non ſimus. In orbitam igitur redeamus, & oratoriam Chiromantiam, non peruulgatam quidem, atque protritam, eloquentiæ tamen mirabiliter ancillantem obiter explicemus. Aio igitur genus

quod-

quoddam Chiromantiæ apud Rhetores reperiri, cuius beneficio retruſæ cordis affectiones nullo negotio declarantur. Si manus inſpiciatur quotieſcumque oratoris adminiſtra, vel vocem in dicendo ſubſequitur, vel ipſa etiam loquitur ſine voce, quicquid in animo deliteſcebat erumpit. Singularis res eſt, atque admirationis plus habitura, quam fidei, manus vis, ad arcana pectoris explicanda: vt non immeritò apud Caſſiodorum Theodoricus Italiæ Rex, geſtuum artē, muſicam mutam, quæ ore clauſo manibus loquitur, appellarit. & loquitur profecto, imò declamat. Hinc Apollonius Philoſtrati mendacijs, quàm propria virtute nobilior, cùm Pythagoræorum ſilentium toto quinquennio religioſiſſimè coleret, Pamphiliam tamen, atque Cilitiam ſeditione laborantes, ſola manus tacita oratione compoſuit. omitto hic loquaces, atque argutas manus, linguoſos digitos; & ſi qua ſunt alia, ab autoribus de manuum eloquentia commemorata; Teleſtem, ac Memphim, cæteroſque apud Athenæum, ac Lucianum geſtus artificio memorabiles, hoc loco prætereo; taceo apud Ægyptios linguam, ſubtuſque manum ſolitam pingi, ad abſolutæ perſuaſionis imaginem efformandam; Arremidori etiam

Vide Cal. Rhodig. lect. antiq. l. 4. c. 3. Caſſiod. Variarum l. 2 epi. 40.

Vide Gell. li. 1 c. 5. De hoc argumento vide Creſol. vacat. Autū. l. 2 toto cap. 9.

ſom-

ſomniatoris laruas commemorare ſuperſedeo; qui Oratori in agendis cauſis laboranti victoriam portendit, ſi noctu dormiens Briareus fiat; pluresque, vt ille interpretatur, manus ornauerit ad dicēdum, vt ego opinor, armauerit ad pugnandum. Ipſiſſima tantùm coronidis loco Quintiliani verba perlegere ſatis ſit, qui cùm optimus dicendi artifex fuerit, ea vel experimento diſcere potuit, quæ poſteritati reliquit imitanda. is ergo in rem noſtram accommodate, *Manus verò, ſine quibus trunca eſſet actio, ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant, cùm penè ipſam verborum copiam perſequantur. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ (prope eſt vt dicam) ipſæ loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus, oſtendimus? Non eadem concitant? ſupplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur?*

Quæ omnia cum oratoriam Chiromantiam, & admirabilem ſimul inter linguam, manumque cognationem intercedere liquidò probent, futuræ diſſertationis argumentum eſto; vtrum lo-

quentis oratio, & ſcribentis ſtylus dici poſſint animi caracteres, quam tamen non niſi longo proximam interuallo vobis futuram eſſe prænuncio.

De morum, ac perturbationum coniectura ex voce.

DISSERTATIO OCTAVA.

CVM ſapientiſſimus rerum omnium molitor Deus tantam nobis Naturæ maieſtatem indiderit, vt homo ab Ægyptiorum ſacerdotibus adorandum animal appelletur; faciem tamen operoſius explicauit, veluti ſpeculum diuinitatis, ab anima in corpus emanantis; vel cæterorum, quæ ſunt in homine compendium miraculorum. Quemadmodum enim in cœlum illuſtri nocte contuentes, tot inter aſtrorum ignes, virtute diſpares, & loco ſeiunctos, interualla etiam ſine lumine contemplantur; lactei verò circuli, angulos vel repoſitos (galaxiam Græci dicunt) multiplici, ac maxime conferto ſiderum globo illuminatos vident; ita ſi quis humani præſertim corporis ſtructuram animaduertat, reliquarum quidem partium ornamenta nonnulla numerabit, at faciem prodigiorum omnium comprehenſione prorſus admirandam, tacita veneratione ſuſpi-

piciet. Longum eſſet in ſingulis immorari, & multa nos hactenus hac ſuper re, in Phyſiognomicis delibauimus. Illud tantùm hoc loco perpendite, quod Auguſtino doctiſſimo pariter, atque ſanctiſſimo diuinæ Ciuitatis conditori tam admirabile viſum eſt. *Sic habere ſingulos ſingulas facies, vt niſi inter ſe ſimiles eſſent, non diſcernerentur ſpecies eorum ab animalibus cæteris; & rurſus niſi inter ſe diſſimiles eſſent, non diſcernerentur ſinguli ab hominibus cæteris.* A quibus Auguſtini verbis nec diſcrepat in Epiſtolis Seneca, nec in naturæ hiſtoria Plinius diſſentit, ſed vterque in tam præclara faciei molitione diuini artificis ingenium adorat. Quod hactenus de facie dictum eſt, ſi ad hominis vocem hodierna diſſertatione traduxero, næ ego viam inſiſtam, non popularem illam quidem, ac multitudinis veſtigijs penè contritam, ſummis tamen viris Quintiliano, ac Plinio fœliciter vſurpatam. *Vt enim facies* (ait præclarus eloquendi artifex Fabius) *quamquam ex pauciſſimis conſtat, infinitam habet differentiam: ita vox, & ſi paucas, quæ nominari poſſunt, continet ſpecies, propria cuique eſt.* Plinius verò, *Vox*, inquit, *in homine magnam vultus habet partem; agnoſcimus eam priùs quàm cernamus, non aliter quàm oculis; totidemque*

ſunt

ſunt eæ, quot in rerum natura mortales, & ſua cuique ſicut facies. Et ſanè tanta eſt inter vocem, faciemque cognatio, tanta ex diſſimilitudine ſimilitudo, tanta in agendo conſenſio, vt vocem quidem obiectam auribus faciem appellare poſſimus, faciem è contra vocem oculis inſonantem. Hinc peruulgatum illud ſapientis effatum, *loquere vt te videam*, reconditiori exceptum Tertulliani ſententia, *auditur philoſophus dum videtur*. Vtraque nimirum, & vox, & facies in omnibus eadem eſt, in ſingulis alia; vna ſimul & multiplex; participatione (ſit verbo venia) communis, proprietate ſingularis; illa partium perturbatione non confuſa, hæc ſonorum varietate non abſona; hæc auditu, viſu illa cognoſcitur; animos hæc ſollicitat, illa prædatur; hæc aures demulcet, illa oculis lenocinatur, & quod maximè ad rem pertinet, vtraque ad animorum perturbationes explorandas facem prudentibus præit, in caliginoſo mortalitatis itinere neceſſariam.

Atque poſtrema hæc verba à me prope incogitanter effuſa, argumentum vobis futuræ diſſertationis aperiunt. Cùm enim de perturbationũ caracteribus, in hominis facie naturæ penicillo deſcriptis, ſatis abundanter egerimus, illud iam

quærendum nobis obijcitur, vtrum vox etiã in homine latentes animorum ægritudines prodat, Vocem ego cùm dico, ſonum intelligo, non ſermonem, nam peculiaris de ſermone diſputatio inſtituenda eſt.

Et ſanè Philoſophus plures in ſpecies vocem diſtribuit, tum libro de hiſtoria animalium quarto, tum multo luculentius in ea operis parte, quæ ſupereſt de rebus auditione percipiendis inſcripta; multus etiam in hoc argumento eſt Ptolomæus Harmonicorum primo; ſed omnium copioſiſſimè in Onomaſtico Iulius Pollux viginti fermè vitia vocis enumerat, quibus totidem etiam virtutes ex æquo reſpondent. Omitto hic lepidiſſimum eorum commentum, qui fabulas interpretantur (Mythologi à Græcis appellantur;) Ii nouem Muſas decimo cum Apolline à veteribus inductas ideo fuiſſe teſtantur, atque cum decachorda etiam cithara Apollinem pingi ſolitum, quòd decem omnino humanæ vocis modulamina muſices præceptores obſeruent. Elegantiſſimis quippe Rethorum aliam vocis partitionẽ video placuiſſe: nam Fabius quidem Ariſtoxenum, & Pythagoricos imitatus, eam quantitate & qualitate definit; Tullius verò tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, & gra-

Vide Fulgēt. l. 1. Mytholog.

ui, omnem vocis varietatem circumſcribit: id autem à priſcis fortaſſe artis muſicæ inſtitutoribus hauſerat: apud quos organum tres olim habuiſſe intentiones, grauem, mediam, & acutam diſcimus, quæ tribus tantùm Muſis apud eruditam antiquitatem locum fecerunt, quibus Hipate, Meſe, Nepe nomen erat. Quoniam verò inania hæc rerum nomina, ad modulationem ſubtiliter excogitata, ab argumento quo de agimus videntur aliena, ijs in præſentia prætermiſſis, grandem tantum, atque vt loquitur Tullius, penè tragædorum vocem; mox etiam demiſſam, ac propè ſurdam, in domeſtica conſuetudine, perpendemus: tum quia innumera penè ſunt inter ſummam, infimamq; in ordine poſita diaſtemata, quæ magnam illam vocum varietatem complectuntur: tum quia duplici hac vocis differentia (quod maximè ad inſtitutum facit) ad eruendam animorum notitiam vtitur Clemens Alexandrinus.

Et inconditus quidem clamor, quo domeſticus præco amicorum aures obtundit, homines præſertim ruſticos, iracundos, ſuperboſq; eadem nota apud Theophraſtum in caracteribus arguit. Hinc Stratyllax in Truculento Plautina tam proteruè latrat potiùs, quàm canit,

vt

vt Aſtaphium ancilla non optimæ cœteroquin notæ, nec moribus modeſtiſſimis, rus illud merum auerſata teſtetur.

Erubui mecaſtor miſera propter clamorem tuum.

Et initio Moſtellariæ Grunio, cuius non ſermonem modò verbis, ſed terga verberibus excipit Tranio; tam illiberali voce vias implet, vt obſeratas domini fores velle perfringere, valentiſſimæ vocis impetu vocalis aries videatur. Hos ego circumforaneos Stentores obſeruaui incuriosè per vias errabundos, de rebus, vt ipſi putant, ſerijs, tanta vocis contentione conferentes, vt auxiliares laboranti lunæ copias, ad æra quatienda, excitatas fuiſſe ſuſpiceris: arcana omni ſilentio ſepelienda in os etiam nolētibus ingerunt; inertiſſimo vocis ſtrepitu alienis curis interueniunt; impunita vehementis loquacitatis iniuria fora, domos, cœlum exſurdant; & perinde quaſi in Nili catadupis degerent, populares ſuos, quos ſurdaſtros arbitrantur, inurbano clamore tranſuerberant. At hoc ſi neſcitis, Tibicines non eſt ſurdos explorare, ſed facere. Carneadem Cyrenenſem dialecticum in paucis acutum μεγαλοφωνότατον fuiſſe Plutarchus eſt autor; vt eum gymnaſij moderator commonefacere cogeretur, vt clamoribus

temperaret: quæſiuit illi vocis modum, ac fines; at ſocios quibus cum loqueris habes (inquit gymnaſij princeps) qui modum voci præſcribant. Nimirum oraculum illud eſt, quod à Clemente Alexandrino: ſi animũ aduertere velimus, accepimus, ita vocem in familiari conſuetudine moderandam, vt amicorum auribus ſeruiat, capiti non inſultet; reſponſum prouocet, non dolorem. Atqui ventoſa hæc loquentiæ organa, tacere, aut intus cum Aſpendio canere ſibi videntur, ſi ad proximos tantùm pertingat clamor; ſi blaterantibus ipſis, aut aues impunè ſuperuolent; aut literarũ ſtudioſus in rerum contemplatione cõquieſcat; aut in tota vicinia obdormiſcat æger. Mentior, Auditores, ſi hæc ipſa de clamore commentatio, medios inter nebulonum clamores exorta non eſt: rem paucis accipite. In obſcuriſſimum vrbis angulum mea me fortuna coniecit, vt Cynicum opinor faceret, quem Stoicum propemodum inueniſſet. Ex cubiculo ſatis anguſto (Diogenis dolium cogitate) in ſubiectam Cauponam proſpectus patet, in quem omnis ſycophantarum colluuies confluit ad comitia; Senatum diceres Silenorum, concilium Coribantum; tantæ ibi concertationes, tam incondita vociferatio.

Nulla

Nulla ibi clepſidra, calices multi: neque enim ad aquam, ſed ad vinum declamatores perorant. Inſanis illis vocibus ebrietati præluditur; quæ vt venalis vni tantùm contingat, aut alteri, in ludum deſcenditur; nullis hic talis vini regna ſortiri placet; nullus Veneris iactus aut infelix, aut fauſtus; fortuita manuum proiectione numeros colligentes, ipſis clamoribus ſitim exacuunt; hinc iam maioribus poculis agitur, & pluſquam Græco more alter alterius hilaritati propinat. Hic ego quid facerem à literarum ſtudijs continenter auocatus, niſi petulantes ebrioſorum voces vlciſcerer? Vlciſcor, vt poſſum, Viri clariſſimi, & à popina tandem, in quam me clamor plane ſubruſticus impulerat, ad inſtitutum redeo. Vocis magnitudinem Heroibus à poeta Græcorum maximo adſcribi ſolitam, teſtatur eruditiſſimus Scholiaſtes; ſiue enim id pulmonis viribus fiat, ſiue caloris exuberantia contingat, quod Galenus tamen inficiatur, granditatem in voce peculiarem generoſæ naturę notam Ariſtoteles interpretatur; vt mirũ ſanè videri omnibus debeat, cur Euſtatius nobilis in primis Homericæ poeſeos enarrator, animalia maximè timida φωνητικώτερὶ cæteris animantibus exiſtimarit; cum Leonem, ac Taurum ita

Spondan. ad lib. 8. Iliad. Homer. & ad lib. 16. Ariſtoteles de gener. animal. l. 5. c. 7. vide Cal. l. 19. c. 14.

vocis magnitudine, vt præſtantia indolis cæteræ omnia ſuperare philoſophus fateatur. Vtcumque ſit, ſuperbia atque iracundia elatæ veluti vocis tuba triumphum ſibi occinere gloriantur; cuius rei cauſam à naturæ contemplatoribus repetitam tunc exactiùs explicabimus, cùm de vtraque impotentis animi perturbatione diſſeremus.

Vide Orat. Demoſth. de corona, & Gregor. Nyſſe. Oratione 2. de creat. hominis.

Apud Homerum Iuno, numen, vt sẽper, contumax, ac ſuperbum, Troianis irata, quòd vincerent, ad integrandum ferocius prælium Græcos clade perterritos adhortatur; at quonam vocis habitu? quo & fœminam, & ſuperbam, & tunc maximè indignantẽ decebat, Stentoreo. ita diſertiſſimè teſtatur vates. Iã de Martis cum Diomede congredientis vociferatione quid dicam? quid de clamore deſilientis è curru Hectoris? Nimirũ ſapientiſſimè Ioannes cognomento Chryſoſtomus, clamorem equum eſſe dixit iracundiæ, non raro impunè volitantem: Clemens verò Alexandrinus elati animi, atque arrogantis indicium.

Clamori affinis excreatio cenſenda eſt. Non hic ego amantium excreationẽ perſequor, de qua Tibullus primo, mox etiam Ouidius, folles, & flabella cupidinis cecinerunt, & Tibullus quidem.

Nõ fruſtra quidã iã nunc in limine perſtat

Se-

Sedulus, ac crebro proſpicit, ac refugit,
Et ſimulat tranſire domū, mox deinde recurrit
Solus, & ante ipſas excreat vſq; fores.

Ouidius verò,

Scit cui latretur cùm ſolus obambulet ipſe,
Cui toties clauſas excreat ante fores.

non inquam hoc ago, vt ab huiuſmodi excreatione quid ſibi velint amatores diuinem. aperta res eſt, nec coniecturis ad veritatem extorquendam eget. de illa potiùs excreatione nunc diſputo, cùm aut ab imo pulmone pituita trocleïs adducitur: aut cùm iam defluxit in fauces, valido cum ſonitu longè proijcitur; quod & Libanius in ſexta declamatione plurimum odiſſe ſe dicit: & indecorum maximè atq; importunum in ſapientum corona Lucianus exiſtimat. Atque hic iterum negotium mihi eſſe video cum doctiſſimo critico, qui commentarios ſanè luculentos ad Ethicos Theophraſti caracteres dedit. Hominem ego tanti facio, quanti virum penè ſupra fidem eruditum decet; verùm quò ille reconditiora, & à vulgi ſenſu magis remota depromit, eò diligentius peruidenda ſunt, ne aut incautis ſpecie nouitatis imponant, aut nos in aliena iuraſſe verba videamur. Fœdum hominē, & ſpurcis ominò moribus Theophraſtus de-

Vt loquitur Fabius lib. 11. Inſtitu. cap. 3.

ſcribit, atq; ait: *Dum vltra menſam vult expuere, eum qui pocula in conuiuio miniſtrat, conſpuit.* ad hæc criticus. *Nihil hoc fœdius,* inquit, *nihil turpius, verùm præterea notandum eſt, non* δυχέρlαν *tantùm hic eſſe, ſed faſtum, & conuiuarum contemptum.* Hactenus ferendus eſt, & cum Clemente Alexandrino aliqua ex parte conſentit, ſed ſtatim tanquam ex tripode fundit oraculum: *Olim in conuiuijs, aut alijs congreſſionibus procul ſpuere ſignum habebatur eminentiæ*: At ego eminentiam iſtam tuam in re literaria veneror, dum ſententias ore rotundiſſimo procul expuis; quas non quidem hauſeris aliunde, ſed ex cerebri tui frigiditate deduxeris. quem pro ſententia teſtem dabis? nam Theophraſtus tuus de hac eminentiæ oſtentatione, ne ſomniauit quidem. At Plautus magnificè conſcreare dixit, Quintilianus clarè excreare; tu videris. ego ſanè ſtultiſſimus omnium ſcreare; ac ſpuere rem omninò diuerſam arbitrabar, quam tu pro eadem ſumis, vt video. Stultitiæ tamen autores meæ Grammaticos, non quidem antiquiſſimos, quos poſſem referam; ſed recentis memoriæ virum, non ſurdæ (vt tamen multi ſentiunt) in literis famæ, Dionyſium Lambinum ad Comœdias Plauti. Nec felicius ariolaris in Sotadis, ac Alexandrini

Cle-

Clementis auctoritate detorquenda. Vterque ſiquidem de fœditate, de eminentia neuter: licet illud etiam Clemens addat, *conuiuarum enim habenda eſt vtique ratio*; quod tamen ne ad eminentiam fulciendam quoquo modo peruertas, ſubijcit ſtatim, *ne præ nauſea talem auerſentur turpitudinem, quæ arguit intemperantiam*. Sed diutius quàm par eſſet in ſordibus volutamur; quæ ne moribus adhæreſcant, niſi vos aliter ſentitis, vſurpari in loco verbis identidem poſſunt. ad reliqua pergo.

Elatæ adhuc vocis incommoda perſecuti ſumus, & Tullius interim vocem in Oratore co[illegible] muliebrem; quæ vtcumque in foro, aut in curia robur, ac vires orationis eneruet, non minus tamen in familiari conuictu, loquentis animum effeminatæ cuiuſdam, ac ſupinæ teneritudinis accuſat. triplici illam præſertim nomine, vt ſexcenta alia prætermittam, à politiſſimis Latinæ linguæ ſcriptoribus deſignatam video: aut enim tremulam appellant, aut fractam dicunt, aut balbutie deformem notant; Tibullus,

Vidi ego qui iuuenũ miſeros luſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem;
Et ſibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.

Seniculum hic delirantem, vt videtis, noræ, & tanquam in prato ſub anni renaſcentis initium vitulantem; dubitari ergo meritò poſſet ad ætatem, ne calore propemodum defectam; an potiùs ad animum amoris igne recoctum tremula vox referenda ſit; cum præſertim ſummus non loquendi tantum, ſed etiam ſentiendi magiſter Fabius, fœmineum animi habitum fractis, ſenilem tremulis verbis contineri ſentiat. *Non enim puerum quem in hoc inſtituimus, aut fœmineæ vocis exilitate frangi volo aut ſeniliter tremere.* Verùm cùm Tibullus amato-[illegible] deſcribat amicæ beneuolentiam [illegible] de homine vtique voce mellito, vt Lucianus appellat, aut etiam vſq;ad obſcænitatem diſſoluto intelligendus eſt, Hinc appoſitè Perſius.

Hic neque more probo cernas, nec voce
ſerena
Ingentes trepidare Titos, vbi carmina
lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima
verſu.

Quòd ſi exactius verſare argumentū libet, eadem fortaſſe ratione tremula, & fracta vox ab autoribus vſurpatur: cùm enim virilis, ac vegetus vocis ſibi conſtantis terror præ mollitudine tenuatur, & tremit ſimul, & frangitur; hoc eſt con-

curſu

curſu quodam oris,& affectata colluctatione verborum, canticum videtur, vt loquitur Apuleius, ſemihiantibus in conatu labellis eliquare: quod quid eſt aliud quàm omnem virilis animi dignitatem voce proſcribere, atque vt fœminam induas, virum exuere? Hinc acerbè declamator Seneca ſuorum temporum, vtinam non noſtrorum, labem deplorans: *Ad muliebres inquit blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditijs noſtrorum adoleſentium ſpecimen eſt*; & in Eutropium Claudianus,

——vrbiſq; ſonat plorabile quiddam
Vltra nequitiam fractis.

Sed omnibus etiam apertiùs Iuuenalis,

Hic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas;

Libertas inquam, quæ in prophanis, atque turpiſſimis magnæ Matris ceremonijs ita omnem profligauerat verecundiam; vt in ijs è veterum memoria repetendis, ipſum quodammodo proſtituatur ingenium. Quid quod vocem non infringunt tantùm aliqui, ſed abrumpunt? vſque adeone pudet homines eſſe moribus incorruptos, ætate conſtantes, vt per ſummam animi laſciuientis inſaniam, vel relabamur in pueritiam, vel ebrietatem fingamus ſicci non vino fer-

uentem, ſed vitijs æſtuantem? Balbutire diſcimus ad delicias; ac primum temulentiæ ſpecimen, ſi Plutarcho, atque Ariſtoteli credimus, balbuties eſt. Nimirum delicatuli Veneris puſiones, & amaſij Gratiarum, in Minutio Fœlice legerunt olim, loquelam *dimidiata verba tentantium, ipſo offenſantis linguæ fragmine dulciorem eſſe*; & Alcibiadem totius quondam Græciæ delicium, tam ſuauiter, inter loquendum hæſitaſſe, vt voci eius, Plutarchi teſtimonio, vel balbutire decor acceſſerit. Hinc ille apud Horatiũ,

Balbutit ſcaurum,

hoc eſt amantium more fractè, ac tremulè ſcaurum nominat; quæ loquendi nequitia vtinam à fornicibus aliquando in domos ingenuas non irreperet. cùm puerilis quidem, ad argutias illius ætatulæ prouocandas, balbutire vir grauiſſimus Ioannes Chryſoſtomus, illiberalis, & fracti animi non putat indiciũ: ſed

Horat. Sat. 3. l. 2. *Quid cum balba feris annoſo verba palato*

aut

Perſ. Sat. 1. *Rancidulũ quiddam balba de nare locutus?*

an non comicam Taidem, vel Malthacem, vel Glyceram tenella voce imitaris? Atque hæc vocum imitatio, quam feſtiuus nobis Luciani genius, in præceptis Rhetorum reliquit, Helenæ factũ mihi reuocat in memoriam, quod fingi-

tur

tur ab Homero. Equus ille fatalis, odiò potiùs, quàm ingenio Palladis fabrefa-ctus, conſtiterat armatis, atque armis grauis: ad cæcas vteri latebras explorandas deligitur Helena; quæ quoniam principes in Græcorum exercitu probè nouerat, vt eorum aliquem extra equi viſcera pelliceret, vxorum voces admirabili flexibilitate mētitur: ac prope fuit vt dolus hac arte detegeretur. Voluptas Helena eſt, quæ varia vocum imitatione, hoc eſt diuerſis ſenſuum illecebris mortalium animis lenocinatur, vt perdat; niſi aures canoræ fraudis blandimenta reijciant: ex quo illud etiam intelligendum eſt, molles, & effeminatas voces non loquentis modò intemperantiam prodere, ſed audientium etiam temperantiam labefactare. *Homer. Odyſſ. l. 4.*

Quoniam verò Aurora, licet ſol ipſa non ſit, plurimum tamen de ſole trahit, illiuſque dici poteſt imago potiùs, quàm prænuncia, ita vox etiam, quæ ſermonē antecedit, ſermonis exprimit caractérem; poſtquam de voce, quod opportunum viſum eſt, in medium protulimus, de ſermone deinde pauca dicemus; cùm multa, quæ in ſermonem cadunt, ex diſputatione de voce percipi poſſint. Ita etiam in Ioannem, qui vox fuerat diuinum Verbum antecedens, *ego vox cla-*

mantis, tam multa diuini Verbi ornamenta confluxerant, vt de eo dubitatum ſit à pleriſque vox ne eſſet, an Verbum.

De coniectura ex Sermone.

DISSERTATIO NONA.

Ita ex Porphyr. Cal. li. 17. c. 13.

INter multa, eaque præclara diuinationis genera, quibus Tireſias, atq; Melampus in ius affectatæ diuinitatis à poſteris rapiuntur, illud maiori certè admiratione, quam fide à veteribus memoratur, quòd animantes inter ſe colloquentes intelligere putabantur. Nullas hic fatidicas aues è Dodonæa quercu fundentes oracula; canem nullum in Ægypto latrantem; nullum ex Vlyſſis ſocijs circæo veneficio bruteſcentem; nullum rudentem in aſino Lucianum, aut Apuleium nominabo. Illas ego animantium voces, quas vnicuique tam varias amœniſſimum naturæ deliciantis ingenium adſcripſit, illas inquam familiares olim vatibus fuiſſe lego, ac prope vernaculas; vt nullibi vnquam vel rugiret leo, vel lupus vlularet, vel barriret Elephantus, vel equus hinniret, vel crocitaret coruus, vel turtur gemeret, vel ex minutioribus auicula minuriret, quin lepidiſſimi beſtiarum interpretes, patrio ſermone ſonos, quos acceperant, redderent;

rent; perinde quaſi Græca Latinis, Latina Græcis inuerterent. Hinc Æneas Harpyarum prodigio territus, Elenum de ſuo in Italiam aduentu ſciſcitatus,

Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi, Virgil. 3. Æneid.
Qui tripodas, Clarij lauros, qui ſidera ſentis
Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.

Et in diuini operis decimo. Idem l. 10.

Tertius ille hominum, diuumq; interpres Aſilas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui ſidera parent,
Et lingua volucrum, & præſagi fulminis ignes.

Hoc autem ad oſcines aures referri non poſſe, quæ auſpicium canentes faciunt, ex Augurum diſciplina (vt auctor eſt Feſtus,) Pacuuianum illud in Chryſe, ab ipſo M. Tullio in libris de Diuinatione laudatum magnificè teſtatur,

Nam iſtis, qui linguam auium intelligunt,
Pluſq; ex alieno iecore ſapiunt, quã ex ſuo,
Magis audiendum, quàm auſcultandum cenſeo.

Hinc alitum colloquia apud Plinium, affatus in Statij Thebaide, & eiuſdem generis pleraque ab erudito Virgilij Scholiaſte, in Græcis præſertim autoribus obſeruata. Cerda ad 3. & 10. Ænei. Virgil.

Apollonius Thianæus, impoſtor ille dæ-

dæmonum contubernio nobilis,& ſupra Chriſti diuinitatem, ab inſanis elatus, cùm ſiue hirundinem, ſiue paſſerem (in hoc enim à Porphyrio diſſentiunt Eunapius, atque Philoſtratus) minurientem audiſſet,ſocijs ſerio, ac ſanctè dixit, commoneri voce illa reliquas volucres de aſelli caſu,qui frumento onuſtus ante Vrbis portam incautus offenderat. O tuam Thianæe diuinæ proximam poteſtatem, qui aſinum concidiſſe paſſerculo docente didiciſti! An tanti erat loquendi te, atque intelligendi vim cum belluis habuiſſe communem, vt caput iſtud tuũ prodigiorum ferax, in corruentem aſinum impingeret? Vſque adeò ne cum inertiſſimo Medaurenſis philoſophi iumento, terrarum orbis collabebatur vniuerſus, & per aues emiſſarias fueris ad fulciendas ruinas euocandus? Illud autem ex te ſcire aueo, Thianæe; cùm tam exactè animalium calleres linguas, verba ne tua viciſſim intelligebant aſinus,lupus, leo?num tu cũ diuinitatis affectator humanitatem exuere ſomniabas, in beſtiam per incuriam abijſti? Sed inſanire vobis cum inſaniſſimo capite videbor,ſi diutius pergo. Paracam,Vrbem fuiſſe Philoſtratus auctor eſt,in qua ciues hepate, aut corde Draconis veſcerentur,ad animantium voces intelligendas.

vide Cal. l. 17. c. 13. ex l. 3. Porphyr. de ſacrific. rem tamen paulò aliter narrat Philoſtr. in vita Apollon. l. 4 c. 1.

das. Plinius verò ex Democrati ſententia, ſerpentem ait ex confuſo auium ſanguine procreari, quem quiſquis ederet, animalium colloquia intellecturus ſit. Somnia hæc ſunt, & deceptæ deliramenta vetuſtatis. Vtinam ego in perноſcendis hominum vocibus eruditus, vana hæc poſſem beſtiarum interpretamenta negligere; non eſſet cur tantoperè laborarem in hodiernæ diſſertationis argumento verſando. Quærendum enim eſt, vtrum hominis ſermo animi caracter ſit, quod quàm arduum ſit, atque quàm pluribus difficultatibus impeditum, ij opinor intelligunt, qui flexuoſos humanarum cogitationum labyrinthos intelligunt.

Atque in prima ſtatim velitatione in poetarum phalangem incurro; qui vt ſunt oppidò confidentes, nihil ori commune cum corde aiunt, ac proinde à ſermonis impuritate de morum turpitudine conijci tuto non poſſe: loqui ſe quidem paulò petulantiùs, vt ludicer artis genius expoſcit, verùm vitam per ſummam morum innocentiam tranſigere: Martialis,

Innocuos cenſura poteſt permittere libros,
Laſciua eſt nobis pagina, vita proba.

Quam in ſententiam, vt oris impudicitiam eléuet Catullus, phaleucios neſcio

quos

quos obtrudit, ab hominum conſortio penitus proſcribendos. Quid multa? ipſe nequitiarum omnium architectus Ouidius,

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro,
Vita verecunda eſt, Muſa iocoſa mea eſt.

Prætereo hic Apuleium, ac iuniorem Plinium Solonis ſe, Platonis, Æditui, aliorumque tum exemplo, tum auctoritate tuentes: nam in eo nunc non laboro, vt animi meditamenta, non tam expreſſa verbis, quàm membranis impreſſa, ad intimos cordis receſſus, nos recta deducere patefaciam. neque ſi maximè liceret, feſtiuas Parnaſſi apes irritarem: vt enim mellis opificio mortalium voluptati allaborantes, innocentes auiculæ videantur; ſi quis tamen eas imprudenter extimulet, aculeum exerunt omni draconum cauda ſæuiorem. Hinc de illis dictum accepimus

— genus irritabile vatum.

Vide Raderũ ad l. 1. Martialis Epigr. 5.

Non ſum tam auidus offenſionum, mihi credite, non ſum. de ſermone igitur ſermo eſt, quem animi perturbationes atq; habitũ prodere ita in confeſſo eſt apud omnes, vt verendum mihi ſummopere ſit, ne in argumento tam peruio exorbitem ab inſtituto; aut in ipſa materiæ fœcunditate ſterileſcat ingenium. Quid ſi ſatietati veſtræ occurrendum eſt? Quis

enim veſtrum tacita dudum cogitatione non percipit orationem à Solone ſimulachrum, ſiue idolum animi dictam eſſe; à Democrito imaginem vitæ; ab Ariſtide, ac Seneca, qualis hominum ſermo eſſet, talem etiã cenſeri vitam? cui ignotum illud Socratis effatum eſt, loquere, vt te videã; & ſexcenta alia tam crebris non doctorum modò virorum, ſed vulgi etiam ſermonibus vſurpata, vt ea vobis in præſentia commemorare, hominis ſit, operoſè delirantis, & humanitate veſtra turpiter abutentis? Aliò igitur mihi video deflectendum, ne videar ineptire. Mercurius ille Termaximus craterem nobis ſtatuit liquore redundantem, quẽ mentem appellat: in eum animæ cùm primum labuntur in corpora ſeſe deijciunt; Verùm inde guttas ſane pauculas aliæ delibant, pleniùs aliæ perfunduntur, ſed quæ ingenio florentiſſimo futuræ ſunt, in mentis liquorem penitus ſeſe demergunt, optabili ſanè naufragio, ac maximè fortunato. Quod ille ad fabulæ venuſtatem ingenioſè, ac penè poetarũ in morem excogitauit, ad rei veritatem fructuoſè nobis indidit Deus, dum mentem in homine, veluti vitreum, ac perennem ſapientiæ fontem, vt Philo Iudæorum Plato exiſtimauit, ad honeſtæ vitæ incolumitatem, & pulchritudinem

Vide Senec. epiſt. 114. & in eam Lipſiũ item ep. 115.

deri-

deriuauit. Verùm neſcio quonam auerſo mortalium fato factum ſit, vt putris etiã, ac melleus voluptatis liquor ſtagnarit in pectore, quo vtinam non tam ſæpè mortaliũm inſania ſe prolueret. liquoris vtriuſque notitia ab animis erumpit in verba, & per ſermonis incile traducitur. Zeno ſanè ille Stoicorum princeps, ac morum cenſor, cùm adoleſcentem proteruiùs garrientem audiſſet, illum prudenter admonuit, vt ad mentis fontem opportunè diuerteret, & linguam ſalubri potione reſpergeret; ita enim apud Stobæum: *Niſi lingua in mente intincta diſſerueris; multo adhuc amplius loquendo delinques*. Dinarchus verò in Truculento Plautina, vbi multa in amicam, ancillamque amatoriè ſubiratus congeſſit, illud etiam addidit ſapientiùs. quàm expectari adoleſcente amoris illecebris perdito debuiſſet,

Plaut. in Truculen. Act. 1. Scen. 1.

In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ, atque orationes,
Lacteque.

Quod ne temerè dictum arbitremur ab homine, cuius animum Amor cœcus rerum æſtimator, atq; arbiter occupauerat, oraculum obtinebit, cum Dinarchi ſententia apprimè conſentiens, *Fauus diſtillans labia meretricis*. Cùm Prometheus ad hominem effingendum curas

Prouer. 5.

adie-

adieciſſet ſuas,lutum delegit, quo lacrymis probè macerato, atque ſubacto, ſimulachrum illud extitit admirandum,in quod ſeſe diuinitas inſinuaret. Verùm vt multa nobis oboriantur incommoda, eo præſertim nomine quòd argilla conſtamus; illud ſaltem compendij inde conſequimur, quod ſono licet fideliam explorare;hoc eſt, vt Socrates interpretatur, ex hominum verbis de hominum mente conijcere; appoſite ſiquidem Perſius.

—— *ſonat vitium percuſſa maligne*
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.

Quòd ſi abiectè nimis, ac humiliter de hominis conditione (quem tamen de limo terræ à ſummo rerum conditore fabrefactum ſcimus) ſenſiſſe videor,dum illum luto cum Platone,Horatio, Perſio comparaui; ne tamen ſoni excludamus indicium, cum ære iterum componamus. tinnitus in ære ſermoni reſpondet in nobis,vt Diogeni apud Laertium placuit olim: ex vno enim metalli mos, & ingenium, ex altero perturbati animi, vel pacati ſimulachrum probè colligitur. & Horatius quidem Romanæ fidicen lyræ,in ea ad Piſones epiſtola,in qua poeticæ facultatis præceptorem agit, pecuniæ nomine verba à Poetis innouata deſignat;

li-

—— licuit, ſemperque licebit
Signatũ preſente nota procudere nomen,
hoc autem ita conſtituto, animum, oro vos diligenter aduertite.

Theſauros olim vnà cum Principum cadaueribus ita recondi ſolitos legimus, vt idem planè eſſet conditorium cineribus, theſauriſque commune. Et è Dauidis quidem Mauſoleo ab Hircano primum, mox etiam ab Herode impudenter expilato, tria talentorum millia, & magnam gemmarum vim fuiſſe ſublatã, in Iudæorum antiquitatibus teſtatur Ioſeph. ſecunda verò Perſarum Regina Semiramis (quam ego fęminam ſupra omnem maſculæ virtutis admirationem ſtatuo) quo aſtu incenſas Darij Regis cupiditates eluſit? Sepulchrum ſibi loco edito, atque conſpicuo conſtitutum elogij loco his notis inſcripſit. *Quicũq; ex Regibus pecunia indigueris ſepulchrum altè defodito, aurũ quod ſitienter expetis reperturus*: credulus ille, ác ſpei plenus regiũm monumentum explorat, in quo auaritiæ exprobationem ſuæ, quam non quærebat, inuenit; theſauros quos optauerat, non inuenit. hinc æquiſſima tandem apud Romanos Martiani lege ſancitum eſt, ne theſauri cum cadaueribus conderentur. Hic ego vos appello mortales, genus infelix, ac ſponte ſolli-

Res nota. vide Kirkmannum de funeribus Romanorum l. 3 c. 24. Pined. ad 3. cap. Iob verſu 15. & alios Ioſeph. l. 13. antiquit. Iudaic. c. 15.

citum; in cæcis terræ latebris aurum, atque argentum, exilio, vt ita dixerim, ſempiterno natura damnauerat, quod vos, vt pretioſius interiret genus humanum, è tenebris eruiſtis. è terræ viſceribus ſemel effoſſum, iterum terræ viſceribus commendatur, miro vtrobique cupiditatis ingenio: ibi quęſiuit abſtruſa, hic quæſita cuſtodit, ò nimium cæca mortalitas, & intemperijs ſemper obnoxia. Animam abire pateris, diuitias tecum rapis in conditorium, vt eas animę pręferas vel in morte; quas tamen quis exanguia mortuæ fœlicitatis cadauera non appellet, dum in ſepulchro conduntur? Sed auaritia potiùs ſepelienda fuerat, quam theſauri; & terra tibi leuis eſſet, cui nunc tam graue auri, argentique onus incumbit. Sed quorſum hæc, dicet aliquis? non euagabor longius, Auditores, obſcuriſſimæ olim, atque inter ſe pugnantes, diſtractæque ſententiæ videbantur; quæ Sacroſancto è codice repetuntur. *Sepulchrum patens eſt guttur eorū*, ait regius Pſaltes alicubi, at veritatis omnis Magiſter Chriſtus *bonus homo de theſauro cordis ſui profert bonum.* Si ergo ſepulchrum appoſitè dicitur cor humanum, patens quidem cùm os inter loquendum aperimus, quomodo etiam theſaurus non minùs ido-

idoneè appellatur à Chriſto? illud nimirum duobus hiſce nominibus indicatur, quo de paulò ante diſſerebam, in ſepulchris theſauros recondi ſolitos à veteribus. Cùm ergo loquitur aliquis, vtrum aureum ſermonis nummum proferat è theſauro, an fędas potius cadaueris contabeſcentis reliquias euocet è ſepulchro, ipſo verborum argumento conſtabit.

Quidni enim inter cadauera verba numerentur, nullo prudentiæ ſenſu prędita, nullo vitalis ſapientiæ ſpiritu vegetata, ludicra, ſine ſucco, atque vt Domitius olim apud Gellium ex Catonis ſententia loquebatur, mortuaria gloſſaria, non philoſopho tantùm, ſed homine etiã leuiſſimo prorſus indigna? Nihil hic addo de prophanis, falſis, blandientibus; nihil de obtrectatione, atque calumnia diſputo. Rectè enim ſeptuaginta diuini Codicis interpretes ea ſanctiſſimi Vatis verba: *Ante faciem* *Abacuh.* *eius ibi mors*, ita Græcè tranſtulerunt, vt mortis loco verbum collocarint περὶ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος, *ante faciẽ eius ibit verbum*. Vtrùmque ergo aptiſſimè diuina Chriſti ſapientia copulauit, & bonis maliſque theſauri nomine ſepulchrũ ſimul theſaurumque coniunxit. *Bonus homo de bono theſauro cordis*

ſui

ſui profert bona, & malus homo de malo thesauro, ac ſi diceret de ſepulchro, *profert malum*: quod nc aliò detorqueri facilè poſſet, ſed in ſermonem apprimè caderet, addit, *ex abundantia cordis os loquitur*. E contra verò Siracides de theſauro verborum accipiendus eſt, vbi dixit, *Aurum tuum, atque argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtaterã*, nimirum, vt optima hac loquendi temperatione in ſapientem caderet elogium illud, *Eloquia tua, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Diſcrimen autem inter prudentis, ſtultique theſaurum, quod ad rem noſtram pertinet, intercedere inde maximè patet, quod alteri quidem in corde, in labris alteri ſitus eſt; de illo præclarè inquit Ambroſius, *Vectem adhibuit foribus oris ſui, ſeruat theſaurum cordis ſui*: de hoc in Pęnulo Plautus,

Eccleſiaſtici 18.

Pſ. 11.

Iſthic eſt theſaurus ſtultus in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Et ſanè ſi quid eſt quod animi benè conſtituti pulchritudinem, & quamdam morum concinnitatem arguat, is ſermo eſt, qui fingitur cogitatè, atq; efformatur in corde; non in labris temerè, atque incogitanter exoritur. vtriuſque rei exempla Poetarum monumenta ſuppeditant. Apud Homerum Vlyſſes, inter om-

omnes totius Græciæ proceres ſapientia, atque eloquentia princeps, cùm heros virtutum omnium complexione diuinus à poeta doctiſſimo deſcribatur, tum maximè vocem non ab ore, ſed è pectore inter loquendum emittere prædicatur, idque ſatis curioſè in noctibus atticis Gellius obſeruauit. Nero autem, infamis illa generis humani labes, naturæque portentum vltimum, cùm multis nominibus appellari potuiſſet à Perſio, illud tamen turpiſſimi probri loco à Satyrico audijt,

Pers. Sat. 1. vide Quintil. lib. 10. c. 3. Inſtit. & Epictet. apud Arrian l. 2. c. 16.

Hæc fierent ſi teſticuli vena vlla paterni
Viueret in nobis? ſumma de lumbe ſaliua
Hoc natat in labris.

Vt hoc etiam quamuis peregrino atque prophano veritatis teſtimonio ſacrum illud oraculum Eccleſiaſtici comprobetur, *In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum.*

Et ſane ſi rem libeat diligentius intueri, quàm ab omni ratione alienum eſt, ſi lingua non ſubſequatur mentem, ſed antecedat; animo non ancilletur, ac imperet; leges ab ingenio non accipiat, ſed leges ipſa præſcribat ingenio! quàm peruersè, quàm cęcè fieri omnia neceſſe eſt? Hominum pectus naturæ aliquid ſemper molientis officinam appellari poſſe, niſi vos aliter ſentitis, exiſtimo.

ibi

ibi nunquam illa torpeſcit otio, aut per deſidiam feriatur; ſed mortalium animos verſat, atque agit arbitrio ſuo, illoſque ad omnem fortunæ habitum format. Perturbationes modò conſopitas exſuſcitat, modò ſæuientes demulcet, modò homines mœrore contabeſcentes allidit atque proſternit. Vbi verò quid intra proſcenium egerit diducto ſipario ſemel aperire conſtituit, linguam aduocat, quę tanquam in ſcæna Roſcius, ex arte pronunciet; ita diſertè ſenſit Horatius:

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuuat, aut impellit ad iram,
Mox ad humum mœrore graui deducit, & angit,
Poſt effert animi motus interprete lingua.

ſi ergo interpretem agit lingua dum loquitur, vt cum Horatio Lucretius, Tullius, Lactantius, Prudentius, atque Nemeſius arbitrantur, ſcænam eo ingenioſius implebit; quo exactius arcanos pectoris motus interpretabitur. Hoc autem num aliud, oro vos, erit, quàm de animi perturbationibus ex ſermone conijcere?

Quòd ſi nomen illud interpretis ita libet interpretari, vt legatum, ſiue internuncium ſignificet; neque ab vſitata ve-

terum Latinorum notione diſcedemus, qui Mercurium Diuorum interpretem appellant;& linguæ beneficio patere nobis loquentum animos intelligemus, quod noſtræ diſſertationis argumentum eſt. Rem ergo percipite graui,& accurata Philonis Iudæi commentatione dignissimam. Cùm Iudæorum populum ſub acerbo Ægyptij regis imperio contabeſcentem, in libertatem aſſerere decreuiſſet Deus, Moyſem ab alijs ſeuocatum tantiſper in montem, & prodigiorum poteſtate donatum, Principē genti impoſuit, & captiuorum vindicem ſtatuit. Cauſatus ille oris infantiam, atque debilitatem, imperium à Deo ſpontè delatum modeſtè declinat; verùm vt ratum eſſet, quod diuinitùs ſancitum erat, Aaronem Moyſis fratrem ita Deus in imperij ſocietatem adſciuit, vt fratris ore Moyſes populum ac principes alloqueretur; cæterum principatus ratio vni tantùm Moyſi conſtaret. *Loquere ad*
Exod. c. 4. *eum, & pone verba mea in ore eius, ego ero in ore tuo & in ore illius.* In domeſtico humani animi principatu mens, veluti diuina pars hominis, in ſolio collocatur, quæ quoniam alieno beneficio indiget, vt ſapienter cogitata foras deriuet, linguam illi Deus interpretem eſſe voluit, cuius præſidio, & veluti legatione,

cordis arcana, quæ prodere non poterat ipſa per ſeſe, latè ad homines emanarēt, & plura quidem, eaque egregia proſequitur Philo, quæ ego libenter omitto, ne dum Auditorum curioſitatem exacuo, aures imprudenter obtundam.

De coniectura ex oratione, ſiue ſtylo.

DISSERTATIO DECIMA.

OS humanum domicilium gratiarum à Damaſcio iure vocatum, ſi cum cæteris hominum membris diligenter conferatur, tantam eſſe illius dignitatem, atque præſtantiam ſtatuent pleriq; ſapientum, nulla vt cum eo corporis pars componi poſſe videatur. nimirum quemadmodum loci ſublimitate reliquis præſtat, ita nobilitate muneris creditur omnibus antecellere. Hinc non magis venuſtè, quàm verè ab Apuleio, *Animi veſtibulum appellatur, orationis ianua, cogitationum comitium, & pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fœcunda*. Hinc luculentiùs dicitur ab Ambroſio, *Sermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis.* Hæc autem omnia oris elogia quamuis per ſe magnifica, atque in ſpeciem ampla, illo tamen vnico continentur, quòd quemadmodum intelligentiæ di-

dignitate propiùs ad beatas mentes accedimus, ita longiùs à brutis animantibus oris beneficio recedimus. Cùm enim ſermo peculiaris naturæ humanæ caracter ſit, quo ſegregatur à belluis, os vtique ſermonis opifex, artifex eloquentiæ iure primum inter cætera membra locum ſibi in corpore vindicabit. Verùm ego duriſsimo, vt arbitror, ore eſse non credar, ſi primas ori partes eripuero, & manus exultanti contumaciùs iniecero. Aio igitur manus hominis plurimum de oris dignitate detrahere, illudque ab humani corporis principatu deijcere. Et multa quidem eaque ſelecta à viris doctiſſimis congeruntur (eorum ego aliquem inter vos ſedentem, atque humaniſſimè audientem video, cùm audire potiùs docentem oporteret) multa inquam commemorantur, è penitiſſimis eruditionis tum ſacræ, tum prophanæ theſauris eruta, quæ volens, ac libens prætermitto. Illud tamen ſine piaculo præterire non poſſum, quod à Niſſeno Gregorio, maximo magni Baſilij fratre, in libro de hominis opificio traditur, & egregiè facit ad rem, de qua diſputo; niſi manus in corpore extitiſſent, ipſam etiã vocem articulatam quodammodo non fuiſſe futuram. Quòd ſi vni tantum homini, animalium prudentiſſimo, manus

na-

natura conceſſit, vt Galenus animaduertit, atque apud Ariſtotelem & Plutarchum, Anaxagoras, hoc ideo Niſſeni opinione factum eſt, vt earum opera expeditior in nobis ſermonis vſus efflore-ſceret; neque enim inter agendum ſupinæ, ac deſides ferientur, aut loquentem adiuuant tantùm, ſed loquuntur ipſæ per ſeſe; ijs quando poſcimus, vt ait Quintilianus, pollicemur, vocamus, ſupplicamus, abominamur, ijs gaudium, triſtitiam, dubitationem, copiam, tempus, oſtendimus. Hinc appoſitè apud Caſſiodorum Italiæ Rex Theodoricus mutam appellat muſicam, quæ ore clauſo manibus loquitur.

Sed diſſidium ego membrorum, quod olim in Sacro monte Menenij, Agrippæ ſapientia conqu[illegible] alias, ferro ter exulcero; dum litem inter os, ac manum ſero: manus oriſque concordia, naturæ legibus iam diremptam. Conſpirant etenim nobiles hæ humani corporis partes, animoque communem operam locant, ad retruſa cordis ſenſa communicanda; & os quidem adminiſtra vtitur lingua, manus verò calamum adhibet mentis interpretem; ſed in diſpari vtriuſque munere, par eſt, aut eadem potiùs vtriuſque conſenſio; vt ſi quis calamum linguam manus appellet, linguã

—— licuit, ſemperque licebit
Signatū pręſente nota procudere nomen,
hoc autem ita conſtituto, animum, oro vos diligenter aduertite.

Theſauros olim vnà cum Principum cadaueribus ita recondi ſolitos legimus, vt idem planè eſſet conditorium cineribus, theſauriſque commune. Et è Dauidis quidem Mauſoleo ab Hircano primum, mox etiam ab Herode impudenter expilato, tria talentorum millia, & magnam gemmarum vim fuiſſe ſublatā, in Iudæorum antiquitatibus teſtatur Ioſeph: ſecunda verò Perſarum Regina Semiramis (quam ego fęminam ſupra omnem maſculæ virtutis admirationem ſtatuo) quò aſtu incenſas Darij Regis cupiditates eluſit? Sepulchrum ſibi loco edito, atque conſpicuo conſtitutum elogij loco his notis inſcripſit. *Quicūq; ex Regibus pecunia indigueris ſepulchrum altè defodito, aurū quod ſitienter expetis reperturus*: credulus ille, ác ſpei plenus regium monumentum explorat, in quo auaritiæ exprobationem ſuæ, quam non quærebat, inuenit; theſauros quos optauerat, non inuenit. hinc æquiſſima tandem apud Romanos Martiani lege ſancitum eſt, ne theſauri cum cadaueribus conderentur. Hic ego vos appello mortales, genus infelix, ac ſponte ſolli-

Res nota. vide Kirkmannum de funeribus Romanorum l. 3 c. 24. Pined. ad 3. cap. Iob verſu 15. & alios Ioſeph. l. 13. antiquit. Iudaic. c. 15.

citum; in cæcis terræ latebris aurum, atque argentum, exilio, vt ita dixerim, ſempiterno natura damnauerat, quod vos, vt pretioſius interiret genus humanum, è tenebris eruiſtis. è terræ viſceribus ſemel effoſſum, iterum terræ viſceribus commendatur, miro vtrobique cupiditatis ingenio: ibi quęſiuit abſtruſa, hic quæſita cuſtodit, ò nimium cæca mortalitas, & intemperijs ſemper obnoxia. Animam abire pateris, diuitias tecum rapis in conditorium, vt eas animę pręferas vel in morte; quas tamen quis exanguia mortuæ fœlicitatis cadauera non appellet, dum in ſepulchro conduntur? Sed auaritia potiùs ſepelienda fuerat, quam theſauri; & terra tibi leuis eſſet, cui nunc tam graue auri, argentique onus incumbit. Sed quorſum hæc, dicet aliquis? non euagabor longius, Auditores, obſcuriſſimæ olim, atque inter ſe pugnantes, diſtractæque ſententiæ videbantur; quæ Sacroſancto è codice repetuntur. *Sepulchrum patens eſt guttur eorũ*, ait regius Pſaltes alicubi, at veritatis omnis Magiſter Chriſtus *bonus homo de theſauro cordis ſui profert bonum.* Si ergo ſepulchrum appoſitè dicitur cor humanum, patens quidem cùm os inter loquendum aperimus; quomodo etiam theſaurus non minùs

ido-

idoneè appellatur à Chriſto? illud nimirum duobus hiſce nominibus indicatur, quo de paulò ante diſſerebam, in ſepulchris theſauros recondi ſolitos à veteribus. Cùm ergo loquitur aliquis, vtrum aureum ſermonis nummum proferat è theſauro, an fędas potius cadaueris contabeſcentis reliquias euocet è ſepulchro, ipſo verborum argumento conſtabit.

Quidni enim inter cadauera verba numerentur, nullo prudentiæ ſenſu prędita, nullo vitalis ſapientiæ ſpiritu vegetata, ludicra, ſine ſucco, atque vt Domitius olim apud Gellium ex Catonis ſententia loquebatur, mortuaria gloſſaria, non philoſopho tantùm, ſed homine etiā leuiſſimo prorſus indigna? Nihil hic addo de prophanis, falſis, blandientibus; nihil de obtrectatione, atque calumnia diſputo. Rectè enim ſeptuaginta diuini Codicis interpretes ea
Abacuh. ſanctiſſimi Vatis verba: *Ante faciem eius ibi mors*, ita Græcè tranſtulerunt, vt mortis loco verbum collocarint *πρὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται λόγος, ante faciē eius ibit verbum*. Vtrùmque ergo aptiſſimè diuina Chriſti ſapientia copulauit, & bonis maliſque theſauri nomine ſepulchrū ſimul theſaurumque coniunxit. *Bonus homo de bono theſauro cordis*

ſui

ſui profert bona, & malus homo de malo thesauro, ac ſi diceret de ſepulchro, *profert malum*: quod ne aliò detorqueri facilè poſſet, ſed in ſermonem apprimè caderet, addit, *ex abundantia cordis os loquitur*. E contra verò Siracides de theſauro verborum accipiendus eſt, vbi dixit, *Aurum tuum, atque argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtaterã*, nimirum, vt optima hac loquendi temperatione in ſapientem caderet elogium illud, *Eloquia tua, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Diſcrimen autem inter prudentis, ſtultique theſaurum, quod ad rem noſtram pertinet, intercedere inde maximè patet, quod alteri quidem in corde, in labris alteri ſitus eſt; de illo præclarè inquit Ambroſius, *Vectem adhibuit foribus oris ſui, ſeruat theſaurum cordis ſui*: de hoc in Pęnulo Plautus,

Eccleſiaſtici 18. *Pſ.* 11.

Iſthic eſt theſaurus ſtultus in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Et ſanè ſi quid eſt quod animi benè conſtituti pulchritudinem, & quamdam morum concinnitatem arguat, is ſermo eſt, qui fingitur cogitatè, atq; efformatur in corde; non in labris temerè, atque incogitanter exoritur. vtriuſque rei exempla Poetarum monumenta ſuppeditant. Apud Homerum Vlyſſes, inter

om-

omnes totius Græciæ proceres ſapientia, atque eloquentia princeps, cùm heros virtutum omnium complexione diuinus à poeta doctiſſimo deſcribatur, tum maximè vocem non ab ore, ſed è pectore inter loquendum emittere prædicatur, idque ſatis curiosè in noctibus atticis Gellius obſeruauit. Nero autem, infamis illa generis humani labes, naturæque portentum vltimum, cùm multis nominibus appellari potuiſſet à Perſio, illud tamen turpiſſimi probri loco à Satyrico audijt,

Perſ. Sat. 1. vide Quintil. lib. 10. c. 3. Inſtit. & Epictet. apud Arrian l. 2. c. 16.

Hæc fierent ſi teſticuli vena vlla paterni
Viueret in nobis? ſumma de lumbe ſaliua
Hoc natat in labris.

Vt hoc etiam quamuis peregrino atque prophano veritatis teſtimonio ſacrum illud oraculum Eccleſiaſtici comprobetur, *In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illorum.*

Et ſane ſi rem libeat diligentius intueri, quàm ab omni ratione alienum eſt, ſi lingua non ſubſequatur mentem, ſed antecedat; animo non ancilletur, ac imperet; leges ab ingenio non accipiat, ſed leges ipſa præſcribat ingenio! quàm peruersè, quàm cęcè fieri omnia neceſſe eſt? Hominum pectus naturæ aliquid ſemper molientis officinam appellari poſſe, niſi vos aliter ſentitis, exiſtimo.

ibi

ibi nunquam illa torpeſcit otio, aut per deſidiam feriatur; ſed mortalium animos verſat, atque agit arbitrio ſuo, illoſque ad omnem fortunæ habitum format. Perturbationes modò conſopitas exſuſcitat, modò ſæuientes demulcet, modò homines mœrore contabeſcentes allidit atque proſternit. Vbi verò quid intra proſcenium egerit diducto ſipario ſemel aperire conſtituit, linguam aduocat, quę tanquam in ſcæna Roſcius, ex arte pronunciet; ita diſertè ſenſit Horatius:

Format enim natura prius nos intus ad
omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit
ad iram,
Mox ad humum mœrore graui deducit, &
angit,
Poſt effert animi motus interprete lingua.

ſi ergo interpretem agit lingua dum loquitur, vt cum Horatio Lucretius, Tullius, Lactantius, Prudentius, atque Nemeſius arbitrantur, ſcænam eo ingenioſius implebit, quo exactius arcanos pectoris motus interpretabitur. Hoc autem num aliud, oro vos, erit, quàm de animi perturbationibus ex ſermone conijcere?

Quòd ſi nomen illud interpretis, ita libet interpretari, vt legatum, ſiue internuncium ſignificet, neque ab vſitata ve-

terum Latinorum notione diſcedemus, qui Mercurium Diuorum interpretem appellant; & linguæ beneficio patere nobis loquentum animos intelligemus, quod noſtræ diſſertationis argumentum eſt. Rem ergo percipite graui, & accurata Philonis Iudæi commentatione digniſſimam. Cùm Iudæorum populum ſub acerbo Ægyptij regis imperio contabeſcentem, in libertatem aſſerere decreuiſſet Deus, Moyſem ab alijs ſeuocatum tantiſper in montem, & prodigiorum poteſtate donatum, Principẽ genti impoſuit, & captiuorum vindicem ſtatuit. Cauſatus ille oris infantiam, atque debilitatem, imperium à Deo ſponte delatum modeſtè declinat; verùm vt ratum eſſet, quod diuinitùs ſancitum erat, Aaronem Moyſis fratrem ità Deus in imperij ſocietatem adſciuit, vt fratris ore Moyſes populum ac principes alloqueretur; cæterum principatus ratio vni tantùm Moyſi conſtaret. *Loquere ad* *Exod. c. 4.* *eum, & pone verba mea in ore eius, ego ero in ore tuo, & in ore illius*. In domeſtico humani animi principatu mens, veluti diuina pars hominis, in ſolio collocatur, quæ quoniam alieno beneficio indiget, vt ſapienter cogitata foras deriuet, linguam illi Deus interpretem eſſe voluit, cuius præſidio, & veluti legatione,

cor-

cordis arcana, quæ prodere non poterat ipſa per ſeſe, latè ad homines emanarēt, & plura quidem, eaque egregia proſequitur Philo, quæ ego libenter omitto, ne dum Auditorum curioſitatem exacuo, aures imprudenter obtundam.

De coniectura ex oratione, ſiue ſtylo.

DISSERTATIO DECIMA.

OS humanum domicilium gratiarum à Damaſcio iure vocatum, ſi cum cæteris hominum membris diligenter conferatur, tantam eſſe illius dignitatem, atque præſtantiam ſtatuent pleriq; ſapientum, nulla vt cum eo corporis pars componi poſſe videatur. nimirum quemadmodum loci ſublimitate reliquis præſtat; ita nobilitate muneris creditur omnibus antecellere. Hinc non magis venuſtè, quàm verè ab Apuleio, *Animi veſtibulum appellatur, orationis ianua, cogitationum comitium, & pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fœcunda.* Hinc luculentiùs dicitur ab Ambroſio, *Sermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis.* Hæc autem omnia oris elogia, quamuis per ſe magnifica, atque in ſpeciem ampla, illo tamen vnico continentur, quòd quemadmodum intelligentiæ

dignitate propiùs ad beatas mentes accedimus, ita longiùs à brutis animantibus oris beneficio recedimus. Cùm enim ſermo peculiaris naturæ humanæ character ſit, quo ſegregatur à belluis, os vtique ſermonis opifex, artifex eloquentiæ iure primum inter cætera membra locum ſibi in corpore vindicabit. Verùm ego duriſsimo, vt arbitror, ore eſse non credar, ſi primas ori partes eripuero, & manus exultanti contumaciùs iniecero. Aio igitur manus hominis plurimum de oris dignitate detrahere, illudque ab humani corporis principatu deijcere. Et multa quidem eaque ſelecta à viris doctiſſimis congeruntur (eorum ego aliquem inter vos ſedentem, atque humaniſſimè audientem video, cùm audire potiùs docentem oporteret) multa inquam commemorantur, è penitiſſimis eruditionis tum ſacræ, tum prophanæ theſauris eruta, quæ volens, ac libens prætermitto. Illud tamen ſine piaculo præterire non poſſum, quod à Niſſeno Gregorio, maximo magni Baſilij fratre, in libro de hominis opificio traditur, & egregiè facit ad rem, de qua diſputo; niſi manus in corpore extitiſſent, ipſam etiã vocem articulatam quodammodo non fuiſſe futuram. Quòd ſi vni tantum homini, animalium prudentiſſimo, manus

natura conceſſit, vt Galenus animaduertit, atque apud Ariſtotelem & Plutarchum, Anaxagoras, hoc ideo Niſſeni opinione factum eſt, vt earum opera expeditior in nobis ſermonis vſus effloreſceret; neque enim inter agendum ſupinæ, ac deſides feriantur, aut loquentem adiuuant tantùm, ſed loquuntur ipſæ per ſeſe; ijs quando poſcimus, vt ait Quintilianus, pollicemur, vocamus, ſupplicamus, abominamur, ijs gaudium, triſtitiam, dubitationem, copiam, tempus, oſtendimus. Hinc appoſitè apud Caſſiodorum Italiæ Rex Theodoricus mutam appellat muſicam, quæ ore clauſo manibus loquitur.

Sed diſſidium ego membrorum, quod olim in Sacro monte Menenij Agrippæ ſapientia conqu[illegible] ter exulcero; dum litem inter os, ac manum fero: manus oriſque concordia, naturæ legibus iam diremptam. Conſpirant etenim nobiles hæ humani corporis partes, animoque communem operam locant, ad retruſa cordis ſenſa communicanda; & os quidem adminiſtra[illegible] vtitur lingua, manus verò calamum adhibet mentis interpretem; ſed in diſpari vtriuſque muñere, par eſt, aut eadem potiùs vtriuſque conſenſio; vt ſi quis calamum linguam manus appellet, linguā

verò oris calamum dicat, à ſapientum virorum non ſic opinione diſceſſurus. Neque hic ego linguoſos digitos, manuſque loquaciſſimas apud Caſſiodorum, ac Cyprianum commemoro; hæc enim ad geſtum referenda eſſe non ambigo; ſed Homeri ſententiam, atque Ægyptiorum documenta perpendo; ille enim pennata, ſiue alata oris verba, vt ori calamum adſcriberet, nominauit; hi verò ſermonem innuentes, linguam ſubtuſque manum pingere ſoliti ſunt, vt Horus Apollo memoriæ prodidit; vtrũque autem elegantiſſimè diuinus Pſaltes copulauit cùm cecinit, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*.

In Hieroglif.

Quibus ita conſtitutis, quis mihi non iure ſuc[illegible]iam profligata, [illegible] de manu; & quod de verborum coniectura ad perturbationes pernoſcendas opportunè conſtitui, de ſtyli præiudicio non exquiram? Hodiernæ igitur diſſertationis argumentum ſit, vtrum ſcribentium ſtylus latentes animi perturbationes prodere poſſit. quo in argumento, vt clariùs, vtiliuſque verſemur, illud initio cum Clemente Alexandrino arbitror ſtatuendum; perinde literatorum monumenta animæ partus vocari poſſe, ac filij, qui è parentibus procreantur. Hinc

de libro furto ſurrepto, tanquam de filio latenter abducto Petrus Damianus ſanctimonia, & eloquentia clarus ingemiſcit, atque conqueritur; *Tulit librum meum, quem velut filium vnicum vlnis vterinæ dulcedinis amplectebar*. Cùm enim humana mens, rerum quas intelligit, induit ſimulachra, tunc verbum, quod ab ipſa nominatur, concipere à philoſophantibus dicitur. Fœtum verò tunc potiſſimum excludit, ac parit, cùm maximos inter ſtudiorum angores lucubrationes enititur: quæ vt originem ſuam cum fide repræſentent, eas menti quàm ſimillimas naſci neceſſe eſt. Quoniam autem infinita propemodum ingeniorum varietas, recondito Platonis commento fidem adſtruit, qui animarum alias auro, argento alias, ferro, plumboque conflabat, inde etiam varia omnino ſunt, & inter ſe quandoque pugnantia, ſtyli, atque elocutionis genera, quorum vnumquodque de ingenio ſuo plurimum trahit: & quia non poteſt eſſe alius ingenio, alius animo color, vt grauis autor Seneca diſputat, inde neceſſario conficitur, vt ſcribentis Stylus dictantis animi ſimilitudinem exprimat. Lapidem ſe Megaris vidiſſe teſtatur in Atticis Pauſanias, qui calculo vel imprudenter ictus, modulatè reſonaret, &

fidium concentum, aut æmularetur, aut vinceret: Apollinis id beneficio factum putat, qui cùm cytharam ibi depoſuiſſet, lapis efficaci fidium contactu ſonum imbibit, opportunè reddendum. rauſicum ſanè miraculum, quod fabuloſum Ouidij teſtimonium comprobauit.

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram, ſaxo ſonus eius inhæſit.

Ingenioſiùs fortaſſe, ſine dubio veriùs ſcriptorum lucubrationibus eorum animos adhæreſcere ratione, vſuque decretum ſanciente dicemus; ac rectè proinde ab ſtyli conditionibus de auctoris moribus non inſipienter conijci poſſe. Hoc nimirum indicio flagitioſos Arrij mores Sacroſanctus Nicenorum Patrum conſeſſus deprehendit, iuſteque compeſcuit. Cùm enim impudentiſſimus nouorum dogmatum concinnator, de rebus religionis noſtræ grauiſſimis diſputationē inſtituiſſet, Thaliam (ſic enim Conuiuium ſuum, ſiue Crapulam inſcripſit) Sotadico dicendi genere de honeſtauit; cuius ſtyli inuerecundam prorſus impuritatem tam acriter inſectatus eſt, cum cæteris, Athanaſius vt iuſtiſſima tanti conſeſſus ſanctione Arrij volumina proſcripta ſint. rem è Nicenæ ſynodi actis repetitam fusè perſequitur Baronius

Car-

Cardinalis in Annalibus immortalitate digniſſimis.

Mihi ſanè ſcriptorum monumenta diligentiùs volutanti, ſpecies illa ingenij latentis oculis obuerſatur, quæ ſæpè à contemplatione operis, ad opificis animum perſcrutandum incogitanter abducit. Adeſte quæſo animis, ſi placet, Auditores, & quoniam teneram anni pubertatem Maius explicauit, in collem molliter intumeſcentem ſecedamus, Sicularum ad Æthnam Virginum curas, florum prædatrices obſeruaturi. quàm magno res molimine à Claudiano deſcribitur? poſt multa tandem,

—hæc lilia fuſcis.
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis: hæc alba liguſtris.

& ne degeneres tantùm puellas in id ſtudium putemus incumbere:

Æſtuat ante alias auido feruore legendi
Frugiferæ ſpes vna Deæ, nũc vimine textos
Ridentes calathos folijs agreſtibus implet,
Nunc ſociat flores, ſeſeque ignara coronat.

Quid hic agis Proſerpina dum flores decerpis, flos ipſa iamjam à Plutone decerpendus? tam operosè coronam capiti plectis, diurnum decus, atque inter ipſas plectentis manus immoriens? nimirum puellam coronamento ſe prodit, nullis

adhuc grauioribus curis obnoxiam, nihil de matris lacrymis, frugibuſque ſollicitam; & ab imminenti ſibi diſcrimine ſecuram potiùs, quàm tutam. non longiùs abibo. Egregiùs morum formator Plutarchus, cum Virginibus illis ſcriptorem comparat, cuius dictio fluxa, minuti luſus, digreſſiones ineptæ, affectatæ rerum deſcriptiones, nullum ſine epitheto nomen, putida periodorum rotundatio, picturata elocutionis ſpecies, ſine ſucco, ſine ſanguine; ac propterea ſubitò interitura. quæ omnia animum arguunt leuem, inconſultum, ſubſultantem, vanis rerum imaginibus addictum, formæ, quàm famæ amantiorem; quippe Helenam, quam bonam fingere ſe poſſe deſperat, vſque ad faſtidium ornat. Sed leuia tantùm perſequitur, in mollia hactenus non prolabitur. apud Homerum Vlyſſes à Melantio deridetur, atque adeò impudentiſſimè verberatur, quod
Panis fruſta petens, nō enſes, atq; lebetes.
ipſa emendicandi vilitate humilis, abiectique animi mendicitatem patefaciat; quid de ſcriptore illo cenſebimus, qui elocutionem è triuijs compotabilibus, vt cum Apuleio loquar, mutuatur; metaphoras è carnificis manu extorquet, ſtylo ſuo iugulandas; imagines à popinis; à tonſtrinis adagia; decorum à mu-
lio-

lionibus; à caprarijs vrbanitatem petit? qui ſi poeticam maieſtatem velit attingere, illam pedeſtri, ac planè vulgari loquendi genere deprimit; in inueniendo ſtolidus; in rerũ ordine perturbatus; confuſus in partibus; in numeris diſſolutus; ita ſæpè durus, nullo vt accuratæ pronunciationis lenimento molleſcat; plerumque tam ſalebroſus, vt eadem carmina conſtantiſſimus lector ſecum repetere cogatur, ad rithmum aliquem, ſi fieri poſſit, eliciendum; ſemper tam abiectus nulla vt argumenti dignitate, aut etiam diuinitate conſurgat? hunc autem lutulentũ Parnaſſi fontium corruptorem, qui in tornando milio laborioſè deſudat, ferendum putabitis, Auditores, ſi (quod Iulianus Cæſar in Euſebiæ encomio quæritur) opellarum fabricator ineptiſſimus, quaſi vetus ille Myrmecides, audeat aduerſus Phidiam, operum maieſtate præſtantiſſimum decertare? & tamen ita plerumque contingit, vt ſordidus quicunque plaſtes, qui ad homulorum ſtatuas effingendas, argillam verſans, manus infœliciter inquinat, continuò Prometheum audire, lutòque principi animum cupiat inhalare; quia nimirum ridiculo in labore pene animam exhalauit. Sed me per otium cum plebis buccinatore garrien-

tem Traſonis neſcio cuius paratragædiantis clamor de via cedere tantiſper iubet: uullos hic lictores video, qui faſcibus turbam ſummoueant, ipſe ſibi Conſul, lictor, vtinam & virga ſit. Pulmonis vitio laborat miſer, tam violenter anhelat. audin.

Perſius Sat. 5. *—— bullatis vt mihi nugis*
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo?

Iamdudum opinor, Auditores, prudenti cogitatione percipitis, quò collineet oratio mea. Phaleratas illas inflati ſcriptoris nugas exagito; qui vbi ſemel ſiue eloquentiæ, ſiue poeſeos cœlum inſediſſe ſe putat (putat autem facillimè) nouus derepente Salmoneus, aſtra omnia ſtrepitu concutit, & veluti è regio Apocalypſeos ſolio, fulgura tantùm, tonitrua, promicationes, ore tumidiſſimo crepat. nimirum fulgurare, tonare, totamque Græciam permiſcere dictus eſt Pericles. Sapis vt video prælargæ follis animæ, & ad ſummum eloquentiæ apicem ſumma etiam celeritate peruenies, quia te ventus impellit. I fœlix non iam terræ, ſed auræ pondus, & nouam nobis, alioque ſub ſole debacchantem dicendi facultatem para, tragicam, dithyrambicam, fanaticam: iam diſcimus exemplo tuo, quæ grandis, quæ

toroſa, quæ lacertoſa ſit dictio. pictura-tas illas Tulliani oris delicias. eneruem, exanguemque orationem; orationem dico? cadauer potius Ciceronianæ orationis auerſamur. Nullus nobis Virgilius eſt, Catullum lepido cum ſuo libello valere iuſſimus, cæteram Poetarum, atque Hiſtoricorum turbam ne lectione dignamur quidem. Ita eſt, Auditores, animus ille contumax, ideo tumidus, quia ſe ipſo plenus, inuerecundiã, quam in ingenij monumentis oſtentat, etiam ſibi reſeruat in moribus; iratus omnibus indulgens ſibi, alienæ exprobrator inſcitiæ, aſſentator ſuæ, temerè propria circumſpiciens, antiqua ſuperbè faſtidiens; nam de recentioribus quid attinet dicere? nullum hactenus tantæ molis capacem, aut inuenit, aut reperit, cui arcanos ingenij theſauros cum dignitate committeret, & dubitamus adhuc vtrum certa ſit perturbationum coniectura, quæ à ſtylo repetitur? Seneca certè, ſi non optimus ſtyli Magiſter, & artifex, probatus ſaltem morum cenſor, & arbiter, non ſingularis tantũ hominis, ſed vniuerſæ ciuitatis, aut ſæculi mores orationis quadam veluti ſtructura metitur. In Mecenatem præſertim inuehitur, virũ ingenio quidem magno, ſed quem maior fortuna peſſum

dedit,

Epiſt. 115. dedit, *Videbis*, inquit, *eloquentiam ebrij hominis inuolutam, & errantem, & laſciuia plenam;*

Mox autem. *cuius verba cùm legeris, hoc tibi occurret, hominem eſſe qui ſolutis tunicis in vrbe ſemper inceſſerit; hunc eſſe,*

Et paulò poſt. *cui cum maximè ciuilibus bellis ſtrepentibus, & ſollicita vrbe, & armata, comitatus hic fuerit in publicum, ſpadones duo, magis tamen viri quàm ipſe: cuius verba tam improbè ſtructa, tam negligenter abiecta, tam contra conſuetudinem omnium poſita, oſtendunt mores quoque non minùs nouos, & prauos, & ſingulares fuiſſe.* At verò M. Cato viuum illud infractæ virtutis ſimulachrum, diuinitus mortalitati conceſſum, vt quid contra ingruentem ſcelerum tempeſtatem poſſet vnius hominis virtus oſtenderet, ille inquam Cato libertatis propugnator, ſupra omnem vitæ cupiditatem; cuius per vltimum, ac fortiſſimum vulnus libertas animam emiſit, ne poſt libertatem Cato, poſt Catonem libertas viueret; exactæ quidem ſapientiæ fuit, eloquentiæ verò eius, quæ res fortiſſimas deceat, vt Plutarchus eſt autor; elatæ, maſculæ, propemodum aſperæ; vt illius etiam loquendi genus morum cenſura crederetur. Alexandrum ferunt fortunatum è Macedonia bellatorem, & principem, Ilium aliquando florentiſ-

ſimam

ſimam olim Aſiæ vrbem veniſſe;hic dum antiquæ ſtragis monumenta, & maximi quondã imperij reliquias vltimas contemplatur, è ciuibus neſcio quis ſpecioſiſſimam è theca Paridis lyram, auro atque ebore interſtinctam educit, eamq; regio iuueni viſendam offert. auerſatus ille ſpectaculum militaribus oculis indignum, Achillis teſtudinem optare ſe dixit. Nimirum ad illam mollis amator, & procax fœminarum raptor nihil cecinerat aliud, quàm amatorias nequitias, delicias, veneres; Achilles autem fortia, ſub Centauri diſciplina, Heroum facinora numeroſè ad lyram decantare didicerat. Hunc autem animi magni ſenſum, quem ſui ſemper ſimilis Alexander Phrygibus obiecit, nunquam ab Hadriani carminibus imbibes, ſtylo marcido, nedum laſciuo compoſitis; nunquam ab elumbi, & tenero, & laxa ceruice legendo Neronis poematio, quod Perſius exagitat, hauries. Muſas Syrenis anteferendas ex hoc eodem loco iampridem monui; idem iterum, iterumque vbi iam de ſtylo agitur, monebo. Syrenes enim comptos, lepidos, molleſq; ſermones interpretatur Theodoretus; Muſas verò dictionem ſobriam, compoſitam, grauem putat. cum ergò plerumque mores oratio proferat, &

Plutarchus li. 2. de fortuna, & virtute Alex.

animi ſecreta patefaciat, cum Meſſala ſtylo nitidus, & candidus præſetuliſſe in dicendo nobilitatem ſuam à Quintiliano dicatur; Cæſarem verò acutum, & concitatum eodem animo dixiſſe, quo bellauit, appareat; illiberalis planè animi ſit, & penè diſſoluti, ita ſapientum virorum de ſe iudicia negligere, vt peſſimus ſit ſtylo, per ſtylum autem etiam moribus color; quòd ſi vſitato Poetarũ mendacio mores plurimum à ſtylo diſtare, noſtris cupiditatibus blandientes dixerimus, illud nobis Cicero eleganter obtrudet, quod in oratione pro Cœlio legimus, *quantum à rerum turpitudine abes, tantùm te à verborum libertate ſeiungas*. Et vt domeſticum adhibeam teſtem, qui in hoc ipſo ſapientiæ capitolio, aureis inuectus eloquentiæ quadrigis, annis ſuperioribus triumphauit, Muretum virum diſertiſſimum audite.

Raro moribus exprimit Catonem
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

Atque hic finis eſto, proxima autem diſſertatione de corporis cultu ad animos indagandos diſputabo.

De coniectura ex cultu corporis, & primum de capillamento.

DISSERTATIO VNDECIMA.

CVrioſa, nulliſque adhuc iudicum ſententijs explicata lis eſt, quæ de Gratijs (Charites Græci dicunt) inter veteres fabulatores agitata diutiùs, nunc etiam magna partium contentione recrudeſcit. De numero, aut nominum varietate non diſputo, quamquam in hac etiam quæſtione vſque adeò pugnantia à Mythologis memorantur, vt longè plures ſcriptorum de Gratijs opiniones, quàm ipſæ Gratiæ numerentur. Verùm ego illud cum multis anquiro, nudæ ne fuerint, an veſtimentis ornatæ? & ſanè Pauſanias in Bæoticis à priſcis ſiue fictoribus, ſiue pictoribus, Bupalo, Apelle, Pythagora Pario, & Socrate Sophroniſci filio indumento velatas affirmat, quod ex decori legibus factum ab illis fuiſſe ipſa ratio perſuadet. Virgines nimirum ſunt Gratiæ, atque ideo verecundæ, & frontis ad hominum conſpectum ſatis infirmæ. Quid ergo illas oportuit vulgi oculis proſtituere, cùm palam ſit fœminam eadem opera cum veſte pudorem exuere, induere petulantiam, nec amictu magis corporis, quàm

Vide Senec. li. 1. de benefic. c. 3. & 4. Pauſanias li. 9.

omni virtutis ornamento nudari? At verò ſi amicitiæ, aut amicæ liberalitatis ſymbolum, lepidiſſimo Gratiarum commento, antiquorum ſapientiſſimi excogitarunt, quid magis à veræ amicitiæ ſimplicitate alienum, quàm amici animum (quem nudum, apertumque in familiari conſuetudine, humanæ ſocietatis genius expoſcit) neſcio quibus rerum inuolucris onerare potiùs, quàm ornare; vt non modò in amici oculos non incurrat, ſed illum venari diligentia debeamus, inter vepreta, ac frutices tanquam in inſidijs deliteſcentem? cur beneficia non candore minùs dantis, quàm grata accipientis voluntate commendata, ita orationis fuco, & phaleris amplificemus, quod à Iamblico, atque Iſidoro ingeniosè dictum eſt, vt ſub verborum potiùs faſce amici verecundia laboret, quàm beneficij fructu illius indigentia ſubleuetur? Nimirùm hoc eſt Mercurium Gratijs copulare, quod Seneca deteſtatur. In vtramque igitur partem à ſcriptoribus multa dicuntur; neque is ego ſum, qui vel nominis autoritate dirimere diſſidium poſſim, vel offenſionum deſiderio fouere partium ſtudia debeam; illud potiùs cõſtanter, diſerteque pronuncio, innocentiam nullo ad formæ lenocinium cultu,

nullo

nullo ad virium efficacitatem ornamento indigere, ſed nudam omnino, ac ſine velo Iunones omnes Homericas, tum maximè Iouis cupiditatibus blandientes, virilis elegantia formæ ſuperare. Veſtes ſcilicet, & reliqua corporis ornamenta, quibus fatua multorum ambitio gloriatur, criminis pœna ſunt, profligatæque innocentiæ ſupplicium, non ornatus. Teſtis eſt Adam primus ille humani generis proſeminator infęlix, qui in amęno delicientis naturæ viridario, quod diuina manus excoluerat, conſtitutus, rerum omnium princeps, nudus tamen, & inueſtis conditori ſuo ſtetit, vna tantum innocentia tectus, omni pallio denſiore. Inuidit illi pretioſam nuditatem ſerpens à primordio verſipellis, & mendax; atque vt illum innocentiæ veſte ſpoliaret, diuinitatis paludamentum inani pollicitatione mentitur. Hinc ignoratam hactenus deceptus Adam exhorruit nuditatem; tum maximè cœcus, cùm primum videre ſe cœpit exutum; nec aliud criminis indicium fuit, quàm quod nouit eſſe ſe nudum. Hinc fortuita veſtis ab arborum folijs quæſita. Occiſæ ſcilicet innocentiæ cadauer obtegendum fuit, & ſerus iam obuelandus ex pœnitentia rubor, qui corpus aſperſerat. Cultum ergo

corporis, quem innocentia non quæſiuerat, ſcelus inuenit, ſed ne proditus ſemel flagitio pudor, nuditatem, quã ipſe pudendam fecerat, abſcondere tantùm velle videretur, etiam ornare conſtituit, ſic veſtis paulatim abijt in ornatum, & quod ſupplicium olim fuerat, gloria nunc putatur. Vniuerſum ſiquidem elegantiæ choragium explicauit ambitio, quæ inter ipſa patrati criminis veſtigia laudem quærens, ne nuda videatur, laſciua iam eſt. Ecquis ergo veſtrum, Auditores, dubitare iam poterit, vtrum ornatus corporis, ſcelere primum partus, mox impudentia auctus, inter indicia, quibus animus, exploratur, referendus ſit?

Age igitur, & mos ambitioni geratur, quæ quoniam theatrum amat, & elegantiæ ſuæ teſtes, non tam vniuerſa confertim, quàm ſingula ſeparatim curioſiùs indagari cupit. Ornatum ego à corporis cultu ita cum Tertulliano, robuſtæ eloquentiæ principe, ſtatuo ſegregandum, vt cultus idem ſit cum mundo muliebri; qui auro, & argento, gemmis, & veſtibus continetur; ornatus verò totus in capillorum, cutis, atque earum corporis partium cura ſit, quæ oculis lenocinantur, & immundus fœminarum mundus ab Afro doctiſſimo nominatur.

Hæc

Hæc autem vtriuſq; diſtinctio deſumitur à Varrone: cui præclari Iuris non tam interptetes, quam autores Vlpianus, & Iulius Paulus adſtipulantur. cultu ergo corporis in aliam diſſertationem reiecto, de ornatu iam quæro, vtrum ex diuerſa capillorum cura, diuerſus etiam animi habitus colligatur.

Neq; hic ego capillos in vniuerſum imprudenter accuſo, vel accuratè circumtonſos, vel moderatè promiſſos, vel ingenio ſuo flexos, quales in Circe ſua Petronius amabat. Noui etenim ab Auguſtino, viro doctrina, & morum ſanctimonia maximo dictum olim, capillos non ſuperfluè factos à Deo in humano corpore, ſed ad aliquod ornamentum, quod luculentiùs explicarit Ambroſius in 6. libro politiſſimi operis, in quo primam terrarum orbis molitionem eleganti ſtylo deſcribit: *Coma, inquit, venerenda eſt in ſenibus, in ſacerdotibus veneranda, terribilis in bellatoribus, decora in adoleſcentibus, in mulieribus compta, dulcis in pueris: tolle arboris comam, arbor ingrata eſt, tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flacceſcit.* à qua viri ſanctiſſimi ſententia non diſceſſit Ouidius,

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,

Et

Et ſine frōde frutex, & ſine crine caput.

Plutar. in Apo-pht. & in Lyſandro vide Heliod. lib. 2. hiſtor. Æthio.

Quod adeò nationes olim, & bellicæ virtutis, & ſeueritatis laude florentes imbiberant. vt rigidus ille, ac plane ferreus morum formator Lycurgus capillitium ſuis legibus conſecrarit; vel ad augendã, ſi fortè in eam incidiſſet, formæ venuſtatem; vel ad timorem hoſtibus incutiendum, ſi deformis ac fortis militis caput ornaſſet: quod prudentis Legiſlatoris decretum à Lacedæmonijs ea mentis alacritate receptum eſt, vt quotieſcumq; grande aliquod, expiandumque illis periculum immineret, crines, & quidem diligenter, ex arte componerent. Mollem hanc, vt putabat, Lacedæmonũ conſuetudinẽ apud Herodotum molliſſimus irriſit Perſa; verũ vltimo propemodũ exercitus excidio temeraria ſtetit irriſio. Cùm enim trecenti Lacedæmonij duce Leonida inſeſſis Termopylarum anguſtijs, vniuerſum Perſarum exercitũ quodammodo profligaſſent, patuit tunc feroces Lacedæmoniorum animos nullo capillorum ornamento molleſcere, nullis è ſpeculo reiectis imaginibus elumbari. Nimirum in ſpeculum quoties intuebantur, præſtantium toties bellatorum ſimulachra cernebant, quo obiectu exacui virtus, atq; inflãmari ſolet. Quid multa? non ſacerdotes, non Mænades,

Vide Syneſiũ in Encomio Caluit. propem init.

non Reges tantùm prolixè capillos excoluere, verùm præcipua etiam numina vetuſtatis, hac quaſi diuinitatis appendice donata à viris erudiriſſimis legimus. Et Philoſtratus quidem Horas, Steſicorus Charites, Muſas Simonides, Apollonius Venerem, Homerus Iouem, Apollinem Pindarus, Bacchum, Neptunum, Iſidem, omnes, vario capillamenti genere decorarunt; vt mirum nemini videri debeat, ſi coma alicubi concordi populorum conſenſione nutriatur, cùm ad corporis ornatum efficax ſeruandæ ratio valetudinis accedat. Præclarè ſiquidem Medicorum princeps Galenus, & Galeno præſtantior Ariſtoteles, caput ſenſuum, rationiſque arcem, fœcundo pilorum veluti plantario naturam conſeuiſſe teſtatur, partim vt affluxus humorum ſubrepentium nonnihil ebiberent; partim vt eo, quaſi velleris tegumento aduerſus aeris iniurias vteretur. Atqui vt vera ſint omnia, de quibus hactenus diſputauimus; non adeò tamen malè coercitam crinium luxuriem rerum natura conſtituit, nulli vt recrementitiā capitis ſegetem reſecare, aut ad iuſtam moderationem liceat reuocare. Vnguenta verò, infecturas, diſcrimina, flexus, errores, & huiuſmodi portenta mille, in quibus vel pectine, vel calamiſtro, vel

Vide Hadri. Iun. cõment de Coma c 3. & Philoſtr. ep. 26.

Vide Clement. Alex. Pedago. l 3 c. 11.

acu

ācu luditur, tanquam ſibi contumelioſa deteſtatur. Ex his ego eliciendam animi coniecturam aio. At comas vnguento perfundere conſuetudo potiùs obtinuit, quàm luxus extorſit, vt de publicis moribus quærendum ſit, ſi de odoratis capillorum guttis quæri velimus. Sit vt lubet, Auditores, epidemicos tamen morbos (qui vtinam calamitoſæ tandem Italiæ reliquijs parcerent) non ideo peſtilentes negamus, quia in populos impunè graſſantur, & integras, florenteſque prouincias depaſcuntur. Fuerit hæc ſanè inſana multorum licentia, verùm ea corruptis iam Aſiatica intemperantia moribus inoleuit, vt Plinius eſt autor. Quòd ſi veterum monumenta conſulere bona fide velimus; quos, oro vos, vnguentis delibutos deſcribunt, præter Troſſulos, hoc eſt equites Romanos, vt Varro; Ebrioſos vt Horatius; aulicum mancipium mollitie fractum, vt Agatius; mulieroſum, aut luxu diffluentem, vt Martialis; Sardanapalum vt Maximus Tyrius. dicitur quidem à M. Tullio de Piſone; erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ. at quis tandem Piſo erat, de quo illa dicebantur? homo ſeu potiùs portentum hominis, vt alibi idem Tullius affirmat, vini, ſomni, ſtupri plenum, madente coma, compoſi-

Vide Clem. Alex. Pædag. l.3.c.3.

to capillo. Hinc Veſpaſianus Cæſarum decus, ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam prætermitteret, adoleſcentulum fragrantem vnguento, cùm ſibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aſpernatus, voce etiam grauiſſima increpuit, *maluiſſem allium oluiſſes*, literaſque reuocauit, vt Suetonius retulit in Commentarios. Quòd ſi monſtrorum ille domitor Hercules, qui terrarum orbem vindicando peragrauit, malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum, mariſque pacator, tandem apud Senecam tragicum, *Sueton. Tit. c. 8*

—— ſpolia depoſuit feræ,
Crinemque mytra preſſit, & famulus ſtetit,
Hirtam Sabæa marcidus myrrha comam:

non ante tamen delicato vnguenti latice frontem imbuit, quàm illas tot portentorum triumphatrices manus degeneri labore dehoneſtaſſet; quàm ceruicem ſub cœli pondere irretortam, & penè ſideribus illatam, in amaſiæ ſinum laxam reclinaſſet; quàm infractum animi robur & aduerſus nouercæ prorſus nouercantis iniurias contumax, amatorijs delicijs emolliſſet; quam depoſito Leonis exuuio Herculem exuiſſet; quam fœmineis blanditijs eneruatus, omnes prorſus virtutis igniculos extinxiſſet, Tunc verò quid ex Hercule illo priſco ſupererat, niſi

Herculis figmentum, & larua? vt illum propterea muliebri obrutum indumento, exoticas etiam vnguentorum illecebras accerſiſſe crediderim, ne Hercules crederetur; & heroicum Herculis nomen, tituloſque tot laboribus glorioſè quæſitos, marcenti cupidineæ vitæ otio effæminaret. generoſiùs ille, & ad maſ-
Cant. 5 culæ virtutis ſpecimen aptiùs, qui ante ſponſæ oſtium, nocte intempeſta ſollicitus, caput ſuum rore plenum, & cincinnos ſuos commemorat guttis noctium redundantes. At ego bene illum olere puto, qui nihil olet, inquit non nemo; nec odoratas ex Arabia merces, nec ſudata Aſſyriorum balſama, nec Sabæam myrrhæ opulentiam veneror. illud vota explebit mea, ſi comis iam albeſcentibus virides ſubſtituam, ætatique iam labanti nouitate coloris imponam. Sapis, vt video Lentine, & Medeæ, pigmenti huiuſcemodi repertrici, reparatrici Cleopatræ, voti reus litare iam potes. Salue mihi in ſenio iuuenis Lentine, immortalitatis aſſertor, elegantiæ reſtitutor, pulchritudinis inſtaurator, triumphator naturæ, artifex iuuentutis, ſenectutis amolitor, mortis vtinam fortunate deceptor: ſed quàm vereor ne diuine de te vates diuinauerit,

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis,

Tam

Tam ſubitò coruus, qui modo Cycnus eras
Non omnes fallis, ſcit te Proſerpina canũ,
Perſonam capiti detrahet illa tuo.
quàm timeo ne, quemadmodum anus Lucilij carminibus nobilis comas inficiens, ex Hecuba in Helenam opinionis errore, ſtultiſſimè commigrabat, ita tu ſtolide Paris fias è Neſtore, ſed ſola mentis leuitate Paris, nunquam graui morum temperatione, aut eloquentia Neſtor? an non Archidami Lacedæmoniorum Regis conuitium perhorreſcis, & te cum Cæo illo ſene procul ablegandum cenſes, quòd mendacium non animo tantùm, ſed etiam crine circumferas? Sed ætatem ego non mentior, at decorèm; nec iamjam præcidendam vitæ telam, textricibus obnitentibus, redordiri placet. inexorabile per me decurrat Parcarum penſum; ſurda obdureſcant mortalium precibus fata; neceſſitatem ſponte ſequor, ne ab illa trahar inuitus. Verùm quid prohibet, quominus intereà properata canities retardetur, & non tam annorum ſpatio, quàm curarum angoribus accerſitus ſenectutis color, rurſus artificio flaueſcat? cur tam citò integræ flos virilitatis emarceat? cur oris illa maieſtas, quam circumfuſum capiti aurum amplificat, per ſummam crinis iniuriam contabeſcat? Superbiſſime mortaliũ, & in

Martial. l. 3 epigr. 43. Vide Clem. Alex. l. 3. Pædagogic. 3. Vide Raderũ ad li. 4. Martial. epigr. 86. illi autem 28. & Turneb lib. 25. Aduerſar. c. 27.

in hoc venuſtatis cælo cometes infelix; non aſtrum; quid laciniofus, & perplutus auro capillus portendit, niſi regnum virtutis euerſum, modeſtiæ iura violata, rationis lumen extinctum, confuſa omnia, certum nihil?

Superbos Perſarum reges, tradit Procopius, diuinitatem affectantes, ad Solis ipſius conſanguinitatem, comæ radijs oſtentandam, tenuiſſimis ex auro bracteis interpolato capillitio, Phebæo quodammodo diademate fulguraſſe.

At radijs ſimiles ſolaribus vndique crines
Se fundunt humeros circum,

De Circe Solis nepote, Poetarum antiquiſſimus Orpheus cecinit quondam. Vſque adeò non medicamentis, aut fuco, aut quod præcipit in originibus Cato, cinere caput aſperſit ambitio, ſed auro ad comã ſolare iubar mentientem, ad ornandam: tales Achilli crines, tales Memnoni Auroræ marito, & Oeneo Meleagri parenti fuiſſe Philoſtratus narrat. hæc autem auri commemoratio vbi de capite agitur, neſcio quid mihi reuocat in memoriam, quod obſeruari à vobis diligenter velim. In ſacro Salomonis epithalamio ſponſi, *Comæ nigræ, quaſi corui* dicuntur; appoſitè. Laus enim capillorum hæc eſt apud multos ſanè liberalis, qui rutilos Calidonijs,

Gallis,

Gallis, Germanis, Getis, Arimaſpis vltro relinquunt. Hinc de Lyco Romanus Lyricus, *Vide Pined. de reb. Salom. lib.6.c.4.*

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

hinc de Photide ſua Lucius Apuleius, *Crinis nunc aurum coruſcans in mellis lenem deprimitur vmbram, nunc coruina nigredine cærulus, columbarum collis floſculos æmulatur.* Atqui ſi niger quidem, at ſplendidus ſponſi capillus numeros omnes venuſtatis abſoluit, qui fieri poteſt, vt de eodem dicatur, *Caput eius aurum optimum?* anne idem eſt auro, & coruis color? & Hebræorum quidem Theologi cũ p[illegible] ſententiæ Hieronymus etiam, cæleſtis ille facundiæ torrens, ſubſcribit,) eò rem trahere videntur, vt de regio capitis coronamento, auro gemmiſque conflato intelligendum putent; quod & apud Theodoretum Symmachus, & vetuſtiſſimus ſacri codicis interpres Aquila, & melleus ſacræ eloquentiæ artifex Ambroſius, admirabili conſenſione confirmant. optime. ſed num ego temerè facerem, ſi ea, qua par eſt animi demiſſione, tantorum Patrum placita veneratus, aliud ex ingenio comminiſcerer, quod verbis diuini codicis magis accommodatum videretur? cum ergo nuptiale

Hadrian. Iun. Comment. de Coma c.9.

Cant. c.5.

illud canticum dramaticè à Salomone concinnatum, nō tam regis maieſtatem populis adorandam, quam pulchritudinem ſponſi, puellarum amoribus idoneam deſcribat, quid nos in capitis auro coronam regiæ poteſtatis inſigne quærimus, dum vel bracteolas, vel auri ramenta, vel nitelas crinibus ad ornatum interſeri ſolitas habemus? & ſanè Commodum Cæſarem, Lucium Verum, alioſque id generis delicias affectaſſe compertum eſt. Sed quod magis mirere, & ad rem noſtram maximè facit, ipſi etiam equites Salomonis, Hebrææ flos iuuentutis ramentis auri capillum quo- [redacted] ſolis aſpectum, mutuos etiam ipſi e capitibus radios, in ſolem æmulo ſplendore regererent; ita in Hebræorum antiquitatibus teſtatur Ioſephus.

Lamprid. in Vita Trebel. de Calig. Martial. 5. epigr. 38.

Sed dum faſtidioſius iſta commemoro ecce tibi amabiliſſimus Cupidinis nepotulus, Veneris corculum, delicium Gratiarum, cuius crines præmulſis antijs, & promulſis caproneis ante ventulos, & pendulos auræ confundunt. Videas comã modo varie errantem, & ſolutam, ſine lege in humeros ferociter eiectam; modo promiſſam quidem, ſed ſcanſilem, & in gradus infractam; nonnunquam in annulos calamiſtro contortam; ſemper

acu

acu compoſitè diſcriminatam; nunc ad tempora vtrimque circumludentem; nunc contumacius intumeſcentem in globos.

O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane! *Perſ. Sat. 1.*

Duplex ego genus hominum inuenio quod in vnum tamen coaleſcit, iſtiuſmodi crinium intemperijs addictum. feroculos neſcio quos adoleſcentulos, qui Martis filij vocari cupiunt; verum illos ego arbitror è Venere procreatos; qui venuſtis enſibus alligati, omnes viarum angulos, angyportus omnes, amaſiarū domos, popinas, ganeas, terriculamentis, ac minis obtundunt; tantumq; ſanguinis lingua ab hoſtium præcordijs hauriunt, quantum ſudoris verè, ſub armorum pondere fatiſcentes eiectant. Quia tamen hi plerumque amoribus contabeſcunt, alterum comatorum genus conſtituunt, ſedatum, & mite, & in pectendis, comendiſque crinibus operoſum. Nec iniuria glorioſulos illos milites, cum amatorculis hiſce leuiſſimis copulaui, nimirū oraculum illud eſt,

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra cupido. *Ouid. de arte.*

horum autem acies crinibus cōſtat, dum quiſque ſuas habet, vt inquit Ouidius, comptas in ſtatione comas; Sampſones

ſcilicet ioculares, quorum in crinibus robur eſt. Vbi ergo amicarum prę ſertim vel imperio, vel ambitu ferenda ſunt iurgia, coma prius ferociter quatitur, & reuocatur in vultum; inde quaſi turbatis ordinibus proteruè res agitur, & Parides loricati Spartanis capillorum minis hoſtes abſterrent. Aſt ego ab Æliano didiceram leones, quorum denſior, & maximè criſpa ſit iuba, ignauos cenſeri, ac propè degeneres. Illud ſaltem conſtat apud omnes, cincinnos iſtos calamiſtro vibratos, Græciæ totius adagio, molles, ac meritorios arguere capillatos, quales Antochides, Terſandros, Antimacos, & Timarcos, profligatæ prorſus verecundiæ adoleſcentes fuiſſe, memoriæ proditur ab antiquis. Quod ſi equarum petulantia, & faſtus dentoſa colli iuba deprimitur, vt apud Plutarchum, ac Plinium legimus; næ adoleſcentes illi optimè moribus, ac famæ conſulent ſuæ, ſi pueritiæ nucibus, atque crepundijs abiectis, ſilueſcentem capitis cæſariem, non è priſca conſuetudine fluminibus patrijs conſecrarint, ſed virtuti, ſapientiæque poſuerint.

Vide Hadrian. Iun. Com. de Coma c.4.

De

De coniectura ex hominum barba.

DISSERTATIO DVODECIMA.

IVdicium multitudinis à ſapientibus frequenter exagitatum, vt multa ſæpè afferat, quæ viris prudentibus non probantur, quandoque tamen ſiue conſilio, ſiue caſu, tam appoſitè, cordateq; pronunciat, nihil vt maiorum gentium Philoſophis de ſapientiæ laude concedat. Parœmias hic non commemoro, quę vtcumq; quotidianis vulgi ſermonibus iam vulgares, vſuque contritæ, ipſis tamen Pythagoræ ſymbolis antecellunt, & aliquid ſemper è reconditioribus prudentiæ penetralibus ingerunt audienti. Vnum illud conuiciandi genus attingo, à ganeonibus in popinis, à mulionibus in ſtabulis, à lupis in fornicibus, in angyportis à lenis, in tonſtrinis à tonſoribus, à vectoribus in tabernis, ab omnibus vbique vſurpatum, quo aliquis per contumeliam hircus nominatur. Veſtris ſit honor, auribus, amicorumq; capitibus, Auditores, dum hircum auditis. Huiuſmodi tamen contumeliæ nomen non heri natum, aut nudiuſtertius, ſed à prima vſque antiquitate repetitum, mirum quantum efficacita-

tis habet, ac virium, ad impudentis, obſcæni, ſordidi tum petulantiam, tum illuuiem exaggerandam. neſcio tamen qua plebis imperitia factum ſit, vt poſt hirci appellationem, cornua liberaliter pullularint; quaſi cornutus ille ſatis naturæ ingenio non eſſet, niſi cornutus à conuiciatore diceretur. Vxorem lepido Auſonij epigrammate nobilem, mecum, ſi placet, in memoriam reuocate. Hæc cum venenum marito propinaſſet, quod nimis tamen lentum, ac minus ad interimendum efficax experiebatur, vt ſcelere ſcelus augeret, venenum veneno addidit, ipſo nimirum nocendi ſtudio innocens; nam vitam fortunæ beneficiũ reſtituit immerenti, quam coniugis veneficium propemodum ademiſſet; poſterioris ſiquidem veneni vis, prioris malignitatem obſtupefecit, ac retudit; illudque tandem παϐάοξον extitit, vt duplici graſſante lue penitus conualeſceret is, qui vna tantum ſæuiente perierat; & ſecunda veneni propinatio veneficam abſolueret, quam veluti homicidij ream prima damnauerat; & noua demum flagitij repetitio antiqui fieret ſceleris obliteratio. ita in rem noſtram video cecidiſſe, cum ad hirci contumeliam inconſiderata cornuum acceſſio facta eſt: prioris enim conuicij

tur-

turpitudinem honeſtiſſimum cornuum additamentum non ſecus aboleuit, ac ſi aquas veneficio corruptas vnicornis expiaſſet. Cum enim cornua non in prophanis minus, quam in ſacris literis potentiæ imperijque ſymbolum ſint, quid malum, multitudinem impulit imprudentem, vt ignominiam coronaret, vmbraſque infamiæ, hoc quaſi gloriæ radio illuminaret; cum radium, atque coronam rectè cornibus explicari, Ægyptiæ ſapientiæ interpretes arbitrentur? Nam ſomniorum ego deliramenta, ab Artemidoro primum, mox etiam à Cardano infeliciter excogitata, ad dormiturientes libenter ablego; cũ præſertim ſi hæreamus in cornibus, Alcem peregrinum nobis animal, & Ceruos, longè hircis antecellere manifeſtum ſit; quod amœnus in primis ætatis noſtræ ſcriptor obſeruauit. Sapientius ergo, mea quidem ſententia, & ad rei naturam accommodatius, priſci loquebantur, qui probroſam hanc hirci appellationem in barbam reijciebant. Hinc Plautinus ille in Pſeudulo ſycophanta.

Vide Gorop. Becan. in Hierogl. li. 13. fol. 206. & deinceps & Delriũ in Adag. ſac. ſæpè, & ad c. 2. Thren. Ierem. & in cõmut. in Hypol. Senec. fuſius Laurẽtum in ſilu. Allegor. V. Cornu. Alex. Paſſonus.

Heus tu qui cum hircina adſtas barba, reſponde quod rogo.

nec inſulsè in Iulianum deſertorem ſcõmata à Conſtantij familiaribus iaciebantur, cùm & purpuratam ſimiam, & Græ-

cum literionem,& quod ad rem maximè facit,capellam, vt Marcellinus eſt autor, non hominem appellabant. Hoc autem contumeliæ genus ab Antiochenis deinceps in ſe paulò intemperantiùs vſurpatum, præclaro illo volumine, quod Antiochenſe,ſiue Myſopogonem inſcripſit, eleganter eſt vltus: in quo hircinam quidem ſibi barbam eſſe diffiteri non poteſt, verùm ad maſculam muliebris ornatus negligentiam conuicium ingenioſè detorquet.

Videtis opinor pro ſapientia veſtra quid agam,Auditores, neque enim præclaram virilis elegantiæ appendicem, quà tum à fœminis, tum à ſemiuiris naturæ beneficio ſegregamur, in honeſtiſſima concione traduco, & barbæ diſperationem amo, quod tantopere Satyricus auerſatur: verùm hominis moribus, ac perturbationibus capillorum indicio proxima diſſertatione patefactis;oraculum nunc demum conſulo, quod in barba tripodem ad reſponſa collocauit. Fatidicam ergo barbæ doctrinam vobis audientibus enarrabo, veſtrorum ægritudines animorum ex vniuſcuiuſque barba certo diuinaturus. Nec ludicrum à me ſuſceptum diſputationis argumentum, ad fallendos inclementiſſimæ tempeſtatis æſtus aliquis arguetur, nam ſe-

riò, & prorſus philoſophicè agimus. Halicarnaſſenſes de rebus dubijs conſulturos, Mineruæ ſuæ ſupplicare ſolitos tradit Herodotus, & ab ipſo Numinis antiſtite euentuum indicia ſolerter aucupari. Nulla hic cortina, nullæ quercns, nulla carmina, nec vox quidem vlla. Vnam ſacerdotis barbam, oculo nunquã conniuente, contemplabantur. Si ergo infœliciter caſura res erat, de qua ſciſcitabantur oraculũ, tunc enimuero, vt in luctuoſis fieri ſolet, in immenſum ſuccreſcens barba promittebatur ad pectus quaſi tragicum doloris ſyrma, aut ferale minacis ſideris capillamentum. In eo vmbroſi veluti nemoris ſquallore mœrebat enthuſiaſmus, euentuum ſcilicet commiſſeratione perculſus. At verò ſi omnia, è percontantis ſententia proſpera pollicebatur numen, ecce tibi de repente ſilueſtre illud vaticinij fruticetum ſpontè depaſcitur, & fato ipſo tonſore, barbula exilit acuminatá, conciſa, arguta, diuinacula, omni motacillæ cauda mobilior. Si ergo Halicarnaſſæi de rebus, & euenturis, & longè poſitis barbam cum fructu licuit interrogare, cur idem mihi non liceat, de perturbationibus animi, quæ hominem tam intimè contingunt, anquirenti?

Illud igitur initio ſtatuamus: ſi ſuæ

permittantur naturæ iura, ad vtilitatem ſimul, ornatumque barbam mortalibus attributam cenſent ſapientes viri. Duplex autem compendij genus ex vſu ipſius elicitur: cum enim inter corporis recrementa à medicis numeretur,eorum etiam opinione excreſcentem illum humorem exugit, qui dentes alioquin inficere,ac labefactare potuiſſet;faciem verò omnibus cæli iniurijs expoſitam ita tuetur, vt nec nimio ſolis ardore torreatur, nec aſperitate hiemis obrigeſcat, nec ventorum inclementia feriatur.Hinc Æſculapium artis medicæ vel præſidem, vel autorem, promiſſo barbitio fictum à veteribus fabularum interpretes opinantur. Verùm ambitiosè ne iſta dicantur à Medicis, an potiùs ex arte, non diſputo; illud libentius cum morum magiſtris animaduerto, admonere nos barbam officij, & ab omni leuitatis, ac effœminatæ turpitudinis ſuſpicione reuocare. Hinc Diogenes, & Lacon ille percelebris, barbam geſtare ſe dicunt,vt ſe viros eſſe ſubinde recordentur: vt ſecum autem,tanquam cum viro agendum ſibi cæteri, vel hoc vno barbæ præiudicio putent, apud Arrianum Epitectus ſerio profitetur. Præclarè ſiquidem Theodoretus, nuces nobis relinquendas,& ſeria capeſſenda tacito barbæ

do-

documento teſtatur. De illius autem ornamento quid dicam? tam multa paſſim in hanc ſententiam ab auctoribus congeruntur, ſiue ſacris, ſiue prophanis, vt diutius in obuio, peruulgatoque argumento verſari, hominis ſit ingenio, atque otio turpiter abutentis. Conſulantur in Problematis Ariſtoteles, Galenus de partium humani corporis vſu, Alexandrinus Clemens in Pædagogo, Auguſtinus in Ciuitate, Lactantius, Quintilianus, Plutarchus, Artemidorus, omnes: ego Poliphemum teſtem dabo, delicatulum illum amaſium Galateæ, vnoculum Veneris puſiunculum, glabrum Charitum delicium, de quo iam amatore, & omnis elegantiæ, quæ nymphæ animum prædari poſſet, architecto, diſertè canit Ouidius,

Iamq; tibi formæ, iãq; eſt tibi cura placẽdi,
Iã rigidos pectis raſtro Polipheme, capillos,
Iam libet hirſutã tibi falce recidere barbã,
Et ſpectare feros in aqua, & componere vultus.

is inquam ne puellæ, quam deperibat, teneritudo, immanem illam barbæ ſiluam ſecuribus excindendam exhorreſceret, pulchritudinis ſuæ ſuſcepto patrocinio ita perorat:

Nec mea quod rigidis horrent denſiſſima ſetis

Cor-

Corpora, turpe puta: turpis ſine frondibus arbor,
Turpis equus niſi colla iubæ flauētia velēt;
Pluma tegit volucres, ouibus ſua lana decori eſt:
Barba viros; hirtæq; decent in corpore ſetæ.

Si naturæ igitur ius ſuum conſtare velimus, vt decet, ipſius potiùs ingenium, atq; ſapientiam admirabimur, quod ad ornatum ſimul, & præſidium humani corporis, ſubtiliſſimi operis artificium machinata eſt. Verùm quoniā non vno ab omnibus ſtudio excolitur barba, peruidendum nobis pro inſtituto diligenter puto, vtrum hæc in barba componenda varietas, varias item arguat animorum propenſiones; an ab erudita potiùs tonſoris leuitate proficiſcatur. Ne autem diſſertationem meam minutatim, & velut in fruſtra concidam, vt barbā pleriq; ſolent, de ijs tantùm nunc diſſero, qui vel Pygmeos à Photio memoratos imitantur, qui ſe denſo promiſſoque barbæ vellere circūueſtiunt: vel genas ita per otiū expoliunt, atq; deplumant, vt ne pilus quidē illis boni, & verecundi adoleſcentis ſuperſit in facie. Atq; ijs ſanè qui lanificium vultu exercent, diductoque liberaliter, & inculto barbitio genas inūbrant, ſetas quidem ſemper in mento video, ſenſum in mente plerumq; non video.

deo. Aut enim fœdiſſima ſunt, & ſordibus deuota capitula, quæ illuuie, ſitu, pedore paſcuntur: aut atroci animo, ac truculento; aut affectatæ demum grauitatis captatores: nunc ſi libet pauca de ſingulis. Cynicos memorant, lutulentos illos è ſterquilinio philoſophos, ſola ſcilicet ſapientia lacerna malè veſtitos, cætera ſeminudos, ad reliquum corporis ſqualorem oppidò fœdum, barbæ etiam illuuiem addidiſſe. Hinc Coſmum deſcribit Martialis,

Cum baculo, peraq; ſenem, cui cana putriſque
Stat coma, & in pectus ſordida barba cadit.

nec elegantior apud eundem Linus,

Cuius liuida naribus caninis
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forficibus metit ſupinis
Tonſor cyniphio Cilix marito.

& ego quidem dum in Lanarios iſtos incogitanter offendo, meſſores auidè quæro, ad ſegetem demetendam, quæ vtinam odioſam hanc annonæ caritatem, aliquando laxaret. Ammianus verò venuſtiſſimus inter Græcos epigrammatum concinnator, huiuſmodi barbam ad abigendas muſcas peniculum appellauit: ingenioſè, ſed pro rei dignitate, ieiunè. Neque enim muſcas abli-

Vide Athen. lib. 13. c. 5. Deipnoſoph.

abigere, animalculum immemor, & illico imprudenter rediturum, tantæ barbæ amplitudinem, ac maieſtatem decet; cum illas præſtet vniuerſas occidione delere. In Carnarijs tabernis illud aliquando obſeruaſſe me, ſummis præſertim in caloribus, memini: manipulũ varijs quidem ramuſculis, ſed filice præſertim ex arte compingunt: hunc verò aut guttis mellis interlitum, aut lacte leuiter aſperſum, aut vnguine delibutum, ad muſcarum aucupium ſparteo filo ſuſpendunt. aduolat ſtatim ſtolidũ animal, & cibo non tantum veſcitur, ſed indormit. Lanius interim manipulum muſcis frequentem diripit, & inuolutũ ſæpius ad parietem allidit, muſcarum ſtrage non minus miſerabili, quam ſecura: huic ergo carnificinæ barbam intemperanter effuſam, magno vtique compendio, deſtinarem, nam vt denſus, oliduſque vultus ſudor, puluere, ac ſordibus in vmbroſis illis latebris penè concretus, barbam ſatis perfundere non poſſet ipſe per ſeſe: ipſa tamen inter veſcendum, iuris alieni appetens, ſui retinens, quas non euocaret ex intima Apulia muſcas, per otium interimendas? ò te ſemper, & in grauioribus etiã negotijs magis ſtolidum Domitiane, qui muſcarum cæde, inter cæſareas animi

tui

tui ſollicitudines relata, neſcio quem ſtylum ad eas ſingillatim configendas, configendus ipſe adhibuiſti; cum vnica vnius Cynici barba omnem exhaurire muſcarum populum poſſes. Sed parum idonee de barba hactenus egimus, quæ vt muſcas vel abigere poſſit, vel etiam perdere, beſtiolas tamen alias mirabili fœcunditate progignit, & nutrit, cuius rei teſtis eſt paulò ante laudatus Ammianus, qui lanoſam illā Cynici ſyluam φθειρῶν, οὐ φρενῶν ποιμνὴν appellauit. Sed nimis fortaſſe ſcurriliter in ſordibus volutamur; verum dum turpiſſimam Cynicorum illuuiem pro inſtituta diſceptatione deſcribimus, aurū, electrumque loqui, purpurato, aut byſſino ſermone non poſſumus. Quid autē ſi primi nominis Principem eadem prope de ſe publicè fatentem, & quidem edito libro produxero, an indecorè cum Auditoribus meis egero, quod ea commemorauerim? Accipite ipſiſſima Iuliani deſertoris verba, quæ de barba ſua, iracundè facetus, Græcè ad Antiochenſes effudit; nos Romanè ad Romanos referemus. *Pediculos in ea diſcurrentes perfero, tanquam feras in ſilua, neque longe edendi, aut bibendi mihi poteſtas eſt; cauendum enim eſt ne pilos vnà cum pane imprudens deuorem.* Hæc autē,

qui

qui degeneri, fœdaque ſapientia ſic toleret, vt etiam gloriam quærat in ſordibus, an non animum ad omnem humilitatem prorſus abiectum induiſſe, cenſebimus? Sed hoc etiam vitæ genus à viris militaribus inſtituitur. eſto. incultum quidem, atque ab omnibus penitus delicijs abhorrens vitæ inſtitutum ferociores animi conſectantur: atque vt pædorem aliquando, ſitumque æquo animo patiantur, illum tamen nec amant, nec ſtudiosè conquirunt. Impexus igitur efferatorum capillus erit, & barba prolixior, confuſa potius, & inconcinna, quam ſordida. Publium Rullum peſtem, ac facem Romanæ Reipublicæ cogitate. Hic truculentus Agrariæ legis propugnator, & princeps, quonam corporis habitu, qua vultus acerbitate denunciare omnibus vim tribunitiam, ac minitari Reipublicæ videbatur? Tullium audite florem, medullamq; ſuadæ; iam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur: veſtitu obſoletiore; corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante, barbaque maiore. nimirum eleganter, ac verè,

Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum.

à do-

à doctiſſimo Iuuenali dictum eſt. Hinc Centurionum hircoſa natio appellatur à Perſio. Hyſtricem narrat Plinius ex herinaceorum genere animal, apud Indos, & Afros naturæ prouidentia ſpina contectum; huic longiores aculei ſunt, & cum intendit cutem miſſiles, quibus ringentium ora canum transfigit, & longius etiam iaculatur,

—— ſtat corpore toto
Silua minax, iaculiſq; rigens in prælia creſcit
Picturata ſeges,

mox autem:

—— totumque per auras
Euolat excuſſo natiuum miſſile tergo,
Et conſanguineis haſtilibus aſperat armos,
Militat omne feræ corpus.

Hominem cum Hyſtrice, ſi per vos licet, conferam, Auditores, ferocem quidem illum & moribus agreſtem, ſed tum maximè furioſum, cum iracundiæ ſtimulis efferatur. Omnis ſiquidem ornamenti, cultuſque corporis incurioſus, barbam non tam alere videtur, quam implicare; eam tamen rebus ita exigentibus exacuit, & quodam quaſi horrore vibratam in hoſtes eiectat; nec temerè cum hyſtricis aculeis implexam, aſperamque hominis barbam compono. Venuſtè ſiquidem Calpurnius Siculus, *pal-*

In Bucol. *——pallidus alter*
Venit, & hirſuta ſpinoſior hyſtrice barba.
Charontem cruda, ac viridi ſenectute inferni fluminis nautam deſcribere, cum vellet maximus Poetarum, vt ea quæ animarum portitorem decet feritate, crudele numen obarmaret, incultam illi barbam, atque in pectus prodigè promiſſam attribuit:

Virg. 6. Æneid. *Portitor has horrendus aquas, & flumina ſeruat*
Terribili ſqualore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet,

atque huius ego cymbula auſpicato tranſuectus, ad alteram diſſertationis meæ partem, tanquam ad littus appuliſſem, niſi profundum philoſophi neſcio cuius multiplexque barbitium, ſuo pondere cymbæ impetum retardaſſet; Accipite rem feſtiuè, hoc eſt Luciani ſtylo deſcriptam. Promiſcua mortuorum turba ad Acherontis ripas effuſa ſtabat, orans, & vlterioris ripæ deſiderio tendebat manus, ſi quando poſſet flumen Charontis beneficio tranſmittere. Perluſtrat ille ſingulos curioſè, ſarciniſque ad lancem reuocatis, omnia prorſus abijcienda ſeuerè denuntiat, cauſatus nauiculam, & paruam, & carioſam, quæque ſub ponde-

dere

dere non tam gemere, quam ſatiſcere, ſummo cum omnium diſcrimine poſſet. Peram igitur, & baculum in paludem Menippus abiecit; Charmoleus Megarenſis (cuius oſculum vnum duobus talentis conſtitit olim) pulchritudinem, comam, labia, cutem denique exuit omnem; Lampichus Geloorum Tyrannus cum imperio crudelitatem, faſtumq; depoſuit. Damaſias athleta coronas, & carnem, Crato diuitias, & trophæa in littore reliquerunt. Ad philoſophum ventũ erat, qui vt inſcitiæ, contentionum, ambitionis, perplexarum quæſtionum, cenſum maximum attuliſſet, illius tamen barba negotium in primis Charonti faceſſit; qui Mercurium intuens, *Barbam*, inquit, *hanc, Mercuri, deponat, grauem equidem, & hirſutam, vt vides; capilli ſunt trium minarum ad minus.* Bipennem igitur expedit Menippus, ſcalaſque nauales reclinat, atque ijs ſuperpoſita barba reſecatur, & proijcitur in paludẽ. Quid agis infelix Charon? vſque adeò ne dura te exercent fata, vt ſtipem extrema etiam in ſenectute emendicare laboribus velis, nec fortunæ erga te geniũ agnoſcas? an non hodie è paupere obſcuri fluminis nauta, in Argonautam euaſiſſes, ſi vellus illud aureum, è philoſophicæ pecudis abraſum mento, tuos

in

in viſus auertiſſes? ſed nimirum lethæo flumini conſecranda fuit, vt Sperchio quondam Achillis cæſaries, nunc etiam hircoſa philoſophaſtri canicies. Agnoſco eruditam barbæ ſectionem, tuumque ingeninm oſculor, & admiror; apud amicos, id eſt apud manes, primam ſcilicet barbam Philoſophus poſuit amicitiæ teſſeram ſempiternæ. Nimirum ita eſt Auditores, grauitatis, atque ſapientiæ apud antiquos argumentum fuit barba promiſſior. hinc Socrates à Perſio barbatus magiſter appellatur,

—— barbatum crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit, quem dira cicutæ.

Apud Gelliũ l 9. ca. 2. noct. Attic. Celebre eſt Herodis Attici hominis elegantiſſimi dicterium, in laniferũ huiuſmodi ſeueritatis artificem: nec immoror in re notiſſima; cum etiam repertus inter Athenienſes orator ſit, qui Rex barbæ ideo diceretur, quod omnes non tam eloquentiæ ſplendore, quam barbitij cultu, ac longitudine ſuperaret. Quam ſæpè tamen vanitati, & arrogantiæ lucus hic ſacratur inceduus? quam frequenter in pluma illa ſuperbia nidulatur?

Sed arctius ego, quam vellem, piloſis barbæ laqueis implicatus, quocumque me verto, nodos adſtringo: quos igitur ſoluere non poſſum, violenter effringam

gam; cum præſertim aliquid breuiſſimè diſputandum ſuperſit de ijs, qui diuerſa penitus graſſantur via, & barbæ non tam luxuriam depaſcuntur, quã radices excaudicant. Mirum eſt tonſoris, hac in re ludentis, ingenium. σφηνοπωγωνες olim in Comedijs Luciani teſtimonio dicebantur, qui barba in aculeum efformata, & ad cunei ſpeciem efficta, vulnus quodammodo hoſtibus intentabant. Nitidos hodie videas quorumdã vultus, qui cum volſellæ, vel raſuræ beneficio implumes omnino ſint, tenue tantum barbæ veſtigium, aut lineam potius relinquunt, quam inſitiuam iures, locoq; natam non ſuo: minacius alijs ſuperior barbitij circulus in lunæ cornua tenuatur, quæ feruntur in oculos: cum ſemiuiris alij ſatis impudenter de genarum leuore contendunt, illos vtinam cæteris etiam corporis partibus, aut æmularentur aut vincerent. Penelope olim caſtiſſimi exempli vxor, ad improba procorum vota differenda, curaſque fallendas ſuas, quidquid texebat interdiu, noctu retexebat. *Homines* reperias inter pectinem, ſpeculumque ſic poſitos, inquit optimus morum formator Seneca, vt illis apud tonſorem multæ horæ tranſmittantur, dum decerpit ſi quid proxima nocte ſuccreuit; dum de ſin-

gulis capillis in conſilium itur, dum diſiecta coma reſtituitur, &c. Quis autem iſtorum eſt, qui non malit Rempublicā turbari, quam barbam ſuam? qui non ſollicitior ſit de vultus ſui decore, quam de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior? Dum barbam iſti vellunt, aut interuellunt; dum labra preſſius tondent, & abradunt, an tibi videntur Reipublicę negotijs diſtineri, aut in commune conſulere?

O curas hominum, ò quantum eſt in rebus inane?

Has autem formæ præſtigias, qui ſectantur, næ ego illos in Sardanapali gynecæum amandandos exiſtimo; vbi monſtroſæ mancipium voluptatis, eraſa barba, & pumice læuigata inter mulierū greges delituiſſe à Cteſia, in rebus Perſicis memoratur. quid enim tam implacabiles cum rerum natura exerces inimicitias, quod te genuerit virum; idque vnum diligenter curas, vt degeneres in mulierem? quam turpis, & probroſa eſt morum iſta peruerſitas? quam pudenda, & deteſtabilis metamorphoſis, quæ vel Tireſiam, vel Heliogabalum deceat? Maiores noſtri, Viri ſapientes, portentum hoſtijs omnibus expiandum, ſolo habitu mentiri mulierē arbitrabantur, & tu mihi vultus glabritie, mentique

le-

leuore omni fœmina delicatior, monſtrũ non eris, peculiari procuratione digniſſimum? Quod ſi Romani vel ipſam Venerem barbatam coluerunt, cur tu Cupidinis Nepotule formæ elegantiam in diſcrimine verſari putes, ſi attributã diuinitus hominibus barbam non euellas, & omnes è vultu tuo virilitatis caracteres inducas? Atque hic finis eſto, ne oratio omni barba profuſior prolixã in me humanitatem veſtram intercidat.

Macr. Satur. l. 3. c. 8
Gyral. de Dijs Gentiũ ſynt. 13.

De coniectura ex veſtibus.

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

NImirum hoc etiam nobis ad miſeriarum cumulum deerat AA. vt mortales querulum genus, alienas voluptates per imprudentiam ſibi verterent in ſupplicium; & quaſi preſens ætas nullas nobis calamitates ſuppeditaret, exacta retro ſæcula reuocarentur, quæ luctus noſtros, cõparatione ſemel amiſſæ, nec in poſterum redituræ fœlicitatis, augerent. Vſq; adeò ingenioſe mœroris cauſas opinionis artificio elaboramus; vt ſi maligna fortunæ ſæuientis ceſſaret induſtria, auerſus tamen naturæ genius temperare à rerum acerbarum commentatione non poſſet. Hinc lamenta-

biles eorum voces, qui aliena tempora inuidioſè commendant, vt ſua turpiter criminentur; in eo non tam calamitoſi, quam calamitate digniſſimi, quod miſerias non reperiunt, ſed inueniunt; nec imminentes timent, ſed retrahunt fugitiuas; humanæ infelicitatis fabri potius, quam teſtes. Quotuſquiſque enim eſt, qui ſi paulò diligentius antiquorum monumenta verſauerit, ijs ſubito ad exagitandos æui ſui mores non abutatur, & tritum illud Ciceronis identidem non vſurpet, ò tempora, ò mores. Ex hoc inſcitiæ fonte tam illiberalis, & putida apud linguæ vtriuſq; ſcriptores, aurei ſæculi commemoratio dimanauit, vt Saturni tempora verè ferrea, ſtyli delicijs inauraſſe, & truces efferati ſæculi voluptates Muſarum lenocinijs emollire ipſi videantur. Sed fuerit hæc ſanè Poetarum labes, à quorum contubernio ſemper veritas exulauit; at quonam animo ferendi ſunt ij, qui cum fœdiſſimis vltro ſcelerum maculis inquinentur, Adami leuitatem accuſant, & primum illud innocentiæ tempus, quod moribus exprimere non laborant, inanibus fatiſcentis animi clamoribus appellant? Nimirum impotentis animi cupiditates, ſub rationis imperio coërcere ipſi nō poſſunt, quia manus Adam

non continuit olim ab vetitæ arboris præda; nec vitæ ſanctimoniam repræſentare poſteritati licet, quam in primo ſtatim mundi naſcentis exordio conſtat interijſſe: funeſta ſcilicet nocentiſſimæ fœcunditatis arbor, poma diuinitatis præiudicio damnata, mox ſerpentis afflatu corrupta, Parentibus obtulit; quorum veneno vix dum nata humani generis innocentia, in ipſis deliciantis naturæ hortis extabuit. Quid ergo, an non ſtare tibi licet, quia ſemel lapſus eſt Adam? Tempora illa ante primorum hominum cladem beatiſſima, virtutis ingenio reparare te poſſe deſperas? Reparabo, inquit nō nemo, & quoniam primum admiſſi ſceleris indicium veſtis fuit, quæ nudis hactenus primorum hominum corporib[illegible]landium [illegible]as flagitij illos admonuit, & pudoris, ego veſtimenta deponam, & purum illum, ac ſimplicem naturæ candorem, ſine fuco, ac fallacia, ita mortalium oculis in- *De his*
geram, vt originis omnes ſuæ recor- *omnib.*
dentur, & veſtem veluti criminis teſtem *vide Tab.*
ſimul, atque ſupplicium perhorreſcant. *Chro-*
Audiſtis, Viri clariſſimi, proiectam ne- *nogr.*
bulonis inuerecundiam. ita perditè poſt *Gaul-*
Cynicos Pelagiani nugantur, & Ada- *ter. præſer-*
mitæ, tum antiquiores duce Prodico *tim ſa-*
delirantes, tum recentes Anabaptiſta- *cul. 2.*

rum filij, & Lutheri nepotes; qui quoniam innocentia ornare animum non audent, corpus ipſum, & animum nuditate dehoneſtant. Impudentiſſime mortalium, an tibi etiam phrenetici Septentrionum filij ad claſſica coniurati veniunt, vt olim Theodoſio venti cæteri militabant? nullas ne cæli inclementis iniurias, in aſpero illo Germanię tractu pertimeſcis? num gentilis patriæ ritus te adhuc de matre rubentem, in torpentia gelu flumina demerſum, ad omnem immaniſſimi ſideris aſperitatem obdurauit? Atqui vt Ceneus ſis nullis Neptuni beneficio vulneribus obnoxius aut Talus ęre à Vulcano fabrefactus, aut Achilles fatalibus Stygis vndis ablutus, ita in corpus tuum voluntas, & ratio do[illegible]a tibi turpitudo metuenda ſit, niſi eas corporis partes, ab hominum conſpectu maturè ſubducas, quas in aperto beſtijs tantum, hoc eſt tuis ſimilibus animantibus, natura proſtituit? Atque duplex hæc ratio eſt, cur veſtis poſt miſerabilem innocentiæ caſum mortalibus data ſit; verecundia videlicet, ac tutela; ornatum his addidit, paulò poſt etiam ſuperbiam adiecit, humanæ mentis incogitantia, vt diſertè Tertullianus affirmat. Quod ego vbi pauciſſimis probauero, tum verò quaſi

iam

iam ſatis proluſum ſit, diſputationem illam aggrediar, vtrum ex corporis veſtibus conijcere de perturbationibus animorum poſſimus; quæ quoniam multiplicem veſtimentorum luxuriam, luculenta argumenti varietate videtur æmulari, totum hoc diſputationis genus in partes ita diſtribuam, vt de ſordibus hodierna diſſertatione quæratur.

Sub ipſa igitur huius vniuerſitatis initia veſtis mortalibus data eſt. Neque enim audiendi ſunt ij, qui prima mortalitatis ſæcula tam prope à belluarum vita abfuiſſe fabulantur, vt non tam homines, quam ferina hominum ſimulachra nobis obtrudant. omitto hic decantatas ſæpius naturæ dapes, nullo gulæ artificio conditas, glandium pabulum, & aquæ pocula profluentis, in quibus primigeniam humanæ vitæ fœlicitatem Poetæ poſuerunt; ne ſcilicet à ſue, quem libidinoſis moribus exprimebant, in victus etiam ratione homines diſcreparent; at de veſtium vſu quid comminiſcuntur? Egregius ſanè Latinitatis artifex Lucretius, & qui inter Poetarum deliramenta philoſophum audit, hæc habet,

Nec dum res igni ſcibant tractare, neque vti

Pellibus, & ſpolijs corpus veſtire ferarum,
Sed nemora, atque cauos montes, ſiluaſq; colebant,
Et frutices inter condebant ſquallida membra,
Verbera ventorum vitare, imbreſque coacti.

At contra Plato grauior, vt opinor, omni Poetarum teſtimonio autor, à mortalium vetuſtiſſimis ait in Protagora, belluas cædi ſolitas, non vt earum tantum carnibus veſceretur, verum etiam vt pellibus tegerentur: qui veſtiũ cultus ex pellibus ita apud nationes ferè omnes inoleuit, vt apud Strabonem Indorum philoſophi, apud Hieronymum in epitaphio ad Nepotianum Scythæ, apud Propertium Romanæ Curiæ Senatores pelliti dicantur;

Proper. l. 2. eleg. 1. *Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,*
Pellitos habuit ruſtica corda Patres.

Hæc omnia obſeruauit Perer. lib. 6. in Geneſ. Hinc quadruplicem beſtiarum vſum in Tuſculanis ſuis Tullius agnoſcit, ad veſcendum ſcilicet, ad agrorum cultum, ad onera ſubuehenda, ad hominum denique corpora veſtienda: cuius rei origo vltima in Deum ipſum referenda eſt, quem Adamo, vxorique eius tunicas pelliceas feciſſe diuini codicis monumenta teſtantur, & ſanè vt cætera

omnia ſapientiſſimè. Semel enim à primis humani generis parentibus diuini imperij legibus violatis, in alium quodammodo terrarum orbem ab amœniſſimo voluptatis viridario vterque pellendus, iam tum aduerſus cæli ſæuientis iniurias muniri debuit: & quoniam excuſſo rationis iugo ſentientis animi facultates ſeditioſè tumultuari iam cœperant, ne incompoſitus corporis motus, quam impudentem nouitatem Auguſtinus appellauit, modeſtiam omnem labefactaret, indecens tum primum nuditas viſa eſt, & veſtium indiga. quod inſanæ ſuperſtitionis aſſecla, hoc eſt nugaciſſimus Iudæorum ſapiens Eliezer, animaduertens, cauſam quamobrem veſtis inuenta ſit, ſtolidè ingenioſus excogitauit Iudæa cæcitate digniſſimam. Primorum hominum carnem vnguium ſoliditate concretā fuiſſe ait; ſed cutem illam duriorem, poſt lapſum à Deo illis detractam ariolatur; cuius deinde loco opportune ſubſtituta ſit veſtis. an non corneas habuit fibras, qui hominum carnem ex oſſe compegit? qui miſerrimos Marſyas crudeliter excoriauit, vt eos propria nudatos pelle aliena veſtiret? qui non tam nudos exhibuit, quam cruentos, vt Deo lanienam impius exprobraret? qui ſuam cerebri, oriſque

duritiem in Adami tranſtulit pellem, vt pudorem, quem ipſe impudenter mendax exuebat, facti pœnitens Adamus indueret? Sed procul hinc recutitorum faceſſat inſcitia. Veſtis igitur & tempore antiquiſſima, & vſu neceſſaria eſt. vtrũ autem multiplex illius vſus varias etiam animi ægritudines ita prodat, vt verax à veſtibus, ad eliciendas perturbationes pateret via, hoc tandem diligentius quærendum eſt. Verum non longe abierimus, Auditores, tum ſacris, tum prophanis literarum teſtimonijs apertè docemur, animi latentis indicia, tam perſpicuè per corporis veſtes erumpere, vt dum membra indumentis ornamus, nudare ſpectatoribus mentem quandoque poſſimus. *Amictum corporis, & riſum dentium & ingreſſum hominis enunciare de illo* in Eccleſiaſtico ſancitum eſt. Et ſanè ſi totius conuerſionem Imperij ſub Andronico iuniore ex ſola veſtium mutatione coniecere ſapientes viri, vt Gregoras teſtis eſt; cur odorari aliquid, quod ad animum pertineat, è corporis indumento nõ liceat; cum animæ diuerſorium corpus ſit à natura conſtitutum, è cuius ornatu, ac ſupellectile, de hoſpitis conditione poſſumus non tam conijcere, quam iudicare? Præclarè hanc in ſententiam Plato

Eccleſiaſtici. c. 59.

in Teetheto, cum enim hominem liberaliter èducatum cum eo conferret, qui ingenuo cultu caruerit, vbi notas ad diſcrimen inter vtrumq; conſtituendum idoneas explicaſſet, tum illud egregiè addidit, eos qui ingenuè apteq; veſtem induere neſciunt, nunquam Deorum, atque fortunatorum hominum vitas rectè celebraturos; vt non immeritò apud Lucianum in libris de hiſtoria conſcribenda, primum illiberalis hominis indicium ab indumentis, cultuque corporis deſumatur. Sacerdotis olim apud Iudæos veſtis, multiplici opere diſcriminata, totius præſertim fuit terrarum orbis imagine luculenter inſcripta; vt quicumque in illam oculos curiosè conijceret, rerum hanc vniuerſitatem nullo negotio contemplaretur. Allegorias hoc loco non perſequor, ſiue Philonis in vita Moſis, ſiue Hieronymi in Epiſtola ad Fabiolam, ſiue Bedæ, Vgonis, & Alexandrini Clementis. illud in rem meam accuratè conſidero, vnumquemque noſtrum mundi minoris, hoc eſt ſui ipſius, imaginem in veſtibus circumferre, vt ex diligenti illarum contemplatione, quantus quantus eſt animus prodeat, & ſub aſpectum cadat. Hinc elegantiſſimo ingenio Sappho (vtinam moribus perinde compoſitis,

atque carminibus nobilitata) ſubruſticam verſibus ſuis Andromedam apud Athenæum, eo potiſſimum nomine deridet, quod veſtem componere ex modeſtiæ præſcripto neſciret,

Moribus quædam male docta prorſus
Ruſticis, mentem fouet, atque mulcet,
Quæ talos neſcit ſinuoſam ad imos
Ponere veſtem.

quo in argumento plura à veteribus congerit, idem, qui cœnas tam laute ſapientibus inſtruxit Athenæus. Hoc igitur conſtituto, libero fidem meam, & è ſordido primum cultu coniecturam paucis attingo. Qua ſuper re varias autorum, pugnanteſque ſententias otiosè nō colligo: ſiue enim huiuſmodi cultus negligentia ex quadam honoris omnis diſpicientia oriatur, vt in magni animi viris oriri ſolet; ſiue ex eo, quod à rebus humanis auulſus animus in ſola mentis pulchritudine conquieſcit; vt eorum plerumque mos eſt, qui diuinitatis contemplationi diutius adhæſere; ſiue demum quod grauioribus quis diſtractus curis, de minuto corporis ornatu magnoperè non laborat; animum ſemper indicat excelſum, actuoſum, grauem, & nunquam leuioribus occupatum. At verò vbi hæc omnia deſiderentur, quæ aut virtus ſunt, aut cum

vir-

virtute cōiuncta, ſordes corporis animi ſordibus ex æquo reſpondent, & auaritiam, ſocordiam, arrogantiam arguunt. Vberior eſt, vt videtis, diſputationis ſeges, quam vt breuiſſimo, quod ſupereſt ad dicendū, ſpatio colligi poſſit. Rem igitur ita moderabor, vt duplex tantum hominū genus, in pari veſtium neglectu diſpar; & vel moderationis cupidiſſimum, vel ambitionis maximè ſtudioſum oratione deſcribam. Nec leuior illorū cura videri cuipiam debet, qui virtutis ſtudio in veſtium negligentia diligentes, tum maximè venerabili ſe ſqualore pretioſos, vt de Apollonio ait Sidonius, arbitrantur, cum obſoleto, tritoque corporis cultu elatæ faſtum mentis edomarint. Ardua quippe res eſt innatam elegantiæ cupiditatem radicitus extirpare; omnes enim opulentiæ, ornatuſque ſplendore perſtringimur; & quoniam animæ pulchritudo, quæ poſt corporis ſcenam latet, mortalium oculis vſurpari non poteſt, extimam ſaltem illius imaginem, in vario corporis inſtructu contemplamur. Qui ſanè amor elegantiæ corruptæ mentis, hoc eſt læſi, conturbatique iudicij; aberrantis, & deluſę rationis indicium à Chryſoſtomo dictus eſt. Tam altè autem in hominum animis licentiæ lenocinio, tamque im-

potenter inſedit, vt fortiſſimorũ alioqui Regum mentes, illecebra ambitionis infregerit. Neruosè ſiquidem de fortunato Macedonũ principe Tertullianus, *Vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica veſte; triumphalem cataphractem amolitus, in captiua ſarabara deceſſit; pectus ſquammarum ſignaculis diſculptum textu pellucido tegendo nudauit; anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante ſerico extinxit*. Hinc factum ſapienter ſimul, ac ſanctè eſt, vt à primis vſque Apoſtolorum temporibus, quicumque inito melioris vitæ conſilio religioſos ritus profiteri vellet, à veſtium mutatione nouum inſtituti genus auſpicaretur, & pro molli, ac florida, quam exuerat, vilem, aſperamque indueret, colore ſubfuſcam, nec à ſordibus expurgatam. ita diſertè poſt Areopagitam Dionyſium, Chryſoſtomus, Hieronymus, Paulinus, & in Trullo Synodus prodidere. Nec aliorſum ſpectauit vnquam erudita, & grauis Tertulliani de pallio declamatio, ſiue enim à toga ad pallium, cum primum Chriſtianis ſacris initiatus eſt, ille tranſierit; vt luculentus in Euſebium ſcriptor, vtinam etiam pius, opinatur; ſiue tum demum, cum inter Romanæ Eccleſiæ myſtas adlectus eſt, quod doctum virum ſenſiſſe video;

veſtis certè genus ab Philoſophis vſurpatum adhibuit, humile, deſpicatum, beatorum hominum opinione deforme. Hinc ad Ruſticum Monachum Hieronymus, *Sordidæ*, inquit, *veſtes candidæ mentis indicia ſint*. Hinc ſanctæ illud prodigium ſolitudinis Hilarion, ſaccum, quo ſemel fuerat indutus, nunquã lauans, & ſuperfluum eſſe dicens munditias in cilicio quærere, alteram tunicam non mutauit, niſi prior penitus ſciſſa eſſet. Has autem non Herculei Leonis, ſed veræ virtutis exuuias, hoc innocentiæ ſagulum, ſanctitatis hoc paludamentum, omni ſerico glorioſius, quis in ſinceræ demiſſionis atque modeſtiæ argumenta non vocet? Tondeant alijs oues Mileſij, arbores pectant Seres, Tyrij tingant, Phryges inſuant, intexant Babylonij; vera morum ſanctitas centone ſuo inuoluta, omnem principũ luxum, vel reſpuit, vel proculcat. atq; vt ſuas ſoli maculas non inuideat (quibus mortalium oculis, mundo iam ſeneſcente ſpectabilior apparuit) honeſtiſſimis in ſordibus volutatur. Quod ego libentius hoc loco commemoraui, vt acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis Eunapius contumelias ſuas in ſe ipſum recidiſſe ringatur; & Poeticum hoc eſt pleniſſimum inanitatis Rutilij Numa-

tiani

tiani caput, ſuas ſibi reſorbeat iniurias, quas in viros ſanctiſſimos Capraria inſulæ incolas impudenter euomuit,

Squalet lucifugis inſula plena viris.

& alibi:

Infœlix putat illuuie cæleſtia paſci,
Seque premit ſæuis ſæuior ipſe Deis.

Aliud ergo genus hominum ſupereſt excutiendum, ambitioni deuotum, arrogantiæ ſaginatum, inuerecundiæ ſacrum, ipſa impudentia impudentius, quòd affectat, Sidonio teſte, *De veſtium diſcretione ſuperbiam, nitore pompam, ſqualore iactantiam.* Vidit hoc apud Laertium Socrates, terreſtre illud oraculum, qui Antiſthenem conſpicatus in publicum ſciſſa, tritaque abolla prodeuntem, video, ait, per ſciſſuram pallij tui vanitatem: quem irrideret etiam apud Arrianum Epictetus, Stoicorum cæteroqui princeps, hoc eſt conſanguineus Cynicorum: quare acutiſſimus rerum æſtimator Ariſtoteles, in morum doctrina, inter arrogantiæ latentis indicia, ſubſtrictas, & obſoletas Lacedæmoniorum veſtes numerauit, à Xenophonte commemoratas, & à comico Platone in Legatis irriſas. Poſſem hic Tianæum Apollonium præſtigiarum artificem ſolertiſſimum, Sydonij verbis exhibere, inter epulas abſtemium, inter pur-

Laert. l.6. vi- de Cal. lib. 13. c. 13. lect. antiq.

purpuratos literatum, concretum, hiſpidum, hirſutum, aſſidua vanæ laudis venatione defatigatum magis, quam longis licet peregrinationibus exhauſtis de via feſſum. Sed à Pythagoræis abſtinere orationem libet. Iterum te appello Diogenes philoſophe doliaris, in foro domiporta, in meridie noctiluca. Deſcende tandem è cœlo illo tuo ligneo, quod verſas, vt ſcurrilitatis intelligentia; quod inſides, vt aſtrum dicacitatis canicula; & tuam tandem nobis ſiſte diuinitatem, in terram, vt ais, à ſuperis ablegatam, ad hominum proteruiam increpandam. illam aperte intuebimur opinor, nam nulla veſtium nube circumfuſa, ſua tantum nuditate ſe tegit; nec conniuere ad illuſtre ſpectaculum mortalium oculus poterit, cum radios tuos lutum, & ſordes hebetarint. Age igitur ſodes, & per licentiam iſtam tuam, dic oro canis, aut latra: quorſum tua hæc veſtium fœditas, quorſum illuuies, pædor, ac lutum? Homulum vobis fingite, Auditores, tam lutulentum, ac turpem, vt illum paulò ante ex argilla factum à Prometheo exiſtimare poſſitis. Hic indecorè ſeminudus; lacinijs vndequaque pendentibus: calceo vel hiulco, vel detrito, vel etiam nullo; fractis pallioli vmbilicis; gallericulo

Vide Ælian. var. hiſtor. l. 9. c. 34. & 35.

pror-

prorſus informi, & inſtar argolici clypei hinc inde perfoſso; nihil è toto amictu ſibi integrum reſeruauit, quo verecundiam (virginem ſcilicet ad aſpectum hominum frontis infirmæ) tantiſper obuelaret. An quia, vt inquit ille, è nubium ſciſſuris purius renidet ſol; & manus ex odoratis pellibus integumenta ideo findimus, quia omni pelle pretioſior ex annulo adamas faces vibrat? Video quid agas homule ſuperbia tumulente: tumor ille animi quo diſrumperis, ſolida contineri veſte, ſine tuo dolore non poterat; illam idcirco findis in partes, vt erumpat ambitio. Nec Platonis thoros lutulento calcares pede niſi te tranſuerſum ageret arrogantia, qua obcæcatus omnia infra te poſita exiſtimas, nec virtutis tuæ faſtigio comparanda, ſed ne puris quidem pedibus contingenda putas. At nos, homines ſcilicet diuinaculi, ſordes iſtas ab animo in corpus ita credimus redundaſſe, vt plures tamen, ac denſiores tibi reſeruaris, pauculis tantum, ac leuioribus foras ad ſpecimen deriuatis. Nimirum turpitudinum officinam circumfers Diogenes, dolijs omnibus ampliorem. Ita eſt, Auditores, nouo ambitus genere, vt ait Quintilianus, adorationem miſeria captamus, & in ſordibus aurum

Diogen. Laert. l. 4. mihi pag. 381.

quæ-

quærimus, in nuditate delicias, in contemptu ſuperbiam, in moderatione iactantiam. Ne tamen à Caribdi fugientes, impingamus in Scyllam, de exquiſita nimium veſtium elegantia in poſterum differemus.

De eodem argumento.

DISSERTATIO DECIMAQVARTA.

CVm multa ſunt, quæ admirabilem Reginæ Vrbium maieſtatem, ipſa reliquiarum magnitudine teſtantur, tum infinitus ille ſtatuarum populus, qui fortuito è ruderibus, quaſi è Romæ viſceribus effoſſus, Romani populi cenſū auget, priſcorum loquitur amplitudinem temporum, æternitati, ſepultis etiam marmoribus conſecratam. Sæuierit, vt libet, in ſolidiora Vrbis ornamenta, vel ætatis iniuria, vel immanitas barbarorum; deiecta ſemel ſtatuarum multitudo, inter ipſa ſepulchreta renaſcitur, & nouam in hortis coloniam tranſcribit; vt ſiluæ tum demum ſuo conſule dignæ ſint, cum Deorum, Conſulum, & Cæſarum ſimulachris diſtinguuntur. Silueſtrem ego ſtatuarum nobilitatem, frequentia non arboribus imparem, dum ſedulo in Principis viridario

dario contemplarer, ægrè admodum diſcrimen inter Apollinem, ac Muſas ſuas; Senatorem inter, ac militem; inter hominem demum, atque numen conſtitui poſſe iudicabam, niſi me veſtiũ varietas hærentem in vultuum ſimilitudine monuiſſet. Neque hic Plautinas fabulas aduoco, ſiue Amphitruonis, & Soſiæ; ſiue Soſiclis, & Menæchmi. Illud tamen conſtanter affirmare auſim, in ſtatuis recenſendis, cognitionem ferè omnem à veſtibus eſſe ſumendam. Ita Philoſophũ pallio, tribonio Sophiſtam; Matronam ſtola, militem ſago; toga Senatorem; Adoleſcentem prætexta; paludamento Cæſarem; atque vt Anacreon canebat olim, Parthos thiara diſtinguimus. Impulit me in hanc ſententiam planè volentem Luciani cæteroqui delirantis autoritas; qui Hermotimũ Stoicorum, ſi non principem, certè proximum principi, hoc nomine reprehendit, quod rectè philoſophantes habitu mundiore omnibus noteſcere prædicaret; cum eam ſtatuarum eſſe non philoſophantium indagationem arbitraretur; quarum illæ habitu ferè elegantiores eſſent, quas aut Phidias aliquis, aut Alcamenes, aut Myron, ad pulcherrimum abſolutæ formæ archetypum expreſſiſſet. Verum ego qui ad animorum perturbationes de-

deprehendendas veſtium indicium adhiberi poſſe, ſuperiori diſſertatione probaueram, ſi Luciano aduerſus Hermotimum firma conſtet aûtoritas, cauſam per imprudentiam prodidi, & mentis leuitatem meæ exſibilandam Auditoribus propinaui. Quid ergo? an homines ego cum ſtatuis, hoc eſt cum lapidibus lapideus ipſe compono? An ſaxea Deucalionis prodigia comminiſcor, dum mortalium durum genus, lapidoſa ſatione proſeminatum, non tueor modò, ſed reparo? an iura mihi diuinitatis vindico, dum Abrahæ filios è lapidibus ſuſcitandos impudenti molitione ſuſcipio? faceſſat inuidia AA. nullis hic præſtigijs ingenij laſciuientis abutimur. Candidè ac ſine fuco, vt decet ingenuos, in propoſita quæſtione verſamur. Quia tamen in ſuſcepta ſemel ſententia obſtinate tuenda tam contumax ipſe nõ ſum, vt aliorum de me iudicia non reformidem, age ſi placet, & eorum qui contra ſentiunt argumenta, non tam timidè declinemus, quam retundamus diligenter. Aiunt ergo, nullum me precium opere vnquam eſſe fracturum, dum indumenta corporis ad animi cultum traho; quoties enim in corporis nuditate animus ornatum ſuum à virtutibus mutuatur? quoties à luxu veſtium no-
bilis

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

bilis ſapientiæ genius vltro exulat, & non hominem, ſed cadauer hominis auerſatur, quod quaſi paratum libitinæ, in proprium funus ornari videt, vt Hieronymus loqui ſolet? quoties & afflantis, & reflantis fortunæ ſcenam idem animus implet, nullo blandientis choragio contumax, nulla ſæuientis fœditate deiectus, ſemper excelſus, ac ſui compos, virtute inuolutus ſua, dum nuditate corpus veſtit inopia, omni indumentorum pretio maior, dum auro gemmiſque Solis regiam, hoc eſt animæ domicilium, vel communis patriæ conſuetudo, vel ratio maieſtatis exornat? Reuocate mecum in memoriam præclarum illum Græciæ peregrinatorem, qui prudentiam, ac rerum vſum ab deſidibus fugientem, per mille dixerim terræ, mariſque naufragia, in portum eduxit, & ſapientiam nullo precio venalem, mendicitate redemit, Vlyſſem intelligo. Hic ſeminudus, illuuie obſitus, pædore conſumptus, mentem illam magnorum operum molitricem, & Troianorum excidio fatalem, ad emendicandam ſtipem neceſſitatis ingenio conuerterat. hunc autem conſpicatus è coniectorum grege neſcio quis, & inter obſoleti pallioli rimas vafritiem hominis odoratus, an non circumforaneum

ex

ex eorum numero nebulonem exiſtimaſſet, qui platearum angulos fraudibus fabricandis idoneos obſident; & ad inuſitatum loquendi genus, ſub famis, & infamiæ præceptis informati, hac veluti pudendæ militiæ teſſera, per vrbis regiones ſtationes ita diſponunt, vt ſi minus furto iocularem rempublicam amplificare contingat, dolorem vrgeant mox etiam prece conficiant. Hinc corrogata vtcumque pecunia, in ærarium, hoc eſt in popinam infertur, & inter probroſa ebrietatis verba, quaſi inter conceſſa triumphalis licentiæ iurgia, deſperati pudoris ſycophanta coronatur; quod opimas videlicet de triumphata ſimplicitate manubias Lauernæ ſuſpenderit; ſuſpendendus olim ipſe, & Deo Furcillo litaturus. Et tamen hic idem eſt inter Gręcos principes conſilio inclytus, Mineruæ ſapientiæ præſidi ab Homero datus in clientelam, qui non ita multo poſt elegantius indutus, quaſi cum pannoſo centunculo mortalitatem exuiſſet, par ſuperis Nauſica iudice viſus eſt. Si ergo vna veſtis mutatione, miſerabile fortunæ ludibrium Vlyſſes in Deos penè à Poeta refertur, quid mihi coniecturam obtrudis è veſtibus ad ægritudines animorũ eliciendas? Præclarè Platonicorum venuſtiſſimus Ty-

rius

rius Maximus, Diogeni peram, & baculum Socrati non adſcripſit; quod cum illis etiam Sardanapalo mollior, atque infœlicior eſſe potuerit; cum Ariſtippus è contra purpura indutus, & delibutus vnguentis, nihil Cynico de temperantia, modeſtiaque conceſſerit. Pythagoras certè in purpura, Socrates in lacerna, cum thorace Xenophon, cum palliolo Sinopenſis, populos in admirationem ſui rapuere. at ſub quam diſpari cultu, vnum, atque idem omnibus fuit ſtudium philoſophiæ? Quod ſi animum æſtimas ab indumento, cur non equum empturus, phaleras accuratè conſideras; vtrum operosè cælata ſint fræna, quam aptè fucentur ephippia, quod iamdudum vetuere ſapientes viri, poſt Socratem Seneca, Macrobius, & Apuleius? Quid ſi veſtis virum non tam declarat, quam facit, nec tam quid ſit, quam quid videri quiſque velit oſtendit? Neque hic vere vulgarem, aut potius barbam ſpeculatoris poeſim in medium afferre neceſſe eſt, cum luculentiſſimè Iuuenalis,

Vide preterea ap. Luciã. Dial. Charone & Merc. Specul. tit. de aduoc. §. ſequitur videte, &c.

Et tamen hoc ipſis eſt vtile; purpura vendit
Cauſidicum, vendunt amethiſtina.

hinc Iſmenias apud Plinium Choraules, ad artis ſuæ commendationem inſigni

cor-

corporis ornatu vtebatur ipſe; atque huiuſmodi cultus lenocinium cæteris omnibus muſicæ artis ſectatoribus imperauit. Si ergo inter erudita fraudis inſtrumenta veſtium cultus numeratur, quo mortalium non tam oculis, quam animis imponimus; quis non intelligit cum primũ veſtis aſſumitur, latibulum ad occulendos animi ſenſus quæri; nec magis per veſtes ægritudines emanare, quam per intima terræ viſcera pateat ad ſolem via? tu interim mihi, diuinator infœlix, in aurem obgannis, & indicia ad effectus inueſtigandos ab indumento mutuaris? Videtis, opinor, quam confidenter, & ad populi captum plauſibiliter, mea iamdudum, multiplici argumentorum ariete laceſſita, nondum, vt ſpero, loco ſuo mota ſententia ſtet. non multis tamen tam multa, vel reijciam, vel euincam. Fortunæ primum indumenta non quæro, in loco ſumpta, in loco deponenda: neceſſitati autem, quæ humana omnia ſuſque deque permiſcet, leges dare ſi velim, ſine lege ſim, & ab omni humanitatis iure penitus ſegregatus. de illo igitur veſtium genere hactenus diſputaui, quas vnuſquiſque arbitrio ſuo pro vitæ inſtitutione ſemel inita, vel induit, vel abiecit. atque ab his aio propenſiones animorum, atque

ægritudines patefieri : quod cum de ſordido, obſoletoque veſtitu pluribus ſuperiori diſſertatione probatum ſit, pauca nunc de exquiſito, atque eleganti, ſed vniuerſim, dicemus. Et ſanè ſi ſapientum ſententijs agendum ſit, nullo negotio vicimus, Auditores. Cum enim Alexandrinus Clemens, lectiſſimæ eruditionis autor, amictum, qualis ſit morum inſtitutio, indicare dixiſſet; neruosè, hoc eſt more ſuo Chryſoſtomus addidit, *Mollis veſtis diſſoluit rigidam animam, & ſi frigidum corpus aſſumat, & aſperum, facile per huiuſmodi mollitiem delicatum reddit, & fragile.* Verum cominus pugnandum eſt, & impreſſione potius quam prælio. Adoleſcentem vobis fingite è capſula totum, vt inquit Seneca; ſpeculum identidem conſulit, anxie non ſecus, ac ſi in ſummo Reipublicæ diſcrimine dictator à Senatu dictus, de communi omnium ſalute Deum interrogaret. Inde quaſi numine exorato litatum ſit, ſpei plenus egreditur, & votorum ſummam in cultu corporis petulanter oſtentat. Cœlum capitis (vt cum Plinio ex priſcorum ſententia loquar) illiuſque ſtellas, hoc eſt capillos, vt onirocritici interpretantur, intuere; miraberis iu vno capite tot prodigia, quot capillos. crinis

Plin. l. 11. c. 36.
Ambr. l. 6. Hexam. c. 9.

nunc

nunc in verticem negligenter perturbatus reijcitur; nunc in frontem ferociter implexus incumbit; nunc ad aures inuſtus calamiſtro proſerpit; nunc per tempora in annulos coactus laſciuit, ſpecioſa ventorum materies, atque auræ ludibrium colludentis. At ſummum capitis integumentum, vt caput ſuum loquitur; acutum limbiſq; reciſis, & cingulo ſæpè tam diuite opulentum, vt ampliſſimi fortunam patrimonij, in capitalis anguſtias cinguli, cœca mortalium ambitio coegerit; cui ſi plumulã addas auis exoticæ, ac peregrinæ, ne tu hæderam vino, hoc eſt leuitati ſymbolum ſuum, ingenioſè ſuſpenderis. Iam verò lina collaria, vel multiplici contabulatione ſollicantia, è quibus vix à reliquo corpore auulſum caput emineat velut è diſco; vel ita in humeros reiecta lateque patentia, vt reticulati, denſatiq; operis artificium Mineruas omnes exhauſiſſe videatur, quid portendunt? quid thoracis globuli auro gemmiſque compacti; quid veſtis omnis vel textu pellucido diſcriminata, vel ſegmentis interciſa, non raro Kalendarium exhauriens? tumidi verò cruralium faſciarum vmbilici, criſpis ex auro fimbrijs lacinioſi, non alæ videntur ad volatum tibijs adnexæ; aut amica ventis vela,

De Capillis Artem. oniroc. l. 2. c. 38. Ambro. loc. cit.

aut quod propius abeſt à vero, miſeræ captiuitatis indicia, ſtolidæ mentis vincula, pretioſi abeuntis compedes fœlicitatis? Quid de calceis dicam, peregrina ex aluta feneſtratis, ac ſectis? an ideo tam operosè ſecantur, vt per vulnera parſimoniæ qualis qualis erumpat ambitio? an quia integriras faſtidio proxima eſt, & noua ſubinde vanitatis pabula, ſi citò terantur, luxus quærit? an quo facilius aquã hauriant, & ſordes, ac lutum ad pedes inficiendos admittant? nam de roſis, quibus mendaciter inumbrantur, nihil attinet dicere. Delicati Veneris nepotes tam venuſtè, atq; venerei gradiuntur, vt roſas ſingulis paſſibus circumferant, & quidem ſine ſpinis innoxias; & beatius non erit roſas facere, quam calcare? illis ornari, quam lædi? auro eas potius, quam ſanguine colorare? atque ita de fœlicitate cum Venere ſua merito nõ pugnabunt? Hos autem, quos hactenus vtcumque deſcripſi, Catones exiſtimabitis, Auditores, aut Xenocrates, aut ab Indorum ſolitudine Gymno ſophiſtas, aut è maſcula Stoicorum ſecta philoſophos, robuſtæ ſapientiæ ſectatores, ſeueritatis amantes, an molles potius Cupidinis myſtas, emaſculatos Bonæ Deæ Sacerdotes, Veneris ſacrificulos, antiſtites

Floræ

Floræ, impudentiæ ſacris operatos? Nimirum Ambroſij oraculum eſt, *Mollioris cura veſtis effœminat*, & *nullius ferè pretioſior cultus eſt*, inquit, eloquentia, & martyrio inclytus Cyprianus, *quam cuius pudor vilis eſt; ornamentorum ſiquidem, & veſtium inſignia, & lenocinia fucorum, nõ niſi proſtitutis, & impudicis fœminis congruunt*. Hæc Cyprianus, & negotium mihi faceſſitur, quod inſanas veſtium illecebras pudoris omnis interemptrices, libidinis nutrices, proſtitutrices caſtimoniæ, ad euincendam animorum mollitiem adhibuerim? At ſatius fuiſſet à corporis ornatu ornatum animi, cultumque colligere. Aptè ſiquidem alter alteri reſpondere plerumque ſolet. Falleris. Operoſas Ægyptiorum moles mecum cogitatione metire; in[illegible]liges [illegible]drini Clementis auſpicijs, quam peruersè de hominum animis iudicaueris. Prodigiorum mater Ægyptus, & in nouis quotidie tum naturæ, tum artis monſtris pariendis, fœcundior Nilo ſuo, vt pyramidum miraculis notiſſima fuerit, in templorum tamen ſubſtructionibus magnificè deſudauit. Veſtibulum vidiſſes ſuperſtantibus mutuò columnis, defatigato mari, atque fluminibus deportatis, immane, intercolumnia marmo-

reis tabulis, pro tectorio renidentia, reconditioris doctrinæ ſymbolis, more gentis, inſculpta, ingentes porticus; fornices auro non dicam perlitos, ſed cælatos, aut opere muſiuo faberrimè variegatos. Lucos arborum ſenio venerabiles, & ſecuribus adhuc intactos, quique ipſos ſolis radios nonniſi temperanter admittunt. iam vero ipſius parietes templi mira lapidum varietate ludentes, lapidicinas omnes Numidicas, Lesbias, Baſalticas, Lunenſes, Indicas, Cycladicas, Creticas exhauriunt: Ædes auro, argento, atque electro collucens, atque Æthiopum, Indorumque gemmas depopulata, cœlo aſtra non inuidet; adyta verò peplis auro ex arte rigentibus, ac vario gemmarum colore maculoſis inumbrantur. Quo[illegible]en propitiaturus in intimum templum religiosè te penetrès, ſacerdos tibi præſto erit, ipſa vultus, atque inceſſus maieſtate ſacroſanctus; qui totus ad pietatem, modeſtiamque compoſitus, Ægyptiorum lingua pæana rite canens, velum tantiſper contrahat, & abdita diuinitatis penetralia, religioſo horrore circumſepta timidè patefaciat. Quid hic inuenies expectatione tua feſſus, & penè religionis pertæſus? an manubias intorquentem Iouem? an vir-

virginem cum ægide Palladem, & anguibus ſuis ſæuiorem? monſtra hominũ monſtroſa regione digniſſima; Felem, crocodilum, indigenam ſerpentem, aut aliquam huiuſmodi belluam inuenies purpureæ ſtragulæ veſti turpiter incubantem. Ita nimirum plerumque contingit, ait Clemens Alexandrinus, vt exaggeratus veſtium cultus, belluinum, atque ab ornatu ſuo degenerem animũ patefaciat. Quid enim tibi virile, ac magnum ab homine pollicearis, qui totus veſtium luxu diffluat, atque laſciuiat? an prudentiam? at ipſa ornatus leuitas mentis indicat leuitatem. an conſtantiam? ſed tanta colorum atque artificij varietas ludibundum oſtendit ingenium. an fortitudinem? at nemo mollibus roboratur; atque vt Hieronymus ad Heliodorum, corpus aſſuetum tunicis loricæ onus pati non poteſt. an compoſitæ, altæq; mentis opinionem? at nulla vnquam magna mens futilibus occupatur. Vbi ergo ſupra mediocritatem veſtium curioſitas inuenitur, ibi ingenium à capite migrauit in veſtes, nec alibi quærendum eſt. Laborat hodie in annalibus veterum, hac luxus infamia nobile Oratorum par Hortenſius, atque Demoſthenes. at Græcus Orator, quam quam acriter accuſatus ab Æſchine, *Gell. li. 1. noct. Attic. c. 5.*

quod læenas elegantes, ac molles tunicas ferre ſolitus eſſet, patronos tamen inuenit, qui ab eius nomine calumniam remouerent, Nam Sarisberienſis in eo libro in quo Curialium nugas luculenter exagitat, ait, Demoſthenem quidem, vt nomen ſibi in foro compararet, cultũ paulò nitidiorem accepiſſe, verum poſt quam eloquentiæ famam adeptus eſt, quaſi hoc adiumento opus in poſterum non haberet, ſimplici vſum toga. at de Hortenſio quid dicemus, ſi Macrobio teſte, *Veſtitu fuit, ita ad mundiciem curioſo, vt quondam cum incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de iniurijs diem dixerit, quod ſibi in anguſtijs obuius, offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat; & capitale putauit, quod in humero ſuo locum ruga mutauit?* an hunc de componenda Republica valde ſollicitum fuiſſe exiſtimatis, qui tam anxiè togæ rugas componebat in humero? an non omnes potius Reipublicę ordines, quam rugarum in toga ſeriem turbatos voluiſſet? cur & mitellam, & ſtrophium, & crocotam non gerebat Hortenſius? cur Dionyſiam ſaltatriculam profeſſione non ęmulabatur; ſi cultu eam, & veſtium luxu ſuperabat, vt ei L. Torquatus obiecit? Sapienter ergo apud Suetonium Auguſtus, qui veſte non alia, quam do-

Gell. li. 1. noct. Attic. c. 5.

domeſtica vſus eſt, ab vxore, ſorore, filia, neptibuſque confecta: frugaliter Epaminondas, qui vnica veſte contentus, ſi quando vetuſtate collapſam reſarcire opus eſſet, domi clauſum ſe tenebat: temperanter apud Spartianum Seuerus, tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, cum hirta clamyde humeros velaret. Eſt enim quædam iuſtitia corporis excolendi, vt loquitur Tertullianus, quæ ornatum admittit, qualem in Lucilio ſuo Seneca, in ſapientibus Epitectus requirebat, in Nepotiano Hieronymus fuiſſe teſtatur; *Cultus Nepotiani prouinciæ morem ſequens, nec munditijs nec ſordibus notabilis*. Præclarè igitur ad Demonicum Regem elegantiſſimi ſermonis architectus Iſocrates *Cura vt in veſtium ratione cultus atque honeſtus ſis, non autem immodici ornatus ſtudioſus: honeſti enim eſt magnificentia, laſciuiæ autem ſe ornantis ſuperfluitas, & redundantia*; quo ſi oculos ſuos Troſſuli noſtri, cogitationemque conuerterint, impetum illum, quo feruntur ad gloriã, ad animi ornamenta deriuabunt, id oraculum ſecuti, quod à doctiſſimo quondam antiſtite Nazianzeno prolatum eſt,

Plutar. in Epamin. *Ælian. l. 7. var. hiſtor.* *Spartian. in Vita.*

Verum decorem mentis ornatum puta.

De eodem veſtium argumento.

DISSERTATIO DECIMAQVINTA.

PRoximus, ac penè imminens diuini Seruatoris aduentus, ægrè mortalitatis non tam votis expetitus, quàm calamitatibus flagitatus, ad tanti beneficij cauſas perueſtigandas ſtudio me religionis impelleret, niſi locus prophanę ſapientiæ conſecratus, de perturbationibus animi diſſertationes reuocaret. Ne pietatem tamen omnino doctrinæ poſthabeam facit conſtituta apud me ſemel, atq; animo altè inſidens perſuaſio, qua nunquam minùs aberrare mortaliũ ſtudia cenſeo. quàm cùm ad Sacroſanctæ philoſophiæ ſemitam, à vulgari bonarũ artium via, fœlici prorſus errore exorbitant, atq; declinant. Nullus ergo veſtrum, pro ſua prudentia, opportunam hanc nouæ perueſtigationis importunitatem damnare temeritatis inſtituet; qua quid ſibi æternum Dei verbum voluerit anquiro, cùm in hanc mortalitatis aleam tranſcribi, pro imperio voluit, Deo parenti, ſuo ſanguine litaturũ. Non abibo tamen longiùs, quàm par eſt, nec ſacras Theologorum exedras inani curioſitate turbabo. Ignem quidem alicu-

bi

bi ſe illaturum veniſſe teſtatur, alibi autē gladium miſſurum, non pacem; vitam alibi ſuo aduentu abundantiùs propinaturum dixit. Verè omnia, atq; diuinè. Sed neſcio quid tamen ad doctrinę nouitatem admirabilius, in Ægyptiorum Euangelio apud Clementem Alexandrinum dixiſſe legitur Dominus, quod vt à vobis animaduertatur peto, & humanitas veſtra ſolet accuratè, vt rei magnitudo poſtulat etiam reuerenter, *Veni*, inquit, *ad diſsoluendum opera fœminæ.* ita ne verò? ſapientia illa immortalis ac ſancta, humani generis artifex, mundi opifex, quæ fœminam ſibi è mortalium numero ſegregauit, in cuius vtero omnium maximum diuinitatis opus moliretur; ea inquàm ſapientia, humanitatis inuolucris non tam abiecta, quàm abdita, è cœlo venit ad diſſoluendum opera fęminæ? nimirum aliquid adhuc latet reconditum, incomprehenſum, & ſanctioris, quàm pro ieiuna verborum tenuitate, ſententiæ. Elegantiſſimus Iudæorū philoſophus, Platone certè non minor, Philo, eas animi perturbationes fœminas appellauit, quæ à virili virtute degeneres, nihil ſolidum, maſculum nihil ſibi reſeruant; ſed emollitæ cupiditatis illecebris, in fluxas abeunt voluptates. At verò eximius Angelorū æmulator Tho-

mas Aquinas, vbi allegoricè luctuoſum primorum parentum caſum interpretatur, in Adamo quidem imperantem animo voluntatem, in fœmina verò cupiditatem voluptatibus obnoxiam, in angue tandem res obiectas deſcribi putat. Cùm primùm ergo blandientes caducarum rerum imagines ſenſibus hauſtæ cupiditatem vellicant, tunc fęminæ animam dicitur ſerpens adoriri, quæ ſi minùs hoſtis dolos animaduertens decipi ſponte ſe ſinit, voluntatem etiam, hoc eſt maritum, in ſocietatem ſceleris tacito lenocinio trahit. Hæc autem omnia, licet intelligentiæ ſuæ acumine, quo beatis mentibus vix concedebat, comminiſci potuerit Thomas, hauſerat tamen fortaſſe ab eo, quem paulò ante laudaui Clemente Alexandrino; qui vim in hominum animis concupiſcendi, fœminæ nomine, in Stromatis deſignauit. Venit igitur Dei filius ad diſſoluendum opera fęminæ, quia ad cupiditates exemplo virtutis, doctrinæq; præceptis edomandas venit. Quòd ſi ſapientum virorum autoritate, vel ægritudinem fons cupiditas (concupiſcentiam noſtrates appellant) vel infelix illius ſoboles animi perturbatio, voluptatum incendijs exardeſcens, fęminæ nomine cenſeri poteſt, an fallax erit eorum coniectura, qui virum muliebriter

ve-

veſtitum, mulieroſos etiam affectus, ac mores induiſſe ſuſpicabuntur? atq; hoc erat hodiernæ diſſertationis argumentū. Quæſitum enim hactenus de veſtibus eſt, ſi meminiſtis, & non minùs earum ſordes, quàm exquiſitam cultus munditiem in animorum coniecturam fœliciter, niſi fallor, adhibuimus. aliquid iam de fœmineo veſtitu ſupereſſe, docet nos crebra ſapientum exprobratio, & diuini etiam codicis maledictum, in eos ſeuerè iactatum, qui fęminei cultus inſolentia turpiter à virilitate deſciſcunt.

Et me ſanè veterum monumenta volutantem triſtis perculit cogitatio, qui fieri vnquam potuerit, vt ſexum homines, ornatu corporis mentirentur; & quaſi puderet viros eſſe, mutatis etiam veſtibus fœminas fingerent. Vſq; adeò ne vires omnes virtutis eliſerant, vt ne indicium quidem illius, in veſtibus ſupereſſe paterentur? Vſque adeò non in voluptatem luxus quærebatur, ſed placebat in gloriam? poterat autem moribus virum exprimere, qui fęminam veſtibus præferebat; aut in abdito fortis eſſe, qui palam, ac publicè mollis videri cupiebat? Fatebor ingenuè, Auditores, quæ ab eloquentiſſimo Maſsilienſiū Epiſcopo Saluiano luculenter; à Clemente Alexandrino aculeatè; prudenter à Seneca; or-

nate à ſeniore Plinio; ſatiricè dicuntur ab alijs, de hominibus muliebri habitu deformatis, ità interpretabar, vt diſcincta, ac penè fœminea in eorum cultu licentia, à grauiſſimis morum cenſoribus argueretur; verùm tam diſerta probri illius commemoratio euicit conſtantiam meam. Nam quibus verbis apud Gelliũ P. Aphricanus Sulpirium Gallum, luxu marcidum, delicijſq; diffluentem obiurgat, in muliebri tunica inferiorem accubantem? quàm apertè præclarus eloquẽtiæ artifex Quintilianus, ſemel, iterùmq; eos in libidinis crimen vocat, qui huiuſmodi veſtium inſania, de mentis ſanitate deiecti, viros ſe tantùm laſciuia, atq; vtinam ſemper, approbabant? quo fulmine orationis impurum Coniuratorum gregem Tullius percellit, qui de Catilinæ delectu, imò vero de complexu, ac ſinu: pexo capillo nitidi, aut imberbes, aut bene barbati; manicatis, & talaribus tunicis, velis amicti, non togis, ita prodibant in publicum, vt non tam milites in procinctu ſtare, quam meritoriæ mulieres floralia prẹſtolari viderentur? Verum turpem hanc conſuetudinem, vel in ſacris, vel in conuiuijs tantum inoleuiſſe, dicet aliquis, hoc eſt cum inſanire in ſapientię parte ponitur à pleriſq; Equidem non ignoro apud Argiuos in

ſacris

ſacris Hybriſticis, mulieres virilibus tunicis, ac lenis, viros verò muliebribus vittis, ac velis ornari ſolitos; quod Plutarchus teſtatur: noui in Dionyſij conuiuio, vel ipſum Platonem, per ſummam impudentiam inuitatum, vt veſte muliebri ſaltaret, generosè fatui principis Imperium detrectaſſe. Legi apud Pomponium Iuriſconſultum, Senatorem quemdam muliebribus cænatorijs vti ſolitum: nam de Cornelio Frontone nihil attinet dicere, cum doctiſſimi iuris prudentiæ Senatores ex eadem Gallia Petrus Faber, & Ianus Langlæus acerrimè digladientur; atque ille quidem muliebri cænatoria; hic verò cænatoria quidem, ſed virili, virum grauiſſimum ad ſubitum patrocinium deſcendiſſe contendant. At fuerint hæc ſanè, vt libet, ad ſacrorum maieſtatem, ad conuiuiorum luxum adhibita? an non ſceleris excuſatio ipſo ſcelere flagitioſior eſt? Ergo tum primum patebit turpitudinis officina, cum ad propitiandam numinis iram itur? hoccine illud eſt religioſi præconis edictum profanos à ſacris iubentis exeſſe? ita diuinitati ſiſtimur duce inuerecundia? vota nobis, ac preces impudentia præit? at conuiuiorum ſaltem hilaritati concedendum aliquid videbatur; tunc enim

Vide Langlæum ſemeſtr. l. 1.

præ-

præcipuè defatigatus curis animus ſoluitur, & à turbulentis cogitationibus aberrationem quærit. Siſte, oro te, quæſoque, nam aut fallis, aut falleris. Sapientum enim ſanctiones tũ maximè Bacchum nymphis edomari iubent, cum inſitus naturæ ardor, vini, cibique licentia recaleſcit; neque enim impellendus eſt is, turpitudinis obiectu, qui naturæ deficientis ingenio, in ſcelerum crepidine ſuſpenſus potius, quam conſtitutus, caſum minatur. Hinc doctorũ hominum ſympoſia vario eruditionis embammate ingeniosè condita; hinc adhibiti olim Principum menſis antiſtites literarum; hinc Homerica Heroum præſertim, conuiuia honeſtiſſimo muſicæ artis lenocinio, ad compeſcendas æſtuantis animi commotiones, exhilarata. Sed quid tam multa commemoro? vnus Caius Caligula extra ſacra, & cõmeſſationes ſui ſemper ſimilis, hoc eſt dementiſſimum naturæ ludibrium, diſputationem abſoluet exemplo ſuo. Is ergo, Suetonio teſte, veſtitu, calceatuque & cætero habitu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili, quidem, ac denique humano, ſemper vſus eſt. quid multa? manuleatus, & armillatus proceſſit in publicum; ſericatus, & cyclade per ambitum circumfuſa, & ipſiſſimo

Ve-

Veneris cultu conſpectus eſt. O materiam, vt ait Seneca, riſus benigniſſimam! Vbinam gentium deliteſcis regie adoleſcens, Dearum arbiter Paris? quę te Idæi nemoris vmbra in ouium curam excubantem fouet, & à conſpectu ſubducit, dum Venerem tibi ſiſto? Ponite vobis ante oculos Caligulæ imaginem, naturæ quidem tum maximè ferientis, lineamentis adumbratam potius quam expreſſam, Suetonij deinde, ac Senecæ coloribus abſolutam. Hominem videbitis palloris inſani; oculorum ſub anili fronte latentium toruitate metuendum; deſtitutum cerebro, & capillis caput, fortunæ caluæ ſimulachrum, ſed emptitio crine ſilueſcens; obſeſſam ſetis ceruicem, aptiſſimam iugo, ſpumantis in venatione ſuis aſperitate rigidiorem; vultum caprinæ ſcilicet pulchritudinis, natura horridum, ac tetrum; ex induſtria ad omnem terrorem, atque formidinem efferatum; corpus enorme. ſed crurum gracilitate lapſabundum, omnia denique ad pulchritudinis iniuriam, pulcherrimè fabrefacta. Et hoc tamen vniuerſæ fœditatis monſtrum, cum Apuleiana Venere, *Introcedit nudo, & intecto corpore perfectam formoſitatem profeßum, niſi quod tenui pallio bombycino inumbrabat ſpectabilem pubem. Ipſe*

color Deæ diuiſus in ſpeciem, corpus candidum quod cælo demeat, amictus cærulus, quod mari remeat. O Venerem ſuo quoque Marti formidandam! ò laruam Veneris ad terriculamenta cupidinum, dum proterue laſciuiunt! ò Adonidis amaſiam apro ſimillimam, ferociter ſub Theocriti calamo blandiēti! quis neget iam ſuas eſſe etiam amatoribus furias, erynnes ſuas? Quid ergo cogitabat homo omnium dementiſſimus, dum Veneris veſtem aſſumeret? an facto illo naturæ malignitatem onerabat in ſe excolendo tam parcam? an formæ potius contumeliam, veſtium ornatu redemptum ibat? vel quòd magis cum flagitioſi principis moribus congruit, in Venerem ſe penitus abijſſe, hac veluti indumenti teſſera, profitebatur? Caſtus nimirum populo videri venereus furcifer nolebat, cùm inceſtuoſum pudicitiæ profligatorem, vel ipſis ſororibus ſe probaſſet; occultas thalami fœditates, tenebris omnibus tetriores, ad incutiendum cœlo ruborem, aperta ſceleris profeſſione deriuabat foras, & nolentiū oculis ingerebat; præripuit famæ munus, quæ abditas etiam Principum ſordes ſerius ocyus euulgat, vt ſurdo infamiæ verbere potentiorum ſecuritas vapulet. Atque hoc tandem eſt, quod

ſub

ſub initium dicebamus, à fœmineo corporis habitu ad effœminatam habitudinem animi, facilem, ac breuem eſſe traiectum. verum tam ſolidæ ac maſculæ veritati fiet iniuria, ſi molliſſimi nebulonis teſtimonio fulciatur. Deuocemus ſi placet è Lydia Herculem; Achillem ex inſula Scyro; viros vt videtis, fortitudinis exaggeratæ, in quorum commendatione virtutis, defatigatis iam priſcorũ ingenijs, hodièq; laborat heroibus obnoxia natio literatorum. Atqui primus ille nõ tam monſtrorum domitor, quàm fortitudinis monſtrum, interritum periculis, calamitatibus inuictum, laboribus indomitum, ac dignum deniq; in cuius perniciem ingenioſum Iunonis, & Deæ, & furentis, & quod fidem ſuperat, nouercæ, odium fruſtra excandeſceret, quid ſub Lydia amatricis ſuæ veſte meditabatur? O veſtem non centauri quidem ſanguine ad Herculis interitum corruptam, ſed voluptatis liquoribus ad delicias perfuſam! tu mihi Herculem prodis ab inſana muliercula violatum, priſcæ virtutis oblitum, vmbram hominis, cadauer Herculis exanime, languidum, ac ſibi graue. Priuignum muliebri deformatum ſtola intuere, ſi vacat, Iuno, & in degeneri fortiſſimi iuuenis calamitate conſumpta demum

odia

odia gratulare; quod ira non potuit, amor obtinuit; tibi, ſi neſcis, Cupido militauit, dum contumacem iuuenis animum meretriculæ illecebris emolliret, ac frangeret. Hanc veſtem ad talos nudi olim bellatoris demiſſam, & in humeros Leonis exuuio quondam nobiles, effœminatè reiectam, vexillum puta Herculis iam proſtrati. Sed in hoc etiam victam te fatearis neceſſe eſt; à Venere ſcilicet, nullo Paride decernente, ſed te ipſa iudice, iterum ſuperaris. ipſa tibi Herculem dedit. Sed quid de Achille dici vnquam poterit, quod inclyti herois fortitudinem delibet, & illuſtrem egregij famam bellatoris obſcuret? Potuit quidem Thetis matri propior, quam Deæ, adoleſcentulum ſub Chironis diſciplina, ad omnem vitæ aſperitatem ferociter eruditum, Leonum viſceribus paſtum; ſole, geluque concretum, aſſiduis duratum venationibus, in molliſſimam Lycomedis aulam transferre, ſed dormientem,

— toto reſolutum pectore Achillem,
Stat. lib. 2. Achil. *(Qui pueris ſopor) Æmonij de rupibus antri*
Ad placidas deportat aquas.

potuit, qua precibus, qua imperio detrectantem puerũ inter Virgines abdere, puellari impeditum palla, non ornatum

tum; vt vitam Troiæ excidio debitam delicijs impenderet; quid tamen commiſit vnquam à virtute generoſi adoleſcentis alienum? Fateamur id quod res eſt Auditores, Amorem veſtibus illis fouebat, tenerum videlicet puſiunculum, & qui ab Achillis ſocietate abhorruerat,

Dum ſparſus magno remearet ſanguine, tenero dum flexa cubili
Membra, ſed ingenti ſaxum commune magiſtro. *Idem ibid.*

neque enim indomitos pueri ſenſus inflectere mater potuit: ita ipſum alloquitur ornamenta recuſantem,

—cur ora reducis?
Quid ve parant oculi? pudet hoc miteſcere cultu? *Idem qui ſup.*
Per te, care puer, cognata per æquora iuro,
Neſciet hos Chiron. ſic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens; obſtat genitorq; roganti
Nutritorque ingens, & cruda exordia magnæ
Indolis.

quò igitur te vertes Thetis? quis nam indocilem Achilli tuo mentem detrahet Mater? adoleſcentulam Deidamiã vidit,

Trux puer, & nullo temeratus pectora motu

Diri-

Diriguit, totiſq; nouū bibit oſſibus ignē,
Nec latet hauſtus amor, ſed fax vibrata medullis
In vultus, atq; ore redit,

tunc enimuero Centaurum ſuum oblitus, & Amori traditus in clientelam, incultum, atq; aſperum priſtinæ vitæ cultum odiſſe iam cœpit:

—— tunc colla rigentia mollit,
Submittitque graues humeros, & fortia laxat
Brachia, & impexos certo domat ordine crines,
Et picturato cohibet veſtigia limbo.

Bene eſt, viciſti mater, Achilles tuus amator eſt, veſtes intuere ſi dubitas; amorem loquuntur. Hoc tibi Palladium Troia diutius ſeruent Dij: niſi enim in te bis peccauerit Vlyſſes, Græcorum armis perire non potes: tibi luditur in Gynecæo, & dum iuuenculæ in morem Achilles ornatur, & comitur, ſtabit Ilium, licet fatorum iniuria excidio deſtinatum. Verum vbi ſemel omnis architectus doli Vlyſſes, laruam Achilli detrahet, cum muliebri veſte omnem ponet animi mollitiem heros, & furorem induet, extremis Aſiæ calamitatibus idoneum. Vſque adeo verum eſt, quod Græcorum adagio circumfertur, veſtis virum facit. Sed quoniam nullum

ego ijs intemperijs agitatum noui (quę temporum, & Chriſtianæ religionis fœlicitas eſt) qui à fœminis veſtes publicè, ac palam mutuetur, quid tamen nobis hac ſuper re diſcriminis immineat palam faciam, cum anni proxime ineuntis initium, labores meos, & veſtram ſimul humanitatem reuocabit.

De morum, ac perturbationum coniectura ex inceſſu.

DISSERTATIO DECIMASEXTA.

INgenioſus Promethæi labor, in prima hominis molitione ſuſceptus, vt à veteribus ſummoperè commendatur, ita non omnes, mea quidem ſententia, numeros exactæ laudis abſoluit. Addiderit ille, per me, limo principi particulam vndique diſſectam ab animantibus, quod Horatius fabulatur: ſapientiam à Minerua, ignem à Vulcano, iuſtitiam à Mercurio, in opus ſuum commodato tranſtulerit, quod Plato comminiſcitur in Protagora, ex ſtatuariæ denique legibus elegantiſſimam totius corporis ſcenam, vt Tertullianus loquitur, explicarit; ſimulachrũ tamen molitus eſt, quod mole laboraret ſua, deſidioſum, graue, ſpecie ſtabilitatis

iner-

inertiſſimum; vno verbo cadauer artis expreſſit. Dædalus contra prodigiorum Faber operoſus, eo ingenij conatu ſtatuas effinxit ſuas (nec tamen habuit ſuccenturiatos Deos) vt illas animaſſe, atque incedere docuiſſe, tum in Euripidis Hecuba, tum in comici Platonis Decipiente dicatur. Quod efficacis genus induſtriæ ita Poeticus ſtatuarum artifex Pindarus imitatione probauit, vt immobilia ſe fingere ſimulachra diſertè negauerit in Nemeis. Atque inde intelligi, opinor, datur cur tam actuoſa Numinum ſigna, hoſtili fortaſſis euocatione ab vrbibus diſceſſura, ad ſecuritatem atque tutelam non ineptiſſimi populorum religioſis vinculis obligarint. Mirari autem iure non poſſumus, inceſſum à Dædalo lapidibus inditum, qui volatum hominibus indidiſſet. Statuam nos etiam, hoc eſt abſolutam virtutis idæam, iamdudum oratione deſignamus, dum abditas animorum ægritudines, atque retruſas accuratè rimamur; vt morborum cauſis patefactis, atque conuulſis, ſuus conſtet ſimulacro decor, & ſanitatis in vultu color. Non temere autem ſtatuarum pulchritudinem adhiberi, ad exactam bene conſtituti hominis imaginem exprimendam, præter Alexandrinum Clemen-

men-

mentem, Nazianzenum, Niſſenumque Gregorios, luculenter oſtendit pridem Ioannes, aureum illud os, omni Græcorum opulentia pretioſius; vt turpis interea elegantię Arbitrum omittamus, puriſſimæ impuritatis autorem, qui fœminam omnibus ſimulachris emendatiorem proſtituit, dum deſcribit, velificatus formæ, de famæ naufragio ſecurus potius, quam tutus. Quoniam vero de humani primum corporis conſtitutione vniuerſim egimus; mox de capitis, vultuſque notis cum Phyſiognomo diſſeruimus; inde chiromantes conſulere libuit; ne mortuum, ac planè Promethæum ſimulachrum ſit, quod effingimus, Dædali tandem ope, Mercurij trunco pedes ex arte ſubijcimus, & inceſſum ſtatuæ contemplamur. Quæro igitur vtrum ab inceſſu de propenſionibus animi coniectura elici quoquomodo poſſit. Et hæc ſane ratio coniectandi, vt ludicra aliquibus videri poſſit ac fallax, tam conſtanter tamen vſurpabatur à priſcis, vt cum doctiſſimi Poetarum factitio, ac ioculari numini, quod ſibi cudebant ipſi, aures, oculos, linguam, humana denique omnia, ne flagitijs quidem omiſſis, appingerent; vno tantum inceſſu Deos mortalibus innoteſcere voluerunt. locus eſt apud Ho-

merum luculentus, in re de qua diſputo. Neptunus Calcantis ſpeciem induit, geminoſq; Aiaces ad integrandum cum Troianis prælium, non tam verbis adhortatur, quam ſubiectis animo facibus inflammat. re autem è ſententia geſta, diſcedentem ſenior Aiax ſedulò contemplatus, ab inceſſu præſentiam numinis deprehendit, perſonamque Calcantis Neptuno detrahit.

Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν, ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος.

Veſtigia enim retropedum, atque tibiarum
Facile cognoui abeuntis,

quod præclarus ex imitatore penè victor Homeri Virgilius, ad Iridem tranſtulit, quæ in Retheiam Beroen Deæ facie, veſteque depoſita, commigrauit, vt Troianas fœminas, longa exilij defatigatione fatiſcentes, ad naues inflammandas impelleret, (ait Pyrgo

Æneid. l. 5. *Non Beroe vobis, non hæc Retheia matres*
Eſt Dorycli coniux; diuini ſigna decoris
Ardenteſque notate oculos, qui ſpiritus illi,
Qui vultus, vociſq; ſonus, vel greßus euntis.

Nec de literatorum plebe gregarius neſcio quis, Iridem non vno tantum greſſu, verum oculis, ſpiritu, vociſque

ſono cognitam ſuſpicetur; nam Venus etiam apud eundem diuinæ Poeſeos artificem, ſub venatricis inuolucro filium conſolatur; quæ licet nec mortali videretur vultu, nec hominem illius ſonaret vox, ab Ænea tamen, quantumuis filio, cognoſci, niſi greſſu deniquè prodente, non potuit:

Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit, L. 1. Æneid.
Ambroſiæque comæ diuinum vertice odorem
Spirauere; pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit Dea.

Viderit autem Heliodori Calaſiris, vtrum ſubſultorius appellandus ſit peculiaris hic Deorum inceſſus, dum eos mutuo compoſitis pedibus auras findere Cnemoni narrat: nam quarto demum paſſu à Samothracia ad Ægas Neptunũ Homerus perueniſſe teſtatur: atqui ſi coactis in vnum pedibus paſſum explicat, quarto ad Ægas ſaltu, diuino ſanè, ac pluſquam gigantæo, delatus eſt. Verum iſthæc curioſius indagare aliorum ſit labor fortaſſe non pœnitendus; nobis ad alia properandum eſt.

Si ergo ad rem propius accedamus, ab inceſſu rectè propenſiones animi deprehendi, cũ viris ſapientiſſimis ſtatuo. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo,* apud Eccleſ. 19.

Siracidem legimus. Ariſtoteles verò, palmare illud ingenium, in Phyſiognomicis, ſolidiſſimis rationis momentis Siracidis decreto calculum adijcit. Vt prætercam interim quod à Gregorio Theologiæ laude inclyto, de Iuliano deſertore; à Romanæ hiſtoriæ Principe de Catilina memoratur, quorum modò citus, modò tardus inceſſus furorem hominum, atque dementiam deſignabat. Cum enim de ſingulis animi perturbationibus peculiaris diſputatio inſtituenda ſit, de ſingularibus ab inceſſu ſignis, earumque cauſis à natura petitis tunc quemadmodum opportunius, ita etiam vberius inquiremus. Nunc autem quoniam tum ſacri Codicis, tum prophanæ literaturæ fundamentis innitimur; agè & duplici hoc argumenti genere futuræ commentationi ſeriò proludamus.

Apud Apuleium Venus, in Paridis iudicium de pulchritudine deſcenſura, nihil omiſit, quo regij iuuenis voluntatem pelliceret in amorem ſui. Verum vt proprijs quodammodo pedibus ſe in illius animum inſinuaret, inceſſum fingit ex arte, & Lenoniam paſſu petulanter exercet. Illam procacitatis omnis explicato choragio, ita Medaurenſi penicillo deſcriptam accipite. *Venus*

pla-

placidè commoueri, cunctantique lente ve-ſtigio, & leuiter per fluctuantes pinnulas, & ſenſim annutante capite cæpit incedere: mollique tibiarum ſono delicatis reſpondere geſtibus, & nunc mite conniuentibus, nunc acre comminantibus geſtire pupulis, & nonnumquam ſaltare ſolis oculis. Grauis hic primum vt videtis, & cunctabunda, curioſos extorquet intuitus: mox omni motacilla mobilior tã fractè, molliterque ſe commouet, vt ad tibiarum ſonum capite annuere, greſſuſque modis attemperare videatur; delicatè, ac prorſus ad Venerem: oculos deinde circumagit prædatores, argutos, lubricos, ludibundos. mentiar, Auditores, niſi virgines Solimæas eodem prorſus impudentiæ caractere expreſſas voluit Iſaias. Conferte mecum, ſi placet, vtriuſque autoris hypotypoſes, me non omnino deſipere, vt arbitror, iudicabitis. *Eleuatæ ſunt filiæ Syon, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Noui iamdudum quid docta, & multiplex interpretum diligentia, ad huius enarrationem loci, in commune contulerit, eoque rem trahi video, vt eorum plerique ad proteruam molliſſimæ ſaltationis artem (quæ maxima ſolet eſſe

impuritatis illecebra) vatis verba detorqueant; quam licet Alexandrinus Clemens, in Pædagogo, iniurijs facundè, & quidem iure proſcindat; ad hoc tamen, quo de agimus, non niſi incommode arbitror vſurpari: opportunius ergo, mea quidem ſententia, & vatis verbis accommodatius loquuntur ij, qui compoſitum virginum gradum, tremulum, eneruem, vt ita dixerim, elumbem, qualis eſſe laſciuientium puerorum ſolet, ex Hebræorum literis interpretantur; niſi ſi Baſilium potius audiant, qui grauiſſimas vatis minas ita declarat, vt corruptas Syonis adoleſcentulas numeroſè, & ad modulos, hoc eſt per ſummam laſciuiam non ſaltare, ſed incedere conqueratur. Neque enim ad quotidianam libidinantis iuuenculæ petulantiam prodendam, aut Bacchi celebranda ſunt orgia, aut Bonæ Deæ myſteria indicenda. Argumenta ſiquidē morum, atque ægritudinum, ex minimis etiam quandoque petuntur. *Impudicum, & inceſſus oſtendit*, vt Seneca è porticu Stoicè clamat, *& manus mota, & vnum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum*. Inter omnia tamen, quæ in oculos vel nolentis incurrunt, perfluus ille inceſſus, ac nutabundus, quique modulos

Baſil. in c. 3. Iſai. vide Cle. Alex. l. 3. Pædag. c. 11. & Hieron. in Iouin. l. 2.

quo-

quoſdam, vt Ambroſius officij magiſter admonuit, ſeruare videatur, hominis eſt omnino diſſoluti, & ab honeſti, rectique ratione, non ſine aliorum ſtomacho feriantis. O te infœlicem Mæcenas, qui ingenium vel Stoicorum teſtimonio grande, ac virile, per inertiam diſcinxiſti; fractiſque in muliebrem laſciuiam greſſibus, viſus es non magis tunicam ſoluiſſe, quam mores! Laborat hodieque ingentibus obnoxia beneficijs tibique ſæpius redempta natio Poetarũ, vt quæ moribus tuis maculæ caninis philoſophantum obiurgationibus adhęſere, canoris ipſa, ſi poſſit, Parnaſſi fontibus eluat. Sed quiſnam te malus genius ita tranſuerſum egit, vt perinde quaſi in ipſo Pleiadum exortu natus eſſes, inceſſu virum dediſceres, fœminam mentireris? an pretium operæ fortuna non fecerat, ſi te corrupiſſet tantũ, non etiam euiraſſet? an neſciebas enerues, ac fluxos pedes caput ipſum in diſcrimen adducere? nullumque repertũ vſpiam, qui ſponte pedibus laboraret; cuius pariter caput, nimia voluptate motum, viri ſapientiſſimi non putarint? & hic tamen non ſolutus in choreis, ſed implicatus in greſſibus Volupiæ nepotulus ferebatur; vt mirari mihi iamdudum in mentem venerit, quamobrem ad

Vide Senec. epiſ. 19 & epiſ. 92, & 117. &c.

vnum omnes Venuſini vatis interpretes Ionicos virginum motus ad choreas, non ad inceſſum, admirabili conſenſione traducant.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura Virgo.

At Iones Aſiaticum genus delicijs infractum, & choreis addictiſſimum ex Plauto, ex Athenæo, & Maximo Tyrio ſcimus. eſto. Verum tu interim imprudens cauſæ præuaricaris. ego etiam delicatiſſimos ex veterum monumentis Iones intelligo, luxu marcidos, voluptatibus diffluentes, vno verbo longe quam tu ipſe fateris, molliores. Verum ideo præcipue motus illos, quibus virgunculæ inceſtis amoribus præludebant, in improbam ſaltandi artem reijciendos eſſe non concoquo. Quid enim? an nouum adeo cuiquam videri poteſt, puellas annis in virum geſtientibus iam maturas, inter ſaltandum minus verecundè moueri, vt ad exaggeratam Ionum intemperantiam verbis amplificandam, Ionici motus tam magnificè aduocandi ſint? an Gaditanas Iuuenalis, & Martialis fœminas obſcænis choreis infames oblitus es, vt niſi in Aſiæ ſaltatriculas offendas, extra chorū ſaltare, & impudentiæ ſpectacula declinare tibi videaris? vtinam declinares!

Verum

Verum communis Ionicarum virginum ingreſſus tam numeroſus eſt, atque laſciuiens, vt etiamſi nullas cogites choreas, à chorearum tamen procacitate, illis ambulantibus, abeſſe non poſſis. Hinc moroſa, multiſque nominibus deteſtata Catullo fœmina, ex iunioris Scaligeri coniectura dicitur,

Turpe incedere, rithmicè, ac moleſtè; hinc Aquitanicus Auguſtinus indecoras illas motiones, ad flexuoſas chorearum vertigines accedentes ita deſcribit, *Qui vndante lapſabundi corporis motu, & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes animorum diſſolutionem, veſtigijs ſinuoſa mobilitate nutantibus produnt.*

Verùm ego dum aliud agerem, choragus vtinam non infauſtus, chorũ produxi, & incerto vagoq; errantium magis, quàm ambulantium paſſu, ſtrophe iam, atq; antiſtrophe complicatis, hominem tandem vobis ſiſto, diſtentum, anhelantem, lecticarium, Mathonis contubernalem, qui non tam moueri, quàm ſtare videatur, vt epodon abſoluat. Non longè abierimus: ſacris prophaniſq; coloribus monſtrum hominis, quod initio me facturum receperam, pingo. Calamitatem viris principibus in ſuperbiam elatis denuntiat Amos, vaticinio nobilis, *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confi-*

ditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domũ Iſrael. Magnificè ſimul, & ſeuerè. Dum apud me, quid ſibi tandem vellet *domum Iſrael pompaticè ingredi*, accurata meditatione perquirerem, illud veniebat in mentem, quod in Ciceronis Officijs legeram aliquando: *Cauendum eſt ne tarditatibus vtamur ingreßu mollioribus, & pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur*; eamque philoſophi ſimul, oratoriſq; ſententiam ad vatis oraculum ſatis accommodatè tranſtuliſſe me, tacitus gloriabar: cùm in Hieronymum incidi, non minùs eloquentia Tullianum, quàm ſanctimonia ſuum. Is ergo verba vatis enarrans, ipſiſſima hæc commentarij loco adhibet, vt videtur à Cicerone deſumpta, *Vt tumorem, inquit, animi corpus oſtendat, & pomparum ferculis ſimiles eſſe videantur*. Nec aliò deflectit Ambroſius, *Sunt*, ait, *qui ſenſim ambulando imitantur hiſtrionicos geſtus & quaſi quædam fercula pomparum*. Atq; hoc illud tandem eſt, Iunonium incedere, quod in Athenæi cœnis obſeruatum primò, ætatis noſtræ viri ſanè literati pluribus explicarunt. Cùm enim Iuno gemino ſororis, & coniugis Iouis nomine ſuperbiùs efferretur, tantæq; capaces fortunæ ſpiritus altiùs imbibiſſet, inceſſum etiã

Vide Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 11. & Hieron. l. 2. in Iouin.

ſato

fato ſuo parem, mulier vſq; ad diuinitatis faſtidium contumax, adoptauit: vt confidentiſſimè deinde iactaret,

Illa ego quæ Diuũ incedo Regina, Iouiſq; *Virg. 1. Æneid.*
Et ſoror, & coniux.

atqui Iunonij miſtæ, rati ſe plurimum ſcilicet de maieſtate numinis relaturos, ſi ſuſpenſo nutarent gradu, prouerbio locum, lenta, & deſidioſa ferculorum vectatione fecerunt. hinc de Tigellio Venuſinus appoſitè,

—ſæpe velut qui
Currebat fugiẽs hoſtes; perſæpè velut qui
Iunonis ſacra ferret.

quod ego adagium, oculatam viri doctiſſimi diligentiam effugiſſe, qui ſacra adagialia prophanis literis illuſtrauit, vehementer mirarer; niſi egregium per ſe opus, poſthumum tamen, nec adhuc extrema pumice expolitum, iacturæ nos admoneret, quam bonarum artium ſtudia in properata tanti viri morte fecerunt. ſed redeo ad inſtitutum. Tumoré ergo animi cunctabundus incedentis greſſus, tanquam Iunonia fercula, manifeſtè circumfert; niſi tamen, quod non rarò contingit, à virtute, aut à vitæ conditione regatur. Dabitis mihi hanc veniam, Auditores, vt aſinum adhibeam diſputationis meæ in præſentia teſtem, cùm in ſacris olim literis alienæ fuerit *Mart. Delrius in ſac. Adag.*

temeritatis accuſator; hiſtoricè rē, hoc eſt paucis, attingam. Atrox apud Homerum inter Troianos, Græcoſq; prælium exarſerat, Aiax magna priùs edita hoſtium ſtrage, vt Hectoris impetum declinet, terrore à ſuperis iniecto pauidus, proripere ſeſe è conſpectu parat. Verùm in ipſo diſcrimine, virtutis, ac dignitatis memor, ſenſim, & quemadmodum Plinius loquitur, pedatim abſcedit, recedentium leonum more. optimè hactenus, & ex decori ratione generosè. Leones ſiquidem, etiam Ariſtotelis teſtimonio, à venatoribus non celeriter fugiunt, ſed lentè diſcedunt; & quidem aduerſi. hinc illorum inceſſum in Phyſiognomicis ſtrenuum Lycæi princeps appellauit. At Homerus Leonis oblitus, ad aſinum repente prouocat, verborumq; traiectione mirabili, eundē Aiacem cum aſino comparat, ab agricolis per vim, fuſtibuſq; depulſo. Aliquid hic odoror, Auditores, aſini enim ſtoliditatem in Poetam magni Macedonis iudicio verè regium, Medaurenſi veneficio traslatam arbitrarer, niſi eximij bellatoris audaciam conſilio temperatā in Homeri Aiace cognoſcerem. Ad tarditatem ergo Principis ſignificandam, ab hoſtium ſtrage ægerrimè diſcedentis, animal delegit, ſuopte genio magis,

quam

quam ingenio deſidioſum, ac tardum. quod propterea pompaticè, ſeu Iunonium incedere, hoc eſt ad Eleuſinæ ſacra deferenda adhiberi ſolitum diſcimus, tum ab Apologis Gabriæ, tum ab Ariſtophanis ſcholiaſte. Nos verò, qui nimis aliquando intẽperanter, per corporis caracteres ad animi ſenſa inani diuinatione peruadimus, non eandem eſſe, quantumuis eadem videatur, regiam in leone cunctationem maieſtatis, atq; ſtupentem in aſino ſegnitiæ lentitudinem intelligimus. Nam ſi aſinum in ſpeciem contempleris, quàm facilè labaris neceſſe eſt? aures illi acuto rege digniſſimæ, teretes, & ſupra animalium omniũ fœlicitatem argutæ: oculus grauis, cõtracto ſupercilio compoſitus: vox grandis, producta, numeroſa, vel leonum armentis formidanda: caput immenſum, ſerium, cogitabundum: an non hæc omnia animal ſummis reipublicæ negotijs ſemper intentum, auritum, oculatum, vocale, & quod caput eſt, bene capitatum oſtentant? & tamen aſinus eſt, cuius recordatione nominis vel Lucius, & Apuleius erubeſcant. hinc futilis, & ſemper lubrica coniectorum curioſitas redarguitur, quæ quoniam ſternutamenta, ſi Deo placet, tuſſim, oſcitationes ad experimentum opinor

artis

artis, inter præſidia quibus ad animi perturbationes eunt, numerauit, nos quid de illis ſtatuendum ſit in poſterum diſſeremus.

De coniectura ex ſternutamento, tuſſi, & oſcitatione.

DISSERTATIO DECIMASEPTIMA.

VT eorum plerumque eſt inconſulta temeritas, qui nimium in alienis vitijs oculati, in proprijs ſponte cæcutiunt, ita mirum nemini videri debet, tàm peruersè à Momo de Vulcani ſtatua pronunciatum olim, cum feneſtras in hominum pectore, præpoſterus alienæ imperitiæ obiurgator deſignauit. Approbauerit, per me licet, Socrati commentum ſuum, quod frequentibus hodieque vulgi ſermonibus vſurpatur: nunquam tamen efficiet, vt per huiuſmodi carnificinam, retruſas animorum perturbationes libeat intueri. Nimirũ cruenta hæc Momi curioſitas, quæ cordis, ac viſcerum penetralia denudat, non tam ingenijs ad eruditionem lenocinantur, quam vultures pronocat ad rapinam; vt quæ peculiaris quondam fuerat Titij pœna, communis iam futura ſit humani generis cruciatus. O te

Luciã. in Hermot.

præ-

præclarum Mome ſectorem corporum (Anatomicum pene cum medicis appellaui) qui perinde quaſi ad Silenorum ſpeciem vnuſquiſque mortalium fictus eſſet, qualem Alcibiadem putauit Socrates, oſtiolum pro ingenio in pectore nobis explicas, ad animorum arcana, & veluti abdita naturæ myſteria pernoſcenda. An eos neſciebas, quos ſenſus corporis populariter dicimus, vias quaſdam eſſe, vt loquitur Tullius, ad oculos, ad nares, à ſede animi perforatas, ac nullum proinde feneſtræ tuæ locum in homine ſupereſſe? ſed video quid agas; luculentum, ac pingue intelligentiæ tuæ acumen, cum per anguſta ſenſuū receptacula ſe ad animum penetrare non potuiſſet, pectus ipſum alte defodit, vt Durateus quondam equus Troianis portis maior, per murorum ruinas in vrbem exitium intulit. Age igitur, & quoniam deſcriptas in fronte, in oculis, toto denique in vultu notas animorum, à nobis in loco declaratas, tanquam obuolutos apices, ac fugientes intueri, præ lippitudine non poteſt Momus, grandiores illi non paulò caracteres, atq; adeo apud Perſas plane regios obtrudamus; vt dum animi perturbationes curioſe rimatur, de pectoris vulnere in poſterum non laboret;

Plat. in conuiu.

ſed

ſed impingat in naſum. quæ pars in humano corpore tanta eſt, vt illi etiam cognomenti maieſtatem acceptam ex parte referat Alexander. Nimirum de ſternutamento primum, mox etiam de tuſſi, ac de oſcitatione demum differendum eſt; quorum fatidico ſtrepitu, niſi tandem expergiſcitur Momus, æternum ſaxo dormiat, æternum ſtertat. ſtertit enim, non loquitur, quicumque calumniandi libidine in alienos mores inuehitur.

Aiunt ergo acutuli, vt ipſi autumant, interpretes animorum, vt ego arbitror, captatores inaniarum, ab hominis ſternutamento de affectionibus animi elici coniecturam. Noua prorſus opinio, & ad percellendos animos efficax, quę plus tamen admirationis ſit habitura, quam fidei. Et ſane ſternutamentum, vt hinc potiſſimum exordiar, ex Ariſtotelis ſanctione nihil eſt aliud, quam dęſioris, & maxime conferti ſpiritus exitus: ſiue enim cerebro incaleſcente humorem capitis paulatim calor extenuet, & in ſpiritum, flatumue commutet, quod Hyppocrates arbitratur; ſiue aliunde flatus in caput ingruerit, quod Galenus, hac ſuper re Hyppocratis ſcholiaſtes, pluribus explicat; illum vt veluti ſuperuacaneum, nullique idoneum rei natura

Vide Ariſto. l. 1. hiſtor. animal. c. 11. & Proble. ſect. 10. q. 18. & deinceps. Alex. Probl. 1 q. 144.

ex-

expellat è capite, occulta quadam vi cerebrum concutit, vt valido ſenſim motu ſpiritus confertus exiliat, & tandem non ſine ſtrepitu erumpat è naribus; quo quid excogitari poteſt, ad prodendas animorum perturbationes ineptius? Atqui ſi prodigioſa hæc capitis exoneratio verax, & Sacroſancta fatorum index ſemper eſt habita, cur quod in homunculi neſcio cuius pectore delitelcit, aperte non prodat? audio: neque enim in prophanis priſcæ ſuperſtitionis ſacris tam hoſpes ſum; aut in monumentis veterum tam peregrinus, vt ſi non omnia, pleraque ſaltem ſternutamenti omina, male prorſus ominata non viderim. Noui Penelopes riſum apud Homerum, in Telemachi ſternutatione procis interitum portendente: amores apud Theocritum Simichidæ ſternuentes audiui: Xenophontis concionem ſternutamento militis exceptã, reliquis omnibus futuræ, ipſi verò ſternuenti præſentiſſimæ fœlicitatis omen fuiſſe non ignoro: Temiſtocli pueros immolandos ſternutantis indicio deſignatos Plutarchus eſt autor: Apolline victoriam ſternutatione pollicentem Nonnus eleganter expreſſit: quid multa? non ridicula modo natio Poetarum, ſed ſumma etiam philoſophorum capita, Ari-

Albert. lib. 1. de anima tract. 1. c. 8. Hyppo. Aphor. l. 7. aphor. 52. atque ibi Galen. quem etiam vide l. 2. ſympromat. c. 2. 3. 4. 5. Ariſto. Probl. ſect. 33. q. 7. & Euſtat. ad 7. li. Iliad.

Ariſtoteles, Plinius, Albertus, ſacram, dijſque proximam diuinationem ſternutamentis adſcripſere. Atque vt ieiunus omninò antiquitatis perueſtigator, nihil hoc de argumento alibi deguſtarim, venuſtiſſimus tamen ab erudita ſuburra Piſtor, placenta omni eruditionis melle condita, vel latrantem ingenij famem ſedare potuiſſet. Verum quid inde conficitur? iamdiu nimis eſt, cum ludicra iſthæc de ſternutamentis opinionum portenta, tum exactæ prudentiæ ſoliditas, tum veræ, hoc eſt Romanæ religionis ſanctitas eliminauit, diſiecit, oppreſſit, obſoleuit illa iamdudum malè feriatorum capitum intemperies, per ingeniorum laſciuiam pleraſque olim regiones, ſed Græciam præſertim turpiter fœdeque depaſta. Prophanus ille vetuſtatis error, non Origenis modò, aut Clementis Alexandrini, Theodoreti, Baſilij, Auguſtini autoritate iugulatus, ſed ipſius etiam comici Philemonis, atque adeò M. Tullij doctrina confoſſus emarcuit: faceſſant hinc igitur auguralia ſuperſtitionis deliramenta, ne ad veritatis perueſtigationem viam nobis mendacio ſternere videamur. Et reperta ſunt tamen, è veteris philoſophiæ ſectatoribus capita quodammodo conſularia, quæ ſternutamenti indicio,

āc veluti face, ad obſcuram animorum notitiam ſe perueniſſe confiderent. Res eſt tū luculento Diogenis Laertij teſtimonio comprobata, tum Dionis cognomēto Chryſoſtomi diſertiſſima oratione deſcripta aduertite quæſo animū diligēter. Cleantes maiorū gentiū Stoicus Zenonis auditor, qui non minus laborioſè ſapientiam hauſit, quàm pertinaciter tradidit; cum diuinandi artem ex humani corporis caracteribus profiteretur, tripodem ad oracula neſcio quā in vrbe reddenda collocauit. ibi autem cùm ſatis fœliciter lubricæ diſciplinæ ſpecimen edidiſſet, miros in vulgus de ſe ſermones excitauit. Verùm quia inſatiabilis eſt mortalium curioſitas, experimento præſertim irritata, & in veritate, mendacijque confinio laborans, hominem Cleanti ſiſtunt, in quo aut artis leuitate detecta populi mentes ſuaui morbo liberaret; aut ad veritatis ſcopum rectè collineans diuinationem diuinitate cumularet. Hominem ſeu potius portentum hominis, ruſticana de gleba Stoicus contemplatur, prædurum, hirſutum, hiſpidum; cuius frons nullo ſuperciliorum fine diſcreta; oculi toruū, ac truculentum intuentes; labruſca omni vultus acerbior; ſyrma barbitij planè tragicum; os colore quidem plum-

beum

beum, duritia ferreum; manus obducto callo lapidoſæ; vno verbo viuum laboris ſimulachrum, aut ſpirantem feritatis imaginem videre ſe cæteri prædicabant. Hic enimuero Cleantes hæret; & arguties illa diuinatrix, in ſetoſum humanæ beſtiæ corium impingens, inopinato retunditur. Concionem tandem diuturna expectatione defatigatam dimittit, præfatus ingenuè hoc vno in homine Phyſiognomorum artem turpiter defeciſſe, Abibat ille victor, omnemq; populi admirationem auerterat à philoſopho, atque in ſeſe tranſtulerat: cum ſubito ſternuit. Tunc Cleantes mollem exclamat, impudicum, obſcenum; id videlicet ſternutamento patuiſſe. Ita ne verò Stoicorum ſapientiſſime? ludere adhuc in re ſeria homo tam grauis, atq; illudere mortalium cupiditati pergis? tam abiectè de poſteritate, atque humiliter ſentis, vt digna tibi, cui iocu-lariter imponas videatur? tàm bardi tibi ſumus, ac plumbei, quicunque naturæ iure, in tempora à tuis aliena tranſcribimur, vt ineptire tecum, per ſpeciem doctrinæ reconditioris, debeamus? ergo quicumque frigore, flatuque concepto, laborantem cerebrum ſternutatione liberabit, is Veneris in laqueos ſeſe induet, aut potiùs mancipium ſe

Ve-

Veneris ſternutamento teſtabitur? hoc autem quibus argumentis euincis? vbi eſt acumen tuum? qua dialecticæ vi conficis impudicum eſſe qui ſternuat? Adoleſcentem ego præcocis, & immaturæ libidinis apud Apuleium legi, in alienos toros inuolantem, & ſternutamento detectum à fullone. Gnitoni apud omnis nequitiæ Arbitrum, plenæ ac maturæ impuritatis ephæbo, ſternutamentum excuſſit indicium; Verùm illi ſulphuris ingenium non libido; huic nimia ſpiritus collectio, non impuritas, ad ſternutationem cerebrum vellicauit. Atque vt otioſa, & deſes narium confricatio, ad ſternutamentum irritandum, hominem arguat moribus planè corruptis, quod Clementi Alexandrino video placuiſſe; nunquam tamen in eorum opinionem deſcendam, qui ſternutationem ad coniecturas adhibent animorũ; illam quidem certiſſimum ſalutis omen ægrotantibus afferre communis eſt præſtantium Medicorum ſententia; cùm vires facultatis, quam ipſi vocant, animalem, adhuc integras indicet; atque hic limes diuinationis eſto, quæ ſternutamento comparatur. Si quis autem inſanire in reliquis pergat, næ ille tuſſis prædictione, quam ſecundo loco explicandam ſuſcepi, ſapientiùs iudicabit.

Et

Et ſane inter recentiores criticos literator plane nobilis, gente Gallus (vtinam tam conſtans in auita religione retinēda, quàm in veteri eruditione comparanda ſtudioſus) ad ethicos Theophraſti caracteres, tuſſim ſpontè, ſuſceptám ea inter argumenta reiecit, quibus potentiorū animos faſtu, faſtidioque diſrumpi, lepidiſſimi morum coniectores opinantur. Huius autem ſiue opinionis, ſiue ludibrij teſtimonium à Petronio repetit. Verum aut ego legere nondum didici, aut alia omnia, quàm quæ criticus diuinat, Petronius cogitauit. locum integrum elegantiſſimi ſcriptoris dabo, vos de re tota, pro veſtra ſapientia iudicabitis. Crotonam cùm perueniſſent capitula illa feſtiua Eumolpus, Encolpius, Gniton, cæteri, poſt attritas bellis frequentibus opes, vrbem inueniunt in duas diuiſam partes; nam ciues aut captantur, aut captant. Funeſtus in peſtilentia campus videri oppidum poteſt, in quo nihil eſt aliud, niſi cadauera, quæ lacerantur, aut corui qui lacerant. Scenam igitur adornant, ad ciuium auaritiam fallendam; & Eumolpum, tanquam cæterorum dominum venerantur. recentiſſimam illius orbitatem (nam & hoc ad acuendas captatorum cupiditates faciebat) tragicè lamen-

Vide Petronium.

mentantur; naufragium deinde opulentiſſimum mentiuntur; infinita prope ſeſtertia crepant, fundis nominibuſque depoſita; *Secundum hanc formam* (ipſiſſima ſunt Arbitri verba) *imperamus Eumolpo, vt plurimum tuſſiat, vt ſit modo ſolutioris ſtomachi, ciboſque omnes palam damnet, loquatur aurum, & argentum, fundoſque mendaces.* Quid hic ariolatur criticus ſanè doctus, verum multa ſæpiſſimè ex ingenio comminiſcens, quæ veteribus per fas, & nefas appingat? oraculum audite hominis confidentiſſimi; *Plurimum tuſſire potentiorum erat tantùm.* at vnde hoc elicis mi homo? Petronius hoc docet. quæſo te ſodes, vbi? vbi plurimum tuſſire iubetur Eumolpus. Dij veſtram fidem, hoc eſt interpretem agere, an nugas meras? Neq; à me quiſpiam tragœdias excitari in re leuiſſima ſuſpicetur; cùm enim morum characteres, ad vitam cum honeſtate traducendam à ſapientibus acceptos, tradere ſe nobis profiteatur, quid ſua nobis obtrudit ſomnia? atq; vt incautos decipiat Petronij nomen prætendit figmentis ſuis? Aperiat ille, quoniam licet, ſententiam ſuam: viri eruditi cogitationes, ſaltem cum exceptione laudabit natio literatorum. Sed tyronibus cur imponit? cur tam ſæpe? cur adeò confi-

den-

denter? At opulentiſſimi perſonam Eumolpus ſuſtinebat; fateor; ſed non hinc illa tuſſis; non hinc ſolutior ille ſtomachus, omni cibi genus auerſatus. Quid ergo? accipite. Vicinæ, & iamjam caducæ hæreditatis ſpes excitanda erat in vrbe teſtamentorum captatrice. Eumolpus ergo tuſſire frequentiùs iubetur, vt vultures illi, qui cadaueribus veſcuntur, in ſpem imminentis mortis erigantur; ſuaq; cupiditate fruſtrati, tandem intelligant illudi ſe miſerè, per ſpeciem liberalitatis ab ijs, quorum ſolitudine, atq; infortunijs abutuntur. Præclarè Bithinicum Næuia, hac eadem tuſſis illecebra decipit, apud Martialem;

Quòd querulum ſpirat, quòd acerbum Næuia tuſſit,
Inque ſuos mittit ſputa ſubinde ſinus.
Iam te rem factã Bithinice credis habere?
Erras; blanditur Næuia, non moritur.

Ingenioſè Maronilla ad nuptias Gemellum Feſcennina tuſſi præeunte pellexit.

Marti. l. 1. epigr. 11.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & inſtat, & præcatur, & donat:
Adeò ne preclara eſt? immò fœdius nil eſt.
Quid ergo, & illa petitur, & placet? tuſſit.

quo in argumento tam multus eſt Lucianus in Plutonis, & Terpſionis dialogo, & in Eucrate Sicionio, vt Eumolpum

pum à ventoſa nobilitatis oſtentatione facile liberarit. Verum vt fallax fuerit eruditiſſimi critici coniectura, an nihil vnquam ſignificabit tuſſis, quod à pectore pertingat ad animum? id inficiari ſi velim, ſtultus omnino ſim, Auditores, guloſos maximè prodit. teſtis eſt Parthenopæus de quo Bæticus vates.

Leniat vt fauces medicus, quas aſpera vexat *Lib. xi. epigra. 87.*
Aſſidue tuſſis, Parthenopee tibi.
Mella dari nucleoſq; iubet, dulceſq; placentas,
Et quicquid pueros non ſinit eſſe truces.
At tu non ceſſas totis tuſſire diebus
Non eſt hæc tuſſis Parthenopee, gula eſt.

Obliuioſos quoque, & in ſingulis hærentes verbis oſtendit, neque id eo referendum eſt, quod initio dicendi Demoſthenes, & caput ſcaberet & tuſſiret, vt Chiliadum Græcus autor memoriæ prodidit, id enim effœminatam oratoris longè præclariſſimi conſuetudinem notat, ſed adagium potius reſpicit, vniuerſæ Græciæ commune à Suida commemoratum ἀποϐία ψάλζου βὴξ, *tuſſis hæſitationem cantoris oſtendit*: quoties enim perturbati animi, confuſæque memoriæ declamator ad tuſſim, vt claudus

ad cantherium confugit; & conſopitas in capite rerum imagines, quas conceperat, hoc quaſi tuſſis ſtrepitu conatur excitare. Sed me plura de tuſſi dicere meditantem, neſcio cuius oſcitatio ad oſcitationem vocat. ego neminem nominabo; vidi tamen ex Auditorum numero, qui diſſertationem meam ſatis oſcitanter audiret. Cum ergo in ſternutamenti, ac tuſſis interpretatione vel decipi velint, vel decipere coniectores; rarò tamen in oſcitationis diuinatione falluntur. Apud Gellium ſane vagi animi, & hallucinantis indicium creditur oſcitatio; à Plutarcho vero tanquã deſes, & male feriatus auditor obiurgatur, qui inter audiendum oſcitaretur; atque in eandem ſententiam, & loquitur Tullius, & Terentij verba à Donato Grammatico declarantur. Vtinã quam ſeuere peregrinus olim philoſophus romanum adoleſcentem, ex equeſtri familia apud ſe aſsiduè oſcitantem increpuerit, auditione ſaltem accipere poſteritas potuiſſet; intelligeremus, opinor, ſegnem huiuſmodi oſcitationem, inertis animi, ac diſſoluti, inter vigilandum ſomnia prouocare. Illud certè in confeſſo eſt apud omnes, à caſtigatiſſimæ diſciplinæ cenſoribus damnatum propemodum iuuenem fuiſſe olim, quod

ab amico aduocatus,& vt loquitur Gellius, in iure ſtans, clare nimis,& ſonore oſcitauiſſet; tanquam fluxã, apertamq; ſecuritatem incurioſa hæc oris diductio patefaceret; quid verò vbi etiam faſtidium, contemptumque oſcitatio profitetur? hinc iuſtiſſimæ Poetæ querimoniæ,

Inunc edere me iube libellos,
Lectis vix tibi paginis duabus, *Martial. l. 2 epigr. 6*
Spectas τὸ χασκώλιον ſeuere,
Et longas trahis oſcitationes, &c,

quas vt ego in honeſtiſſima concione declinem, in memoriam, Auditoribus meis reuocabo, à Statio per ſummam animi moderationem ſiluas ſuas oſcitationes appellatas; quo nomine cum diſſertationem meam ſubito, & extemporali calore profuſam iure vocandam putem, finem dicendi facio; ne ſi diutius oſcitauero, vos etiam, quod fieri plerumque ſolet, ad oſcitandum prouocem exemplo meo.

FINIS.

AVGVSTINI
MASCARDI
ETHICÆ
PROLVSIONES.

AVGVSTINI MASCARDI PROLVSIONES ETHICÆ.

Perturbationum Idololatria.

PROLVSIO PRIMA.

HEſichiæ ſacris, in quibus otio litatum eſt, rite, rituque maiorum perſolutis, ad inſtitutum ſatis auſpicatò redirem, AA. niſi ab erudita adhuc altercatione commotior, obnoxiũ me ijs animi perturbationibus declararem, quas tamen ex hoc iampridem loco, ſapientiæ documentis exagito. Verùm quid agerem, quando ita res tulit, vt ſi contra ſentientis argumenta declināre, per diſſimulationem vellem, non tam ingenio modeſtè cedere, quàm cauſam prodere, atq; adeo calumniæ præuaricari viderer? In hominem videlicet

incidi, eruditum illum quidem, & (quæ rara admodum, hac fæce temporum, ſocietas eſt) religionis amantem ; verùm qui inter ſemirutæ vrbis rudera doctrinã penitus lapidoſam effoderet ; vt collabentibus antiquitatis parietinis, ingenium obrueret potiùs, quàm expoliret; pietatem verò nullius beneficio inſtitutionis excultam, velut ſecuribus intactũ diuinatis lucum, eminus veneraretur, ne cominus exploraret. Atq; vt eſt ea hominum natio vel lapidibus ſuis durior, vel ſua ſuperſtitione timidior, parùm abfuit, quin familiaris inter nos confabulandi conſuetudo, in apertam conuiciandi licentiam degeneraret. Quod vnum ergo in ipſo contentionis calore impetrare ab animo meo potui, negotium vobis integrùm, in hodiernam diſſertationem reſeruaui: vos de re tota, prout libuerit, pro veſtra ſapientia decernetis.

In eam Ianiculi partem ſeceſſeramus, vnde in ſubiectam latè planiciem proſpectus apertior, atque indulgentia cæli clementior, vrbanis defatigatum curis animum ſolueret. Reginam vrbium Romam in tantam olim magnitudinem excreuiſſe mirabamur, vt cùm Occidentis, Orientiſque ſolis ambitu imperium definiret, ſinu tamen ſuo neſcio quid maius, auguſtiuſq; concluderet. Quàm

pa-

parum enim à vero abeſſe diſertiſſimi ſcriptoris oraculum, quo humani generis, non populi vnius facta diſci, ab ſola Romanæ hiſtoriæ lectione teſtatur? Cæteras quidem regiones vnum, aut alterum ſingulis ætatibus numeraſſe, qui vel bellica virtute, vel ſapientiæ opinione, vel rerum gerendarum laude claruerit: at Romæ difficile admodum fuiſſe, ex vniuerſo ciuium ordine vnum, aut alterum exemptum velle, quem maximis domi foriſque Reipublicæ negotijs imparem iudicares. Illuſtria verò virtutum exempla, quæ diuiſa è multarum gentium monumentis ægrè repetuntur, in annalibus Romanorum, & numero infinita, & magnitudine ſingularia, & varietate multiformia, & genere ipſo diuina reperiri; vt merito Romanum nomen poſteritatis diſciplina ſit. Nam immenſum ipſius vrbis ambitum, incolarum frequentia in anguſtias penè coactum, citra fidei diſcrimen commemorare quis audeat? cum Polemonis apud Galenum, Ariſtidis, Athenæi, Senecæ teſtimonio intelligamus, capacem generis humani ciuitatem, confertæ incolarum multitudini ægerrimè ſuffeciſſe? At nunc, proh rerum viciſſitudines! vbi Roma illa fuerit quæritur. Vbi enim theatra, amphitheatra, circi, lauacra,

Luc. Flor. prolog. l. 1 hiſtor.

fora; & quod caput eſt, vbi Deorum templa, ſiue Iouis in Capitolio, ſiue Apollinis in Palatino, ſiue Veneris ad Portam Collinam, & ſacra via, ſiue Pacis prope forum, ſiue denique Vrbis ipſius ad Palatini radices in Comicio? Vbi numinum ſimulachra ex auro, argento, ebore fabrefacta? Hic nimirum ſodalis ille meus intemperanter exarſit; & veluti Phœbas concepto paulatim numine auguſtior, ſacro ictus enthuſiaſmo, plura me dicere meditantem interfatus, O te, ait, ſtultiſſimæ temeritatis virum, qui noſtræ fœlicitatis argumenta, ad deploranda ſuperſtitionis neſcio cuius detrimenta detorques. mox quaſi ſuperfundentibus ſe furijs impar, primos ingruētis numinis motus incerta ægritudine eluctatus, ardentibus oculis vaticinantis in morem, Salue, ait, mea Roma ſalue; non à lateribus, vt olim, ad marmora, ſed à marmoribus ad aurum ſanctiori ædificatione traducta; ſalue inquam è combuſtæ ſuperſtitionis cineribus rediuiuus Phœnix. Illæ, illæ iacentes paſſim templorum reliquiæ, conuulſa illa delubra numinibus conſecrata, illa euerſis aris ſimulachra diſiecta, victorias in puluere deſcribunt tuas; quæ ſtantia tuum dedecus longè lateque nunciabant. Tanti eſt inſanas marmorum ſubſtructiones, quibus

Lucan. 1. lib. Pharſa.

bus

bus in cœlum monſtra hominum inuehebantur, veræ pietatis ariete profligaſſe; tanti eſt immanes Gigantum moles, quibus nefandum diuinitati bellum inferebatur, veritatis fulmine deieciſſe. Atque hic omnia veterum fana, ſimulachra omnia, ſacris etiam vniuſcuiuſque numinis ambitiosè commemoratis, non numerauit modò, ſed intento etiam digito inter proſtratæ vrbis ſepulchreta deſignauit. Mox autem, vt ſe collegit, linguamque diutiùs peregrinatam, & quod mirum eſt, nuſquam inter errandum offendentem, reuocauit, me in ipſo dicendi ardore ſubintuens, & reperiuntur tamen, inquit, qui ruinas illas Chriſtianæ religioni ſalutares auerſentur, atque deplorent; quod illis oppreſſa ſcilicet impia deorum ſimulachra deliteſcunt? Ego verò, qui ad intempeſtiuam eruditæ loquacitatis tempeſtatem neſcius quorſum eruptura eſſet, horruerам; vbi tandem illa detonuit, licet imperitæ, ruſticæque pietatis epiphonemate veluti fulmine tactus eſſem, nec riſum tenui; cuius tamen ſuauitatem efferueſcentis ſubinde amaritudo bilis inficeret. Tumentem nihilominus animum, & in iurgia geſtientem, vtcumque compreſſi; mox ad illum, Bona verba, mi homo, Chriſtianus ſum, & eiuratas ve-

terum religiones execror, ſi quis alius, conſtantiſſimè. Verùm dum tu de illis, vt potè opinione tua iam profligatis, cōfidentiſſimè gloriaris, ac penè triumphas; ego regnantem adhuc ſuperſtitionem, & ſimulachrorum cultum, in ipſa Romanæ, hoc eſt veræ religionis arce, non iuſtè minùs, quàm acerbiſſimè queror. Vide quàm male de tua pietate tibi placeas amice, & quam iniuſtæ me carpas. Iterum dico, ne lubricæ me linguæ vitio lapſum calumnieris. Aio te, multoſque mortalium, qui Chriſtiano nomine, ac iure cenſentur, prophanis falſæ diuinitatis ſacris operari. quòd ego dum pauciſſimis probo, oratos vos peruelim AA. vt diſputatoris argumentationibus interciſſis, continenti oratione mihi liceat perorare.

Atque illud in primis, cum Tertulliano Aphrorum doctiſſimo, cenſeo ſtatuendum, citra vlla Deorum ſimulachra, vel ære fuſa, vel auro recocta, vel luto ficta, vel ligno dolata, vel ſculpta lapidibus, impiorum nihilominus ſeruitutem numinum, quam latriam Græci dicunt,
Vide in Chriſtianorum pectoribus conſecrari.
Mytho- Nullus hic manubias, quas quondam ti-
logos & muit, intorquet Iuppiter: nullus maria,
Iſidor. lib. 8. terraſque Neptunus tridente concutit;
Origin. Mercurius nullus auras talaribus ſecat;

nec

nec Ægyptus Anubim, nec Eleuſinij Cererem, nec Phryges Matrem, nec Euſculapium Epidaurij, nec Caldæi Belum, nec Aſtartem Syri, nec Dianam Taurij, nec denique Deorum centurias nobis obtrudit Romanorum cynicus Varro. Solæ animorum perturbationes, quas recepto vocabulo affectus appellamus, omnia ſibi vindicant iura diuinitatis; illas colimus non ſpecie viliſſimi nidoris, at noſtro; nec anima pecudis impenſa, ſed noſtra; illis immolamus ingeniũ, illis ſudorem libamus, prudentiam illis accendimus; illis denique, vt loquitur Tertullianus, ſaginatiorem, & auratiorem hoſtiam cedimus ſalutem noſtram.

Nec tamen ego, dum perturbationes aio à nobis diuinitate donari, cogitationem meam in priſcas earum apotheoſes conieci. Coluerint olim vt libet, Lacedæmonij Timorem, Spem Romani, Miſericordiam Athenienſes, Inuidiam cum Romanis plerique Græcorum, Pudorem atque Impetum rurſus Athenienſes, auerruncos Deos: de illis ego non diſputo, & doctrinæ famam ambitioſa vetuſtatis nouitate non colligo. Lararium vniuſcuiuſque noſtrum diligenter excutio; idola in ara cordis impiè conſecrata ideo hodiernæ luci redono, vt perpetuis in poſterum tenebris mancipentur. Et

ſed præcipuè M. Minutij Fœlicis Octauium, à quo hæc deſumpta.

Plutar. in Cleom. Liuius l. 1. & 4. Decad. 3. Pauſan. in Atticis ſeu l. 1. Gyral. ſyntag. 1. de Dijs gentiũ Geg 37 editBaſil.

Vide Dandinum de corp. animato l. 1. c. 2. ad Ariſto. textum 56, comment. 128. in fine.

Et prima quidem Idololatriæ origo ſi altius repetatur, illam in perturbationes referendam eſſe tum ſacra, tum prophana literarum monumenta teſtantur. Timor ſiquidem ſæuiſſimus ille tortor animorum, perculſa ſemel mortalium pectora ſtultiſſima præſentis numinis opinione ita deluſit, nullam vt ſibi præſidij ſpem relictam à diuinitate, quam oculis non viderent, manuque non tangerent, arbitrarentur. hinc peruulgatum illud à Petronio ſimul, & Statio,

Primus in orbe Deos fecit timor.

nec inelegãter alius, ſiue is Dares Phrygius à Cornelio Nepote tranſcriptus in Latium, ſiue ſcriptor, vt reor, ab extrema Britannia non ignobilis.

Quippe Deum genitore metu mens cæca creauit
Ditem vmbris, cælo ſuperos, & numina ponto.

Quòd ſi ſtolidos ſimulacrorum cultores tam degeneris pudet originis, alioque ſtirpis incunabula transferre malunt, illis quidem libentiſſimè obtemperabo, in aliam tamen perturbati animi ægritudinem rurſus impingam. Dolorem illis generis auctorem dabo: nec publicis modò ſapientum tabulis Euſebij, Cyrilli, Hieronymi, Cypriani, Auguſtini, verùm teſtimonijs ex ipſo ſapien-

pientiæ tabulario religiosè petitis. Diſertè ſiquidem Salomon: *Acerbo luctu dolens pater, cito ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit*; quod ab Ægyptio Syrophane factum fuiſſe tradit Fulgentius; a Marco Tullio ſatis dolenter vſurpatum in filiæ obitu, auctor eſt luculentiſſimus Chriſtianæ religionis Tullius Lactantius. At nihil adhuc agimus AA. & ægritudines animi non adoramus vt numina, ſed vt numinum artifices veneramur. bene eſt; admonitus in orbitam, vnde exerraueram, redeo.

Fortiſſimus ille apud Virgiliũ Niſus, virtutis ſuæ calamitate nobilitatus, cum magnum aliquid animo moliretur, amicum intuens ait, *Æneid. lib. 9. in quem locum vide Nota Io. Ludouici Cerde.*

— Dij ne hunc ardorem mentibus addunt Euriale, an ſua cuiq; Deus fit dira cupido? ita ne vero miſerrime adoleſcens, in vitę limine philoſopharis, vt impotentis animi cupiditatibus iura diuinitatis adiudices; & furias conſecres, quas è vicinæ mortis afflatu, luctuosè generoſus imbiberas? ita eſt AA. humanus ipſe animus tanquam Deus à veteribus, & quidem ſapientiſſimis Socrate; Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Euripide celebratur; cum autem quicquid *Apud M. Tul. 2 de diuinatione & 1. Tuſcu. Arnob. l. 2.*

in

in Deo eſt, ab ipſa Dei naturá alienum eſſe non poſſit, vt Auguſtinus hoc in argumento doctiſſimè diſputat, manifeſtè inde conficitur, animi perturbationes non poſſe à notione diuinitatis excludi. Quod vt liquidius adhuc pateat, animum, quæſo vos, diligenter aduertite. Elegantiſsimus Iudæorum Plato, in ſacris allegorijs, hominum animos quodammodo finxit è cera. nec Platonis tamen ſententiam in Teæteto pluribus explicatam, de cereis Memnoſynes ſimulachris expreſsit; cum illa ad rerum imagines à ſenſibus hauſtas, quibus memoria parcellitur referantur, Philo autem de ipſa animi teneritudine diſſerat, cuius beneficio partem in omnem agitur, atque verſatur. Cereus igitur animus eſt; nec in adoleſcentiæ tantum lubrico, vt putauit Horatius, cum mollis nondum ætas adoleuit, nec in vetuſtatem prorſus obduruit; verum eadem ſemper eſt ſequacis animi temperatio, formarum omnium capax, quas illi obiectæ rerũ ſpecies indere poſſunt. Vbi ſemel ergo vel acerba vel iucunda nobis pro inconſtanti vitæ conditione obtigere; æſtimatrix animæ facultas cereum animum violenter adorta, vel doloris, vel voluptatis ſimulachrum in nobis effingit, quod vnuſquiſque aut

im-

impetu virtutis elidit, aut mentis imbecillitate veneratur. Hinc maſculam illam ab Epitecto vocem tam frequenter audimus, qua non rebus, ſed rerum opinionibus conſtantiam noſtram labefactari docemur. hinc opinionem apud Stobæum Iamblicus εἰδωλοποιΐαν. hoc eſt ſimulachrorum effictricem appellauit; quod & ſi alio detorqueri poſſe non ambigo, cum illam opponat veritati, in rem tamen de qua diſputo cadit aptiſsimè. nam ſi prophanus idolorum cultus *vmbra picturæ, & labor ſine fructu* à Salomone merito dictus eſt, quod in futilibus, aut hominum, aut belluarum imaginibus ęterni numinis diuinitatem, non tam adorandam proponat, quam proſtituat deridendam; an non execrata picturæ huius lineamenta, in animi perturbationibus regius Pſaltes agnouit, cum dixit: *Tranſierunt in affectū cordis*: hoc eſt (vt ab ipſa vocis origine ſapientes eliciunt) tranſierunt in picturas, & imaginationes cordis? quas porro perturbatæ mentis imagines idem ille purpuratus Vates obliterandas olim, & inducendas, ex Ambroſij interpretatione auguratur, & cupit, *Domine in ciuitate tua*: (hoc eſt in piorum hominum animis) *imagines ipſorum ad nihilū rediges*: vt igitur vnuſquiſquę de optimo mentis

Vide in eundē Simpli. & Arrianum Stob. Serm. 11. qui eſt de veritate.

ſta-

ſtatu opinionis errore deiectus, aut perdite concupiſcit, aut impotenter iraſcitur, aut metuit deſperatè, ita ſibi, vel amoris, vel iræ, vel timoris imaginem fingit in animo; cui profana religione ſe deuouet, ac turpiter litat. Atque hæc ſunt nouitia illa, ac ſubitaria numina, ex hominum ingenio, heri aut paulò ante procuſa, dum

—— ſua cuique Deus ſit dira cupido:
Dum ſibi quiſq; Deos auido certamine
fingit;

Vide Auguſ. in hūc locum, & Glo. ordin. in moral.

à quorum impio cultu grauiter nos ille deterruit, qui dicebat: *Non erit in te Deus recens, cui enim Deus venter eſt, Deus recens eſt* (inquit eloquentiſſimus diuini codicis interpres Hieronymus:) *iratus ſum! ira mihi Deus eſt; vnuſquiſq; enim quod cupit, & veneratur hoc illi Deus eſt*. Quod ſi Theologorũ princeps Auguſtinus: *Vnicuique*, ait, *ſua cupiditas tempeſtas eſt:* non ideo tamen ſtultam perturbationum apotheoſim, de qua hactenus diſputauimus, inficiatur; cum & tempeſtates Romani populi ritibus conſecratas, apud M. Tullium legamus, poſtquam Scipio Conſul Corſici maris rabiem euaſiſſet; & Perſæ, Græcique ventos in Deos, ventoſa ſuperſtitione retulerint. illud potius negotiũ mihi tantiſper faceſſit, quod ab Satyricæ

Vide opuſc. duo Sirmondi, & Aleãdri in Inſcri-

...ria

ricæ Poeſeos ſtudioſis obijci poſſe non nego. Si omnis prorſus intemperantis animi cupiditas Deus eſt, tum illa præcipuè maioribus hoſtijs adorabitur, cui in lectiſſima cordis parte cellam dedicant plerique mortalium, & φιλαργυρία nuncupatur. at negat Iuuenalis templa pecuniæ poſita, atque aras erectas.

—— etſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras;

ex animo ne an εἰρωνικῶς potius immanem Romanis ſuis auri cupiditatem exprobrauerit Iuuenalis, otiosè non quæro. pecuniam certè pro Dea cultam, cum Auguſtino prodit Arnobius. Verũ nullus per me Pecuniæ palam, ac publice farre, & mica fecerit faliente. Aſt ego qui arcana pectoris ſacra, & cordis myſteria omnibus Iſidis ceremonijs occultiora perpendo, de manifeſtis pecuniæ ſacrificijs magnopere non laboro. Auri tamen cupiditatem idolorum cultum, ac ſeruitutem ab eo humani generis doctore appellatam noui, qui in cœlum ideo raptus eſt, vt eum deinde tanquam è cœlo delapſum præconem veritatis admiraremur. hinc glorioſus ille apud Oſeam vaticinio nobilem inaniſſimè prædicabat, *Diues effectus ſum, inueni idolum mihi:* hinc Nazianzenus

Gre-

ptionq antiquiſſimam de l. Corn. Scipio Herodot. l. 1 qui & Clio & 7. quæ Polymnia vide Gyrald. Synt v. 1. 282. & Cerdam ad 10. Æneid. v. 177.

S. Paul, ad Epheſ. c. 5. & ad Coloſſ. 3.

Gregorius, inter Græcos Eccleſiæ proceres cognomento Theologus, *Aurum, & argentum non ſecus atque illi Baal, & Aſtartem, & execrandum illum Camos adoramus.*

Angeronam numen apud Romanos, vt Flaccus Verrius exiſtimat, angoribus depellendis idoneum, in ſacello Volupiæ à Pontificibus propitiari ſolitam, ex Theologorum diſciplina tradit Macrobius. Vtriq; ſiquidem Deæ ara communis, communes etiam myſtas, communes popas requirebat. non ego priſcorum factum ex eorum ſuperſtitione damnare temere auſim, ſed facti potius, ſi per vos licet, rationem quæro. Qui fieri vnquam potuit, vt numina, non magis nomine diſcrepantia, quam inſtituto contraria, eaſdem aras inſederint; & vota mortalium modo prona in voluptates, modo angoribus exhauſta, communicata diuinitate vel deluſerint, vel exceperint? An eadem dolori ſimul, ac voluptati dabitur ſedes, quæ amori, ac maieſtati ſapientum omnium conſenſione negatur? Nimirum hoc etiam humanæ idololatriæ prodigium eſt, ſi neſcitis; nos in vno pectoris ſacrario eaſdem dolori ſimul, ac voluptatibus aras excitamus; illis nos virtutem, cõronatam ſcilicet victimam, iugulamus;

tem-

temperantiam illis, atque conſtantiam cædimus. Et ne vllis poſſint hoſtium diris euocatæ, delubra deſerere, non inſtitis aut vittis neſcio quibus abactam coercemus diuinitatem, ſed alteri, alteram tam arcte coniungimus, vt nunquam à mutua ſocietate diuellantur. Senſit hoc in Platonis Phædone Socrates, qui Æſopico prorſus ingenio Deum in hominibus, doloris ac voluptatis inter ſe apices copulaſſe fabulatur: atq; ex duplici hoc veluti perturbationum fonte reliquarum deinceps eluuies, mortalium animos propemodū inundauit.

Verum me de vana prophani numinis adoratione prolixius differentem, vehementer pudet incogitantiæ meæ, quod Pantheon, templum illud auguſtum, hactenus præteriui; illud, illud conſummatæ, vt aiunt, architecturæ exemplar vnicum; magnificentiſſimum illud, in regnatrice vrbe, Deorum domicilium; publica illa diuinitatis officina; illud vniuerſæ ſuperſtitionis emporium; illud exoticarum toto orbe religionum receptaculum; illud peregrinorum ex plebe vltima numinum commune perfugium, quam apte indiuiduam perturbationum omnium latriam nobis reuocat in memoriam? Pantheon eſt cor humanum, ſimulachrorum col-

De numinum euocatione Macro. Satur. l.3 c.9 Plin l. 28 c.2. Seruius ad 2. Aenei. ad illũ verſum Exceſſere omnes adytis, &c. quem tamen caſtigat Muretus Var. lect. l.5 c. 19. Briſſon. l. 1. de formulis. vide Virgilij Schol. Ponta. & Cerdam ad 2. Aen. v. ſup. cit. Cur

luuie

tium l. 5. vbi de Tyrijs. luuie refertiſſimum; in quo non vno tantum pandiculari, & communicario die, omnibus communiter affectibus operamur; ſed perpetuo naturæ cultu, à primigenia vitæ innocentia iam prolapſæ, vota mortalium adolentur, & olidiſſima vitiorũ thura ſuccenduntur. Impulit me, ſed plane volentem, in hanc ſententiam, quod Pantheon ita apud Dionem appellatum legi, quia plures Deorum imagines, in Veneris, Martiſque ſimulachris complecteretur; hoc eſt, quia reliquum perturbationum vulgus gemino Concupiſcentis, & Iraſcentis facultatis nómine, tanquam militaris duplici ſub ſigno turba, recenſetur. Non eſt animus ire per ſingula, cum finem iamdudum ſpectet oratio mea; quædam tamen leuiter delibabo. Et concupiſcendi quidem in anima facultati (quam Venus in Pantheo deſignabat) diuinæ mentis cultum, ab impio Manichæorum grege fuiſſe delatum, grauiſſimus auctor eſt in hæreſibus Epiphanius; *Cupiditatem*, inquit, *adorant, & eſſe numen arbitrantur*: qua deliræ mentis ſuperſtitione, diuino beneficio ſublata, quam vereor, ne ſectam illam nefariam, impurumque eius principem Manem, noſtris moribus tueamur: præclarè ſiquidem Cyprianus,

mar-

martyrio, & eloquentia inclytus, pronunciauit; *Hic auaras manus cupidi muneribus complicant; hic genuflexo concupiſcentiæ quiſque ſuæ idolum colit, & propriæ libidinis adorat ſimulachrum,* quò etiam collimaſſe viſus eſt Athenarum decus Dionyſius, qui turpem amorem idolum potius, & à germano amore prolapſionem dixit. Nec ſimulacra ſua iraſcendi facultas humanæ mentis vitio deſiderat; verum quemadmodum efferata Scytharum natio ſuos acinaces; ſæuiſſimus haſtam ſuam Mezentius adorabant, ita effrænes animi motus iracundiæ blandientes colimus, dum fouemus; atque vt è Hieronymi ſententia paulò ante dicebam, irato iram ipſam pro numine, impia temeritate præſcribimus. Vnus hic nobis Achilles aduocandus eſt, vtriuſque ſceleris prope Ilium reus. hic nimirum Venerem, Martemq; in militari pectoris Pantheo; tam perdite copulauit, vt probroſa Vulcani ſeſe vlciſcentis retia, mera captiuorum numinum libertas ſit. Quid multa? Martem delicijs effæminauit, efferauit Venerem furijs; vt ille in meretriculam degeneraſſe, hæc in militem exarſiſſe videretur. Ereptæ Briſeidis iniuria libidinis faces iræ flatibus ventilauit; vt factitia hæc numina, & iocularia Amor, & Ira, col-

Herodotus l. 4, ſiue Melp.

Homer. Iliad. 1 &c.

collatis viribus virtutem in Herois animo iugularent. Nec ſane propitiari vnquam furioſum Deorum par vel regis precibus, vel exercitus calamitate, vel adhortationibus amicorum potuiſſet, niſi Amori quidem, pellicis reditu; Iræ autem, multorum ſanguine litatum eſſet. Vſque adeo ad virtutis exitium vicarias ſibi operas perturbationes locant, & altera in animi perniciem alteri ancillatur. Videtis opinor, Auditores, quo tandem ſodalis mei calor ille, pietaſque reciderit; vt inter proſtratæ ſuperſtitionis rudera renaſcentem ſimulachrorum ſegetem viderit; quam ego tamen non igne, aut ferro depaſcendam, ſed virtutis ingenio radicitus euellendam in meis diſſertationibus ſanctè polliceor. Illud interea conſtantiæ, atque ſapientiæ veſtræ datum intelligatis oro, vt ideo inter ſacrilega perturbationum ſacra vos reliquerit oratio mea, quia ſupra omnem perturbati animi tumultum in vera vos virtutis tranquillitate video conſtitutos. Templa in poſterum affectibus deuota auguſtiori numini dedicabimus.

Perturbationum Idola ope virtutis euerſa.

PROLVSIO SECVNDA.

COnflatas iampridem ſiue iure, ſiue iniuria, cum ſodali meo, religionis nomine ſimultates, abolere nunc tandem paro, Viri & eruditione, & nobilitate clariſſimi. Poſtulat hoc tum genius humanitatis, qui odia inter mortales immortalia eſſe non patitur; tum temporis ſanctimonia, cui omnibus inimicitiarum fibris litandum eſſe, Chriſtiana pietas perſuadet; vos etiam, vt opinor, idem pro veſtra ſapientia flagitatis, ne prophanæ ſuperſtitionis improbitas hominum animos diutiùs dehoneſtet. Age igitur, & rem altiùs ab ipſo diſputationis exordio reuocemus. Impium ſimulacrorum cultum (quem à Græcis mutuato vocabulo idololatriam appellamus) regnare adhuc in ipſa Romanæ religionis maieſtate, exactis retro menſibus lamentabar: dum vnuſquiſque noſtrum, deſidioſo inertiæ labore, templum ſibi fingit in pectore, aras excitat, thura ſuccendit; vt perturbati animi furijs potiùs, quàm numinibus, iugulatæ virtutis viſceribus operetur; non magis ſcilicet victimarius, quàm victima; delubrum

quàm popa;ſacerdos,quàm ſacrificium. Atqui ſodalis ille meus, qui vetuſtatis cicatrices, in ſemiſepulto Romæ cadauere contemplatus,doctrinam ſibi comparabat, eo nomine precioſam, quòd è ruderibus, tanquam theſaurus, effoſſa, multum de auro trahere putaretur, cui proxima delituiſſet; omnem ſublatam penitus ſuperſtitionem argutabatur, cùm prophanorum numinum delubra, veri dininitatis ariete diſiecta corruerunt. Proinde impium me,diriſque omnibus deuouendum, qui execratas iamdudum religiones, inanibus ingenij cōmentis excitarem. Hinc ſaxa omnia, ſi meminiſtis, è templorum reliquijs ſtudiosè collecta,in me vnum, erudita lapidum tempeſtate coniecit; hoc eſt ambitioſa templorum commemoratione, quæ ſolo æquata, Chriſtianæ fidei faſtigium altiùs extulere, me de ſententia mea dimouere vehementer adorſus eſt. Verùm dilapidauerit ille, per me, ſapientiam à lapidibus hauſtam, illud ego prudenti Auditorum, opinione confeci, vt vigere adhuc in hominum animis prophanum perturbationum cultum intelligerent omnes, & faterentur. quem tamen quoniam amoliri iamdudum, & ſuadet pietas, & imperat promiſſi religio,nunc tandem libero fidem meam, il-

Iudque ſtatuo hodiernæ diſſertationis argumentum, Quoniam pacto perturbationum cultus, ſiue latria, de medio tolli poſſit. quod ego dum rationibus doceo, ab ipſis Chriſtianæ diſciplinæ fontibus repetitis, dabitis AA. hanc argumẽto veniam ſimul, & tempori: cùm præſertim aberratio, quæ nos in ſemitam pietatis abducit, apud cordatos viros, hoc eſt veſtri ſimiles, plus habeat fœlicitatis in officio, quàm temeritatis in voto.

Duplicem ego viam in antiquæ Chriſtianæ religionis faſtis inuenio, à viris ſanctiſsimis vſurpatam, ad ſuperſtitionem factitiæ diuinitatis euertendam. Aut enim Deorum fana cum ſimulachris ariſque penitus ſuſtulerunt, aut eadem expiatis fœdi cultus inquinamentis, ad ſanctiora ſacra traduxere. Vtrumque tàm fœliciter, quàm ſapienter. Et ſub prima quidem proſeminatæ religionis exordia, quia nondum Eccleſiaſticum imperium adoleuerat, ignis è cœlo in Chriſtiani populi corda delapſus occultè fouendus tantiſper fuit; donec paulatim arcanis exæſtuans incrementis, tanquam ſi è Veſeui faucibus violenter erupiſſet, immanes templorum moles, prophanis ritibus impiatas euulſit, ſimulachra diſiecit, aras euertit, vt ipſam etiam

ſi qua poſſet, fœdi numinis memoriam aboleret. Hinc ſub Philippis primò, mox Conſtantino, Honorio, & Arcadio imperantibus, ac demum ſub vtroque Theodoſio, tanta ſimulacrorum ſtrages edita eſt vbique terrarum, vt infinitum Deorum vulgus, à Varrone, alijſque recenſitum, tanquam ſub Annibalis ad Cannas gladio, occidione deletum ſit: & ridiculum Ethnicorum cælum, quod priùs Deorum numero, cum Atlantis iniuria laborabat, exhauſtum iam ciuibus, ſolitariæ vix diuinitatis imaginem tueretur. At poſtquam ſub piorum principum imperio, pacatiùs florere Chriſtiana res cœpit, placuit illuſtres illas profligatæ ſuperſtitionis exuuias, victori Deo in ipſis hoſtium caſtris conſecrare.

Vide Baron. in Annal. paſſim. ſed præcipuè ad ann. Chriſti 329 & 389. &c. Apud S. Aug. de Ciu. Dei l. 6 c. 9. & alibi Liuius li. 22. Theodoret. ver. Euang. l. 8. in fine. Niſſen. in vita Thaumat. vi de Baron. ad ann. 44 in fine & ad ann. 399. & alibi.

Et in domeſtica ſanè perturbationum expiatione, quam molior, Cleantes video Zenones, Epitectos, Senecas, ferreæ ſapientiæ machinamentis armatos, illud vnum agere diligenter, vt templum diruant, araſque conuellant. perturbationes nimirum omnes execrantur, nullas ſub virtutis *auſpicijs*, ad honeſtæ vitæ diſciplinam admittunt, Stoicè prorſus, hoc eſt ambitioſè, non verè. At quid agitis inclementiſſimi cæmentarij, naturæ hoſtes, humanitatis oſores? an ideo

per-

perturbationum ſtatuas, à natura compactas comminuitis, vt idolum ingenij toruitate prorſus inflexibili, repentè confletis? Neque enim hominem dabitis, quem omnino ab affectibus vacuum ſomniatis, ſed laruam hominis, ſed hominis ſimulacrum. O ferrea prorſus præcordia Stoicorum, quæ vitam quidem, ſed non vitæ vſum, ac munera mortalibus largiuntur! Ita nimirum perturbationum imperium auerſantur, vt ipſas etiam perturbationes interimant. ſed nihil aliud de impudentia Stoicorum. Soli etiam cum aureis inuectus rotis cœlum declarat, diem dicere non verentur, diei videlicet principi, & noctis ignaro. Infœlix Phaetontis aurigatio, qua breuiſſimum omnibus, cæteroqui humanæ vitæ curriculum, ſibi tamen magis, admirabili equorum pernicitate contraxit, quemadmodum terræ lacrymas, vi caloris expreſſerat, ita etiam Ioui fulmen, fraude temeritatis extorſit. At clarior hæc eſt fabula, inquit non nemo, quam vt tuæ lumine orationis indigeat. Gratulor tibi aciem oculorum, mi homo, qua ſolem vides, & pergo. Cùm igitur terrarum orbis conflagrationem Iupiter vltum iret, an oro vos, Stoicos adhibuit in conſilium, vt ſolis equos, & currum fulmine conſumpta

Ouid. 2 Meta. & Mythologi omnes.

vellet, an potiùs excuſſo Phaetonte aurigam reddidit immerentem?

Ouid. 2 lib. Metam.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in aurigam, pariterq; animaq; rotiſque
Expulit, & ſæuis compeſcuit ignibus ignes.

proteruus alieni currus inſeſſor Phaeton Alexandrini Clementis opinione, vitiũ eſt, quod animæ quadrigam à Platone primò ſapienter excogitatam, mox ab Mediolanenſium antiſtite Ambroſio elegantius concinnatam, virtute voluptatum illecebris delinita, pro libidine ſuſcipit moderandam. quatuor ſumma perturbationum capita iugales equos æmulantur, quibus vitium, in hoc mortalitatis ſtadio impotẽter abutitur: hinc vaſta illa tum iraſcentis, tum concupiſcentis facultatis incendia, omnem ab anima ſuccũ ſanitatis exhauriunt, florem omnem virtutis exſugunt. Ad has vniuerſitatis flammas concretum Stoicorum gelu, neſcio quomodo recaleſcit; & vltionem meditatur; ſed aurigam præterit, cuius intemperantia laborat genus humanum; in equos autem, & in quadrigas inclementer debacchatur: *Auferam equos tuos de medio tui, & diſperdam quadrigas tuas:* At quam-

Videndus Phi lo l. de Agricultura, vbi luculẽter de hoc argumento.

Michea 6. & in eum locũ Hieronymus.

quam præpoſtere mortalium occurris incommodo? Si vt feruorem ſolis declines, lucem extinguis, terrarum orbem non tam expias, quam ſepelis, & per cœli contumeliam hominum ornamenta venaris. an non ſatius erat vitio è quadriga deiecto, virtutem illi moderatricem imponere, cuius aptiſsima temperatione perturbationum iugales, non contumaces, vt olim, aut refractarij, Eclipticam, hoc eſt regiam viam, honeſtatis inſiſterent? quam apte tunc vatis oraculum vſurpares: *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio?* Atque hoc tandem erat alterum diſſertationis meæ caput, quo expianda, non conuellenda priſcæ ſuperſtitionis monumenta, & ad veræ diuinitatis cultum traducenda ſuadebam: hoc eſt humani animi perturbationes non radicitus extirpandas eſſe cum Stoicis, ſed ad normam virtutis exigendas. Præclarè enim in hanc ſententiam Chriſtianę reipublicæ Tullius Lactantius: *Omnis igitur ratio in eo verſari debuit, vt quoniam earum rerum impetus inhiberi non poteſt, nec debet, quia neceſſario eſt inſitus ad tuenda officia vitæ, dirigetur potius in viam rectam, vbi etiam curſus offenſione, & periculo careat:* Et præclara ſane in Eccleſia conſuetudo cum Cæſarum, Ar-

Habacuch. 1.

Vide Baron. ad ann. Chriſti 392.

cadij, & Honorij iuſſu, tum Gregorij verè magni, ac Romani Pontificis monitis inoleuit; vt polluta nefandis ſacris delubra, ac numinum ſimulacra, tum ipſi etiam Ethnicorùm ritus, & ceremoniæ, caſtiſſimis Chriſtianæ religionis ſacramentis expiarentur. Plura hic poſſem ambitioſè colligere, ab impura iocularis diuinitatis improbitate, ad noſtra hæc vſque tempora, religioſè deducta; argumentum opinor eſſet, tum multiplici rerum varietate iucundum, tum recondita Chriſtianæ literaturæ eruditione fructuoſum; ſed quoniam à propoſito longius, quam par eſt, aberraret oratio; & multa hac ſuper re laborioſe illuſtriſſimus annaliũ conditor Baronius congeſſit, vos ego ad eximia viri doctiſſimi monumenta libens allego, & ad perturbationes propius accedo. Carthaginienſe Cęleſtis delubrum ſane magnificum, atque operis admirandi, Anaſtaſio Pontifice Chriſtianis ſacris expiatum, Aurelio Carthaginienſium Epiſcopo Principum munificentia conceſſum eſt. ibi auguſtum ſacerdotij ſolium, ad erudiendos populos collocauit, vbi Cæleſtis oracula reddere conſueuerat. Huius autem numinis ea erat ſpecies (ſi Luciano, Apuleio, atque Herodiano fides ſit) vt varijs in

vnum

Vide Pinedã de rebus Salom. l.7 c. 11. vbi eruditiſſimè multa.

vnum coactis numinum ſimulacris Cæleſtis idolum conflaretur; quam, & Syriam Deam, & Aſtartem, ſiue Aſtharot ab alijs nuncupatam, ex priſcis Herodianus, è noſtris Philaſtrius autor eſt. Hanc ego Cæleſtis ſtatuam Concupiſcentiam dixerim, niſi vos aliter ſentitis, Viri clariſſimi; hoc eſt perturbationum omnium ſeminarium; quã ideò à ſacræ doctrinæ præceptoribus fomitem appellatam, vir doctiſſimus Salmeron teſtatur, quod fomentum præbeat vniuerſis cupiditatibus exercendis. Hoc autem ſimulacrum, ex coaleſcentibus perturbationibus in hominum pectore, hoc eſt in templo veræ diuinitatis compactum, tunc demum religioſis ritibus dedicatur, cùm diuinæ ſapientiæ documentis eruditæ mortalium cupiditates, eò viribus feruntur ſuis, quò illas ratio virtutis, & imperium honeſtatis impellit. Et quoniam Aſtarte, ſiue Aſtharot, ſculptile luci à ſenioribus redditur, vt exoticarum linguarum interpretes diligenter obſeruant, opportunè mihi reuocat in memoriam, quod à vobis aduerti etiam, atque etiam velim. Arbores olim pro numine coli ſolitas, præſertim antiquiores, quas ideo veternoſas appellauit Arnobius, manifeſtius eſt, quàm vt à me debeat longis argu-

Vide Seldenum de Dijs Syris ſyntag. 2. c 2. vbi multa egregiè dicuntur.

Vide Seldenũ c. 2. ſynt. 2. de Dijs Syris.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EM. ROMA

mentorum ambagibus explicari: vel ipſum Floridorum veſtibulum apud Apuleium, ſacris huiuſmodi arboribus inumbratum, vmbram omnem dubitationis illuſtrat. hinc maximi oris Vates,

Vide hac ſuper re Pined. de reb Salom. l. 7. c. 10. Lucan. l. 2.

Qualis frugifero quercus ſublimis in agro
Exuuias veteres populi, ſacrataque geſtans
Dona Ducum, nec iam validis radicibus hærens,
Pondere fixa ſuo eſt, nudoſq; per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit vmbram:
Sed quamuis primo nutet caſura ſub Euro,
Tot circum ſiluæ primo ſe robore tollant,
Sola tamen colitur.

Hæc fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplici rura etiam nunc (inquit Plinius) *Deo præcellentem arborem dicant, nec magis auro fulgentia, atque ebore ſimulacra, quam lucos, & in ijs ſilentia ipſa adoramus*: quod & de Germanis Tacitus docet. ad denſam hanc errorum ſiluam Stoicorum ne ſecuribus exſcindemus? abſit. arbor prope Hermopolim, Thebaidis oppidum, propter vetuſtatem, atque amplitudinem ab Ethnicis adorata; Chriſto tum puerulo in Ægyptum fugienti, non ſecus ac ſi diuinitati faſces ſubmitteret prætereunti, vſque ad ſolum ſe inflexiſſe proditur à Sozomeno; quo de miſſionis indicio quodammodo

do conſecrata, omnes exuit ſuperſtitionis exuuias; & perturbationes animorum, vt ab idololatriæ ſordibus quàm longiſſimè abſint, diuino obſequio mancipandas eſſe, ſuo veluti exemplo nos docuit. Quòd ſi (vt eſt vberrima fœcunditas vitiorum) agricolæ deſidia, humanæ arbor animæ ita ſilueſcet, vt affectuum ramis vndequaque frondentibus, ſibimet vmbras implicet, quæ ſolem veri numinis arceant, idola tenebricoſæ noctis tueantur: *Qui conſolamini* (ait Iſaias) *in Dijs ſub omne lignum frondoſum*: tunc enimuero ſeuerum in vite Lycurgum deteſtetur, nymphas è Socratis oraculo in Vrbem vocet, Bacchi domitrices: aut potiùs Bernardum audiat tempus putationis aduenisse clamantem: *Non poteſt* (inquit vir ſanctus) *virtus cum vitijs pariter creſcere; ergo vt illa vigeat, iſta creſcere non ſinantur; tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgent; vtilitati accedit, quicquid cupiditati demis: demus operam putationi; putetur cupiditas, vt virtus roboretur;* Nimirum expurgandas non euellendas cupiditates Bernardus apertè denunciat. Purgantur autem ſic, ſi amantur, quæ amanda ſunt, ſi magis amantur, quæ magis amanda ſunt, amor purgatus erit. Faceſſant hinc igitur fabuloſæ Pythagoræ, atq; Platonico-

Baron. Annal. Eccleſ. Tomo 1 ad ann. Chriſti 1. pag. 70. edi. Rom.

Vide Plutar. de audien. Poet.

Serm. 59. ſuper Cã.

rum purgationes, quæ vtinam ſaltem eorum ingenia fœliciter expiaſſent; luculentiùs docet hanc artem Apis Chriſtiana non Attica, & ad honeſtam morum, vitæque temperationem efficaciùs. Sed quoniam memini me cum Pantheo hominis animam contuliſſe, quod quemadmodum illud vniuerſam ferè numinũ colluuiem, duplici Veneris, Martiſque ſimulacro (ita enim legimus apud Dionem) complectebatur; ita hæc gemina Concupiſcendi, & Iraſcendi facultate cæteras omnes perturbationes amplectitur: videamus, oro vos, vtrum à præclaro artis miraculo labem detergere oratione poſſimus. Venerem aiunt à Lycurgo rogatam, vt quoniam ſeueræ, ac bellatricis regionem gentis ingreſſa eſſet, ipſa etiam armari ſe ſineret, ne proteruis formæ laſciuientis illecebris, mundoque muliebri, Lacedæmoniorum animos effæminaret; & truces ſponte ſua milites emolliret. Nimirum ſuperueſtiri, non ſpoliari ſe cupiebat Apoſtolus; militari videlicet Chriſtianæ virtutis ſagulo (quid enim vita hominum eſt ſuper terram, niſi militia?) Si concupiſcendi vis à natura mortalibus inſita prudenter armetur, nullum voluptatum lenocinium robuſti mentem bellatoris inficiet; ſed animum, quæſo vos, diligenter aduertite.

De his vide Iacobi Mazzonij Præludia ſect. 4. cap. 1. 2 3. & deinceps ibi enim diligẽter collecta ſunt ferè omnia.

Plutar. de fortuna Roman. propè initiũ. Aliter Lactãt. Inſtit. l. 1. ſiue de falſa relig. c. 20. vide epig. Leonidæ & Auſonij.

Conſtantino imperante, Caldæi ſuperſtitionibus addicti, numinis ſui poteſtatem (ignem diuinitate donauerant) Dijs exterarum gentium præſtantiorem aſſerere conabantur. Ignem igitur ad potentiæ oſtentationē circumferebant; atque vbi de nominum vi dirimenda lis erat, Deorum ſtatuis in ignem coniectis ac diſſolutis, Igni Deo victoriam buccinabantur. In Ægyptum tandem deuentum eſt; ibi circumforanei diuinitatis venditores aduocant concionem, & Igne Deo ad experimentum poteſtatis expoſito, multiformia Ægyptiorum numina prouocant in certamen. ingenioſa tum verò natio, ingens Nili ſui ſimulacrum ex ære producit, ità conflatum, vt vacua intus ſtatua magnam aquæ vim, Caldæis penitus inſcijs, contineret: verùm rimarum pleniſſimum ſimulacrum, ne hac atque illac perflueret, cera oblinunt diligenter. Certamen ineunt Caldæi, animalia gloriæ, præcoci victoriæ deſignatione tumentia; & iam captiuam Nili diuinitatem triumpho deſtinant. Cæterum in ignem coniecti ſimulacri cerra liqueſcente, tanta vis ſubitò arcani liquoris erupit, vt Caldæorum numine aquis præfocato, naufragium ſuum ſtolida capita quærerentur; ſubitum eos frigus inuaſit (cur enim non frigerent igne conſum-

Ruffin. l. 2. hiſtor. Eccleſ aliter paulo Suidas verbo. . .

ſumpto?) & patriæ diuinitatis calamitatem experti, nouam Nili fœcunditatem malo ſuo didicerunt; qui Ægyptiæ plagæ colonus, vt ſalubres ad victum fruges educat, ita ſuccreſcentes cum frugibus vepres interimit. Caldæorum ignem humanarum ſymbolum cupiditatum vnuſquiſque circumfert; ſed triumphalibus vitæ aquis, hoc eſt, vt in libro de Paradiſo interpretatur Ambroſius, temperantiæ viribus, imperioque domabilem: *Cùm ambulaueris in igne non combureris, flamma non ardebit in te*: ait Euangelicus vates Iſaias. Venus ergo, id eſt concupiſcendi facultas, in domeſtico Pantheo diuinitatis affectatrix, ſordibus per intemperantiam expiatis, fœditatem omnem eiurabit; & Martem ſuum, Iraſcendi vim, caſtis tantùm amplexibus fouebit; ad quem pro inſtituti ratione iam pergo. Matrem in vinculis olim habitum, in funiculis Adæ, in vinculis charitatis à nobis retinendum, hoc loco ſuaderem; niſi me diuina Areopagi lux (tenebras dicere debui, nam ſententias adeò iuſtas ibi ferri ſolitas legimus, quia vmbris aduerſus ſcelerum potentiam tegebantur) niſi me inquam illuſtris Areopagi nox violenter auocaret. In eo Senatu, quem veræ dixeris incorruptæ iuſtitiæ templum, Mars cauſam

Lucianus in Hermotimo.

di-

dixiſſe proditur à Pauſania, Demoſthene, Ariſtide, & alijs; quòd Neptuni filium iugulaſſet. Ibi autem Eumenidum ara colebatur, vt ſi quid clam futurum erat, ait Demoſthenis Scholiaſtes Vulpianus, ad coarguendum facinus ipſæ adiuuare vellent. Cauſam Mars obtinuit, & quidem communi ſuffragio. nimirum iraſcendi vim licentiùs debacchantem, in officio continere nos docet Martis hiſtoria; & quoniam efficaces illius impetus, qui fortitudini non inutiliter ancillantur, retundere cum laude non poſſumus, eo ſæpè deducenda res eſt, vt cauſam identidem dicat; & Eumenides habeat, ſi non iudices, ſaltem teſtes; inquirendum videlicet ſedulò in eam eſt, vt ex præſcripto virtutis efferueſcat, cùm licet; intepeſcat cùm iubetur; & conſcientiæ teſtimonium reformidet. Præclarè hoc de argumento locupletiſſimus diuinitatis interpres Auguſtinus: *Aſcendat homo aduerſus ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituto in corde iudicio* (Areopagum auditis) *adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia* (Eumenides hic appellat, Oreſtemque ſi placet ſponſorem dabit) *carnifex timor:* quòd ſi cauſam illi obtinere contigerit, decretum planè regium à Dauide ſancietur, *Iraſcimini, & nolite peccare*. Iraſcatur igitur ſodalis ille

Vide alios apud Meurſium de Areopago cap. 10. De Eumen. Vulpian. comment. in orat. in Mediam Pauſ. in Atticis, alij apud Meurſium.

meus,

meus, ſed ira, *quam zelus iuſtitiæ format*, inquit Gregorius, & doctrina & ſanctimonia magnus. Ego interim perturbationum ſimulacris de pectore, quod inſederant, deturbatis, omnem remouiſſe à me ſuperſtitionis opinionem, & cum amico in gratiam me rediiſſe non ambigo. Vtinam tam fœlix in beneuolentia quoque veſtra promerenda, quàm in captanda ſtudioſus.

CHARIDEMVS,
Siue de litterarum ſtudijs ad animi cultum traducendis.

PROLVSIO TERTIA.

QVod ab Athenienſibus vſurpatum ſapienter legimus, vt Ioui poſt vindemias quidem, ſed à muſti maturitate vltima, ſolemni die libarent, vinique vſum ſalutarem omnibus precarentur, id liceat mihi Decembri tandem menſe, ad ſeram hanc ſtudiorum meorum inſtaurationem auſpicato traducere. Quod igitur bene vos, bene me N. N. nunc primum bonarum artium procreatrici ſapientiæ, poſt alios omnes ſuadelæ poculo prælibamus; & cum facunda præludentium tempeſtas opportune detonuit, tum demum voculam

ne-

neſcio quam, in communi ſilentio explicamus; vt quoniam exaudiri à vobis, cæteris declamantibus, ægrè potuiſſet, honeſtiſſimum hoc ſaltem ſaciat, ab aliorum taciturnitate compendium. Fuiſſent Muſarum hæc ſacra à nobis repetenda maturius; neque ego labores meos à doctiſſimorum virorum conſortio hactenus ſegregaſſem; niſi pormituna blateronis audacia conſilio meo, vocibus improbis interceſſiſſet. In hominem videlicet incidi, qui ſe è cœlo delapſum exploratorem, & veluti ab Ioue legatum, ad res mortalium inuiſendas, ferrea non minus voce, quam fronte iactaret. Publicum ſe humani generis pædagogum, medicum, Æſculapium: nullius metuentem, omnibus metuendum; extra fortunæ aleam conſtitutum, ſupra naturæ fines euectum; regibus magis inuidioſum, quam regni inuidum; extorrem patria, ciuem vniuerſitatis; decoctorem auri, vindicem libertatis; vno verbo Diogenem Cynicum. hic enimuero ſplendidus philoſophiæ paraſitus, ſapientiæ ſycophanta circumforaneus virtutis circulator, ſophiſta neceſſitatis, hic inquam è ſterquilinio adlatrans prætereuntes, inconditam vocis aſperitatem ad conuellenda doctrinarum ornamenta detorquet.

Quo,

Quo, quo mortales ruitis, ſtolidum genus, & fraudibus opportunum? quam inanis per antiquorum membranas, ac literas meditatio veſtra eſt? quam fatuæ lucubrationibus ſudant lampades, vt veſtri, aut alieni nominis æternitati præluceant! impalleſcitis chartis literata contabeſcentis gloriæ mancipia, atque inter librorum aceruos, per vigilias, ac labores vitam non tam producitis, quam prodigitis; vt vitæ vmbram, ſub immortalitatis nomine, ab opinione doctrinæ poſt humanitatis neceſſitatem vltimam emendicetis: quam dum ſummis mentis angoribus aut paratis, aut paritis, inaniſſimi fœlicitatis poſthumæ captatores, ad poſteros prouocatis. Mortales, heu mortales, credulum genus, & ſuæ ſortis ignarum! An tanti eſt pubeſcentem ætatis florem ad erudita literarum ſpineta lacerare: virtutis otium literario negotio proſcribere: animi tranquillitatem ingenioſis ſollicitudinum aculeis iugulare: corporis valetudinem doctis morborum furijs deuouere: ad aram Palladis, vtiq; Gorgoneæ, humanæ vitæ ſolatia mactare, vt incertus neſcio quis hæredis famæ rumuſculus, non audituros olim cineres ſurda titillatione ſollicitet in ſepulcro? ita ne in doctrinarum regno,

non

non atramento, ſed ſanguine perennitatis decreta ſcribuntur? ita in ſcientiarum theatro nullum ſtabit laboribus tuis ſimulacrum par, niſi literata defatigatione ſatiſcentem animam prius agas, quæ deinde inuadat in ſtatuam, illamque tuo ſpirare ſpiritu ad æternitatem doceat? mortales. bona verba mi homo: tragicè ſatis declamatum hactenus, vel potius latratum eſt: & vt nondum, quæ cupiebas omnia, in literas euomueris, quæ tamen ſint futura, ſi pergas, caninæ bilis eiectamenta iam video. obuiam igitur eundum dedecori, ſilentio tuo cenſeo. Ais tu ex Cynicorū præſcripto (& affines veſtros ſuccenturiatos Stoicos, ad inſaniæ propugnationem educis è porticu) nihil ad vitam cum laude traducendam conferre humanarum ſtudia doctrinarum. Virtutis opus honeſtatis vnius manu ingeniosè dolatum, ineptas ſcientiarum cælaturas, otioſa veluti parerga, negligere. Ciuilem virum ſolido ſeuerioris ſapientiæ nutrimento paſtum, lacteam illam diſciplinarum ſpumam, mellitos eloquentiæ globulos, medicatas Poetarum offas auerſari. robuſtum, ac maſculum virtutis vultum, natiua pulchritudine effloreſcentem, adſcititium meretricij ſiue candoris, ſiue ruboris lenocinium

de-

deteſtari. Generoſe tu quidem, atque in ſpeciem ſplendide; vt leo plane videri potueris, niſi canis eſſes. Ego vero calumniæ præuaricari iam cæperam, cum bracteatæ virtutis crepitaculum, & canoras perſonatæ ſapientiæ nugas, cynicum animal, inanitate pleniſſimum oſtentaret. Verum vt propius acceſſi, & bullas illas, verrucaſque ſermonis penitus introſpexi, germanæ virtutis imaginem venari diligenter potui, fęliciter inuenire non potui. Adeſdum igitur Diogenes, famæ mancipium fugitiuum, in ipſa deſpicientiæ profeſſione ſuperbiſsimum, tympanum ſeueritatis, ignorantiæ tintinnabulum, adeſdum capitulum doliare, obſonator inediæ, impudentiæ ludio, & pœnas procacitati debitas, veritati perſolue. Humanas diſciplinas (ringaris licet,& Stoicorum fidem implores) tantam ad excolendos animos efficacitatem afferre ſtatuo, vt admirabili conſenſione ad mortalium fœlicitatem cum ipſa virtute conſpirent quod ego dum paucis probo, vos obſecratos diligenter peruelim N. N. vt à Maximi Tyrij diſſertatione ſanè luculenta, quæ in eodem argumento verſatur, auocare tantiſper animum, pro veſtra humanitate velitis; ne ſi diutius in amœnitate illa ingenij prope diuini

ve-

veſtra hæſerit cogitatio, me diuerſam penitus inſiſtentem viam, inopinatò deſtituat. Quæſitum olim à viris non inſipientibus memini, cur elegantia doctrinæ nunquam ſit ab humanitatis laude ſeiuncta? an quia nulla fere niſi clemens, mitiſque natura, ad excellentis doctrinæ cultum, & admirationem incitatur? an potius quia bonarum artium tanta vis eſt, atque præſtantia, vt illarum præſidio natura, cæteroqui contumax, agreſtes mores exuat, induat liberales? ita omnino arbitror, Auditores, ſtudia enim vniuſcuiuſque in mores paulatim commigrare viri ſapientiſſimi docuerunt: vt non immeritò nomen ipſum humanitatis, ad ſummarum artium facultatem, literatorum vulgus, communi populorum conſenſione traduxerit. In Climæo Adonidis templo, leonem regium, ac ferum animal manſueſcere; Indorum elephantes tum maximè barrientes, & ſeruitium indignatos cantiunculis demulceri, ſi quis antea mirabatur, næ ille diſciplinarum vires ignorat, ad efferatos, & in omnem veſaniam prolapſos hominum animos emolliendos. Præclarè ſiquidem in hanc ſententiam Ouidius.

Ælian. l. 12. c. 23. & l. 12. c. 44. de anim. apud Cauſin. de ſym. l. 7. ſymb. 41.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes

Emol-

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.
Præclarius tamen autor Ouidio præſtantior, in legibus Plato, hominem eruditionis ope ſubactum, mitiſſimum animal, ac plane diuinum dixit, ineruditum autem, ac rudem, ferociſſimum, ac maximè indomitum appellauit. Nimirum Orphei voce truces animæ, & in belluinam feritatem degenerantes reuocantur ad humanitatis iura, legeſque naturæ Amphionis ſuauitate mortales, durum Deucalionis genus, ac meri lapides; commouentur; in Helicone, natali muſarum iugo, venenata ſerpentum ſpicula retunduntur; ad aurei conſpectum rami acerbus inferorum nauta maturéſcit; & ſi ſacra in loco poſſumus adhibere, ad Dauidis numeros malus Saulis hoſpes agitato parcit hoſpitio; hoc eſt, vt vno verbo concludam, contumax, ac ferus animus placido muſarum commercio ſeſe frangit, ac mitigat; quod adeo cum veritate conſentit, vt inter Græcos philoſophantes eruditionis antiſtes Plutarchus,non mediocriter Marcio Coriolano, & Caio Mario iure ſuccenſeat, quod quia Muſis, & Gratijs non litaſſent, inhumano quodam impetu abrepti, turpem, ac fœdum rebus ſuis exitum inuenerunt. Sed liberius opinor, quam par eſſet noſtra hæc euagatur

gatur oratio. Inijciendum ergo deſultanti frænum, vt ſatietati veſtræ pariter occurratur, ac labori meo. Apud Dionem Chryſoſtomum Charidemus (adoleſcens longiori dignus vitæ curriculo, niſi annos ingenio anteuertens, ad gloriȩ metam præcoci maturitate properaſſet, cum vix è vitæ carceribus erupiſſet;) is inquam adoleſcens, morti dixerim, an immortalitati iam proximus, grauiſſimam inſtituit de humani generis conditionibus orationem. Et quoniam diuinitatem cominus intuebatur, illius, vt videtur, particulam tranſtulit in diſſertationem ſuam. Mortalium vitam conuiuio, mox & carceri elegantiſſime comparauit; & duplici hac imagine latius explicata, ita fortunæ vtriuſque viciſſitudinis accurate deſcripſit, vt ſuum tamen virtuti locum, eumque præcipuum, in vtraque reliquerit. Singula diſtincte non perſequar; ſed cum ſtudia doctrinarum iucundiſſimum eſſe in Charidemi conuiuio acroama; neceſſarium vero in eiuſdem captiuitate ſolatium probauero, tum demum Cerberea veluti offa in Cynici os iniecta, vobis, vti ſpero, non improbantibus perorabo.

Et primo quidem, quod fœlix, fauſtumque ſit, vos ad humanæ vitæ conuiuium ſiſto. Horas videbitis mollipedes

Io-

Iouis filias à cæli foribus tantiſper abductas, vt accumbentibus ancillentur; menſas ipſa rerum Natura componet; obſonia tellus, mare, aer, ſatis abundè ſuppeditabunt; Mens, atque Incontinentia (quam diſpar pocillatorum par!) ſitientibus propinabunt. optimè hactenus Charideme: ſed quodnam ad intemperantiam cohibendam, ad cauendam ebrietatem amuletum conuiuis tuis adornaſti? an ſubdolum fortunę neſcis ingenium, tum maximè ſæuientis, cum blanditur effuſius? dum enim palatum humanæ fœlicitatis vino ſuauiter vellicat, oculorum aciem vini fumo maligne pręſtringit, & candorem mentis infuſcat. Bene habet; AA. prudentiſſimus adoleſcens cautè omnia circumſpexit. Sobrium igitur conſtet, per Charidemum, caput, & nulla voluptatis nutet illecebra; ſi tamen eruditos inter ſe conuiuæ miſceant pro re nata ſermones, vt ad animum diſciplinis imbutum Circæa fortunæ pocula non pertingant. Vittas olim excogitatas in conuiuijs, ad capitis dolores, ex liberali, & maximè profuſa ingurgitatione leniendos, docuit me cum Athenæo, doctus in paucis Ariſtophanis ſcholiaſtes in auibus: eas vero (quia tam molles ſumus, vt deliciemur in morbis)

in

in floreas paulatim coronas abiiſſe, præter alios, diſcimus à Plutarcho: eaſdem denique à temulentis, incerto veſtigio per vrbem impunè furentibus, geſtari ſolitas, triumphalem ſcilicet profligatæ temperantiæ lauream, apud multos, tum priſcæ, tum recentis memoriæ ſcriptores obſeruamus. vſque adeo tum maxime florere nos ſtultè credimus, cum virtus in animo miſerabiliter deflorecit. O floreum prorſus, hoc eſt ludicrum fortunæ blandientis coronamentum; quod niſi doctrinæ inſtitutionibus ſponte deponas: niſi redimitum te Polemonem, ac voluptatibus diffluentem erudita Xenocratis oratio intra modeſtiæ ſepta, abiectis floribus mature coerceat; cauſa quidem in Luciani bis accuſato, cadet Academia, nunquam tu tamen in humanæ vitæ conuiuio Bacchum (quod præcipiunt ſapientes viri) Mercurio, Muſiſque coniunges. Nimirum ita veteres morum magiſtri prudentiſſime decreuerunt; conuiuiorum hilaritatem, hoc eſt fortunæ laſciuientis inſaniam, eruditionis grauitate temperandam eſſe; ne ſi doctrinam à fortunatorum hominum conſortio ſegregemus, eius etiam alumnas omnes, honeſtatem, modeſtiam, temperantiam tollamus è medio. hinc præ-

N clara

clara illa ſapientum ſympoſia apud Platonem, Xenophontem, Lucianum, Plutarchum, Macrobium, Athenæum. hinc Adriani muſæum, ſeu menſa Ægyptia, quæ ex omni terrarum orbe eloquentiſſimos quoſque conuocabat, vt in Dionyſio Philoſtratus teſtis eſt; hinc (vt Auguſtum interea prætermittam hoc nomine à Philone, Macrinum à Iulio Capitolino laudatos) Alexandri Seueri apud Lampridium conſuetudo, qui cum inter ſuos conuiuaretur, aut Vulpianũ, aut doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas literatas, quibus recreari ſe aiebat, & paſci. Et quoniam in eam partem oratione delatus ſum, quæ lepidiſſimam à nobis hiſtoriam præteriri non ſinit, aduertite quæſo animum A A. res eſt vt aliquanto feſtiuior, ita ſummopere ad rem de qua agimus accommodata. Franciſcus Gallorum Rex, non tam nominis appellatione, quam omni virtutum genere primus, ad reliqua vitæ decora prorſus regia, illud etiam adiecit, vt literarum potius pater quam literatorum patronus videretur. illi è ſacello ad prandium prodeunti, poeta neſcio quis ingenio vtiq; meliore, quam ſorte, obtulit epigramma, in quo bonam illam mentẽ paupertatis ſororem facile cognouiſſes. Et poetam quidem donatũ

regie

regie ab ſe dimiſit; epigramma vero inter prandendum ſæpius lectitare; admirari ſecum dictionis caſtitatem, atque candorem; ſententias vibrato dicendi genere circumcluſas ſuſpicere; totam denique breuiſſimæ poeſeos ſtructuram, vt elegantiſſimi puſionis imaginẽ oſculari: quid multa? nunquam dulcius pranſum, nunquam lautius epulatum ſe, quam ſuauiſſimo paſtum epigrammate Princeps ad muſarum ingenium plane factus, exclamauit. aderat fortaſſe inter doctiſſimos Aulicos delicatulus neſcio quis, omniſque diſciplinæ prorſus ignarus: mutam dixiſſes literam inter vocales: hic enimuero ad epigrammatis ſuauitatẽ à Rege tantopere commendatam, vocabuli nouitate, quaſi œſtro perculſus, repente ſe proripit in culinam. In fumoſo illo Parnaſsi gurguſtio, ad culinarios tripodes, Apollinem ſuum implorat, coquum. laudatum prolixè narrat in regia menſa epigrammatis genus iucundiſsimi, ab illo nuper excogitatum, cuius aliquam ſibi partem deguſtandam ſerio dari poſtulat. coquus, quid verbi, aut rei epigramma ſit, neſcire ſe hactenus, ingenuè profitetur; omnique culinæ inſtrumentum, bona, hoc eſt coquinaria, fide, explicat, ſicubi deliteſcens epigramma,

ſe iure tueretur ſuo, gulæ transfugā tam eruditæ: nuſquam apparet: Tunc enimuero haberi ſe ludibrio poeticus ligur itor ſuſpicatus, bolumque illum epigrammatarium ereptum ſibi è faucibus ægrè ferens, furorem è culinæ nidore iamdudum, Phœbadum, more conceptum, pluſquam poeticè coquo miſerrimo inhalauit. Atqui coquus non minus hic aſperitatem manus, quam paulo ante peregrinitatem oris auerſatus, ratuſque de artificij ſui dignitate plurimum deceſſurum, ſi perunctus ipſe iamdudum ab elegantulo cupediarum architecto, qui vel in ſolo earum nomine laboraret, nouum eduliorum genus, pugnis, atque verberibus doceretur, rem ſuam ſtrenue atque omnibus lacertis vrgere: donec ad regem tandem cauſa delata eſt; à quo pronunciatum accepimus, gulam Martialis, atque Petronij ſuffragio ingenioſam eſſe dicendam; quæ quoniam epigramma inuenire non potuit, quod conficeret; epigrammatis ſaltem materiam poſteritati reliquit; illiuſque genio nouus repente vates erupit, qui ad epigrammata deuoranda, optimam ex Platone poeticæ facultatis notam afferret, inſaniam. quam ego vinculis, & carcere dignisſimam iudicarem, niſi communis hæc
eſſet

eſſet mortalium conditio, non inſanorum peculiaris, ac propria in mæſtiſſimæ vitæ veluti cuſtodia contabeſcere. Atque ita dum à ſecunda quaſi menſa, eruditiſque bellarijs non libenter auellor, ſentio me in eam diſputationis partem incogitanter incidiſſe, quæ à Charidemi conuiuio, ad Charidemi carcerem, more inſtitutoque Perſarum, importuna traiectione nos auocat. Carcerem ergo noxiæ mortalitati tetrum claudit potius, quam aperit, in libertatem vltimam vindicandus Charidemus; nec de humani corporis ergaſtulo, ad animos excipiendos, cum omnibus ferè Platonicis loquebatur; verum de hac rerum vniuerſitate, quam mundum diximus, & in quam naturæ nouercantis inuidia mortales abijcimur, deuota calamitatibus capita. In hac veluti horroris ſcena tragicè ferali, mirũ quantum in humani generis perniciem fortuna ſe iactat. Age tamen, vt libet, age fortuna, cum abiectis ferox, cum fortibus fugax, experire quid poſsis: vt amentata ſint iacula, quæ contorques, amentũ cum iaculis extorquebit, quæ tuas exarmat manus, grauis natio literatorum. Et ſane aduerſus fortunę licentiam aureis pugnandum armis, hoc eſt ſplendore, ac pretio doctrinarum, Plato nos admonet.

Vide Hom. Il. 0. In carcerem naturæ imperio vtcumque coniectos, expeditis ſubito vinculis Charidemus immerentes adſtringit. Nec Homericam illam catenam fabrefactam à Vulcano, ex qua penſilis olim Iuno, moroſitatem ſuſpendio luit, è cælo deuocat adoleſcens; ſed nouam nobis ex ingenio fingit, doloris, ac voluptatis permiſtione temperatam. Implicatis ergo inter ſeſe, mutuoque connexis doloris annulis, ac voluptatis, mortale genus iam carceri mancipatum, & catenarium, ſecum perpetuo luctatur, & adempta ſibi libertatis iura ne queri poſſit, excuſat. Hos autem indiuiduos humanæ naturæ genios, atque ſatellites, qui caſtores appellauit, ingenioſè quidem ille decantatam toties rerum viciſſitudinem attigit, nihil tamen, vt ego ſentio à vulgi opinione diſſentit. Neque enim ſeiungi abſe inuicem poſſunt, aut alterna ſe viciſſim morte redimere voluptas, & dolor; ſed vario vtriuſque ſtamine, vnica tamen, textilis mortalitas elaboratur. Quod præclarè intellexiſſe videntur ij, qui Angeronæ, atque Volupiæ communes aras, communia ſacra decreuerunt. Huc etiam ſpectat non fabuloſa Platonis fabula, ſub Phœdonis initium, vbi Deus doloris, & voluptatis apices copulaſſe perhibetur. Qua de re libentiùs in loco

diſ-

differui, quod cùm nec Hercules (vt eſt in veteri prouerbio) ſibi contra duos pugnandum duxerit, nouum hoc victoriæ genus, eruditorum ſingulare videretur, dolorem, ac voluptatem iuratos virtutis hoſtes, doctrina proſternere; hoc eſt catenam illam ex vtroque compactilem, à Charidemo nobis iniectam eruditionis ope perfringere. Apud Homerum Telemachus, in Vlyſſis perquiſitione defeſſus è via, ad Menelaum hoſpitij iure diuertit: verùm qua erat in patrem charitate, ſic illius animum ex irrito conatu occupauerat dolor, nullam vt quietis partem capere, vel in opiparo conuiuio poſſet. Helena iuuenem miſerata vinum medicamento diluit, ad curas abigendas, doloremque ſedandum; nepente dicitur à poeta. multa quidem in hanc rem viri doctiſſimi comminiſcuntur, atque alius alio pro ingenio digreditur. ego ſane quemadmodum ſuas, non minus animis, quàm corporibus ægritudines ſæpè contingere non ignoro; ita philoſophiam, auctore Tullio, præſentem arbitror ægrotantis animi medicinam. Quia verò ad illam fructuosè comparandam ingenio nobis eſt, diſciplinarum cultu ſubacto, vt Iudæorum Plato conſtanter affirmat, ideò Helenæ poculum doctrinam interpretor

quæ ad animum ſemel, ſapientum præſertim ſermonibus illapſa, vim omnem doloris obtundit, viamque aperit philoſophiæ, quæ ægrotantem animum ſanitati reſtituat. Præit mihi in hanc ſententiam ipſamet apud Boetium ſapientia, quæ cùm in hominem curis confectum, & quod deterrimum eſt ægritudinis genus, in ipſa morbi diſperatione ſecurum offendiſſet; vt viam aliquam Philoſophiæ ſterneret, Rethoricæ ſuadelam prius, & Muſicæ modos adhibuit, quorum ope crudi adhuc, & efferueſcentis doloris impetus frangeretur. Hinc Mercurij caducæum, literarium videlicet ſceptrum, exarmatis veneno ſerpentibus, & in mutuam concordiam coeuntibus effictum à fabulatoribus eſt; vt omne aduerſantis fortunæ virus bonarum artium ſocietate mitigari diſcamus. Heluidius ſanè Priſcus, illuſtre ingenium altioribus ſtudijs iuuenis admodum dedit; non vt nomine magnifico ſegne otiū velaret, ſed quo firmior aduerſus fortuita Rempublicam capeſſeret, vt auctor eſt Tacitus. vſque adeò ad Mineruæ ſolius aſpectum in fugam agitur Ate infortunatum numen, & obnoxium calamitati. At me de literarum aduerſus dolorem pugna prolixius diſputantem, è veſtro numero non ineptus interpel-

lator

lator obiurgat; me ſcilicet ridiculè in doloris argumento operam ludere, qui vt homini perſuadeam ne miſer eſſe, ne calamitoſus velit, omnes ſcientiarum opes imploro. De voluptate potius anquirendum, illamque ſi fieri poſſit, doctrinæ viribus perdomandam. audio. Et ſanè voluptas acrioribus ſtimulis, vt ait ille, animum explorat, illaque corrumpimur. Illa nobis gliſcit in pectore; noſtro calefacta ſanguine natat in venis; noſtro vegetata ſpiritu in viſceribus ſalit, vt tanto laborioſius aurea hæc Charidemeæ catenæ pars auelli doctrina debeat, quanto tenacius docendis adhæreſcit, volenteſque conſtringit. Auellitur tamen velit, nolit, auellitur Auditores. Apud Lucianum voluptatis artifex, & vt Pauſanias loquitur, machinatrix Venus, cum Amore conqueritur, quòd puerulus inconſultus, ac ludibundus, vel Iouem ipſum fulmine metuendum, nedum gregarios minorum gentium Deos, ſagittis procaciter vulneraret; à Minerua tamen, ac Muſis manus, nec matri innoxias abſtineret. fatetur ille, nec factum excuſat. Quid enim ſibi cum virginibus negotij eſſe, in literarum ſtudijs planè demerſis? facundis doctrinæ fontibus cupidineas faces extingui: Muſarum Laureas ne tertijs quidem Io-

uis manubijs afflari; aurea pharetræ ſuæ iacula voluptatis ignibus excocta, libidinis humoribus temperata, molles tantum otioſorum fibras depaſci, ad maſculi tamen, operoſique pectoris contactum prorſus obtundi. verè: nullus etenim Achilles fatalibus vndis adſperſus; Ceneus nullus Vulcani malleo obduratus, innocentes hoſtium ictus tam conſtanter repellit, atque animus diſciplinarum artificio ſolidatus, blandiſſima voluptatis vulnera, aut aſpernatur, aut reijcit. Peruadit illa quidem ſubdolè, & per ſenſuum cuniculos ipſa etiam natura lenocinante ſubrepit: verùm in ſcientiarum excubias incogitanter offendens, pedem refert, atque ab incepto protinus reuocatur.

Sirenes olim in certamen cum Muſis, Iunone ſuadente, deſcendiſſe teſtatur in Boeticis Pauſanias: verùm is fuit certaminis exitus, qui eſſe debuit temeritatis. Deuictæ à Muſis Sirenes, & per ludibrium, ſit verbo venia, deplumatæ, regium ſcientiarum in voluptates imperium, exemplo ſanxerunt: auulſis ſiquidem Sirenum pinnis, victricium Muſarum capiti corona compacta eſt. Nos verò in illarum victoria, fortunata doctrinæ triumphantis appendix, catenam quidem exuimus, à Charidemo dolore

ac voluptate conflatam; non tamen è denſa carceris caligine ad liquidæ hauſtum lucis erupimus. Captiui ſcilicet cæleſtis arbitrio Principis detinemur in terris, cuius iniuſſu è cuſtodia egredi velle, hominis eſſet libertate intemperanter abutentis. Illud nobis fortaſſe ſufficiat, quod in vniuſcuiuſque manibus ſitum eſt in ipſas carceris latebras doctrinæ ſolem admittere, quo vt cætera omnia tenebricoſa ſint, atque perplexa, ingenium ſaltem in perquiſitione virtutis illuſtretur.

Vtrum in Virum ſapientem cadat animi perturbatio. Stoici à calumnijs vindicati, & de Chriſto Domino quæſitum.

PROLVSIO QVARTA.

QVI admirabilem humani corporis cum anima conſenſionem (ſympathiam Græci dicunt) diligenter ſcrutati ſunt, multa illi quidem ad naturæ, magna ſemper molientis, ingenium prædicandum comminiſcuntur, in eo tamen induſtriam deſiderari patiuntur ſuam, quod nihil prope de vtriuſque imbecillitate conſtituunt,

Siue enim cupiditatum ſuarum aſſentatrix mortalium natio, ea tantum curioſè peruideat, quæ iucunda ſui ſpecie animis blandiuntur; ſiue nihil animæ commune cum corpore; vbi de morbis, atque interitu agitur, opinionis errore decernat, in hoc certè cognationem illam, atque conſenſum, qui doctiores etiam rapit in admirationem ſui, aut intelligere, aut fateri per ſummam impudentiam pudet. Quò, quò te vertes aut cæca, aut obſtinata mortalitas? quid ſordes tuas vel præteris incuriosè, vel diſſimulanter abſcondis? velis, nolis, ea etiam parte, qua maximè diuinus eſt homo, ea inquam maxime humanus eſt. Non eſt hic animus, Auditores, à corporis contumelijs exordiri, vt in animæ calamitatibus diſſertatio conquieſcat. Neque enim dolorum noſtrorum memoriam ſibi refricari virtus veſtra, atque prudentia pateretur; atque ſi maximè conditionis humanæ obliuiſci vellemus, excitarent nos identidem dolores, ac morbi, indiuidui noſtrorum corporum contubernales. Illud tantum ſi per vos licet, addidero, quod in Axioco Platonis (ſi tamen Axiocum ſcripſit Plato) me legere memini, vitam hominibus veluti aurum à natura commodato conceſſam, quas nos dum vtimur, illa interea tan-

quàm ſeuerus fænerator à tergo imminens, repoſcit vſuram; & ab alijs quidem dolores, cæcitatem ab alijs, febres à pleriſque; ab vno vulnerum cruciarum, crurum ab altero debilitatem, ab hoc podagram, articularem ab illo morbum violenter extorquet. Quod hic de varia peſtium alluuione, quæ corpus inundant ſapientiſſimè Socrates, vtinam ad animam non liceret tam verè, quàm calamitosè traducere; quot enim illa, quantiſque agitur intemperijs, dum gaudio effertur, metu deprimitur, cupiditatibus exardeſcit, mœrore contrahitur, inflammatur iracundia, inuidia contabeſcit, omni denique furiarum genere agitur, atque verſatur? Vtrique autem humanæ conditionis incommodo obuiam itum à veteribus eſt, ſed exitu tam infelici, quàm futilis fuerat vtrique morbo adhibita medicina. Stoicis animorum curatio; corporum verò fabulatoribus obtigit. Hi vel Ceneos neſcio quos Lapitharum Reges Neptuni beneficio nullis vulneribus obnoxios; vel talos à Vulcano ex ære fabrefactos, vnica tantum ab ſumma ceruice vena; vel Achilles fatalibus Stygis vndis aduerſus omnem hoſtium impetum obduratos excogitarunt; ad ingenij laſciuiam eleganter, ad veritatis fructum imperitè. De Stoicis

Vide Ouid. 12 Metam.

verò

verò ambigue adhuc, diſtractæque ſententiæ nihil nobis certum, definitumque relinquunt; niſi inſanire cum literatorum vulgo velimus, qui duritiem plusquam adamantinam Stoicorum ſapienti tribuerunt. argumentum tamen hodiernæ diſſertationi ex parte ſuppeditant; vnde paulatim ad inquirendum de Chriſto Domino, quod pollicitus eram, gradus fiat.

Et primo quidem maximam Stoicorum inuidiam ab cæteris philoſophantũ familijs conflatam video, quod hominem ita ab omnibus omnino perturbationibus intactum velint, nullus vt ſuperſit in eo ſenſus aut humanitatis, aut vitæ; quem ego rigorem animi, toruitatemque naturæ duram, & inflexibilem, tam longe ab hominum conditione recedere cum viris ſapientiſſimis cenſeo, quam proximè accedit ad ſtipites. Æthiopes memorat apud Diodorũ Agatarchides aduerſus affectuum ęgritudines tam pertinaciter obduratos vt fruſtra illos vel ira ſollicitet, vel mœror deprimat, vel amor extimulet, vel metus externet, Hoſpides tam ſtolidè intuentur, vt ante oculos poſitos ne videant quidem: irruentes in ſe belluas, aut belluis ſæuiores homines in rabiem iam prolapſos tam confidenter

ex-

expectant, vt velut innoxie præteri-turos accipiant: truculentas filiorum, vxorumque lanienas tam placidè ſpectant, nullo vt in carnifices odio, nulla in pereuntes commiſeratione tangantur verum caput ad ictus ſingulos moueant, emotæ videlicet mentis argumento. Nos autem vnico oris, naſique præiudicio homines eſſe ſtatuimus, Auditores, an ſolidum potius lunenſi de rupe marmor; in humanam ſpeciem efformatum, quo præclari feritatis artifices, idolum ſibi crudelitatis effingunt, dum perturbationum ſimulacra diſijciunt? & ſi quis tamen indolentiam illam, & reliqua humanæ ſapientiæ deliramenta, quæ Stoicorum ſapienti in ſpeciem tribuuntur, aduertat, vnum certè ex Æthiopum plebe extra Arabicum ſinum educatum exiſtimabit. Nota ſunt, atque adeo ad inanem muliercularum admirationem ſæpiùs decantata, illius familiæ paradoxa; ſapientem vel in Tauro Phalaridis beatum eſſe; ſibi ſemper parem, & gaudio perfuſum; imperturbabilem; illum nunquam opinari, ſed ſcire; nihil illi præter opinionem euenire; ſolum ſibi ſufficere; ſe ſolo contentum eſſe; ſolum diuitem; liberum; Regem; æqualem Deo; & huiuſmodi ſane permulta; quæ operosè ab veterum monumentis à Lipſio colle-

ℭta, atque in vnum quaſi doctrinæ corpus redacta ſunt. Hæc autem omnia, cùm eò potiſſimum grauium virorum opinione collineent, vt Stoicum illum ſapientem (nuſquam hactenus à Plutarcho, Tullioque repertum) ſuper mortalitatis fines euectum in diuinitatis confinio conſtituant; quid, oro vos, aliud nobis impudenter obtrudunt, niſi vanum quoddam rei penitus interceptæ ſimulacrum, ex homine, Deoque conflatum, laruam hominis, Dei vmbram, animal ſolo ſuperbiæ tumore magnum; Stoicum dico; qui dum ambitiosè perturbationes animorum auerſatur, omnia perturbat naturæ iura, in ipſum humanitatis artificem perduellis: vt non immeritò Stoicorum olim arrogantia Rubellio Plauto à Tigillino, apud Tacitum exprobata, illum demum, Seneca iam perculſo, deiecerit. Huc accedit, quod non abſurdè à Crantore dictū eſt, iſthuc nihil dolere, non ſine magna mercede contingere, immanitatis, in animo, ſtuporis in corpore. Huccine tandem deuentum eſt, vt per ſummam innocentiæ, atque ſeueritatis ſimulationem, ſuperbiſſimæ mentis elatio, & faſtus intumeſcat? tanti ne apud homines fieri, hominem exuiſſe, vt Muſis, & Gratijs nullo vnquam ſacrificio placatis, ſponte dege-

Vide Cic. lib. de amicitia.

neremus in lapides, durum Pyrrhæ genus, & longè proiectum? Huius autem metamorphoſeos cauſam in ſapientiam velle reijcere, quantæ dementiæ, quàm inauditæ fatuitatis eſt? ergo ſapientia quæ contumaces alioquin mentes,& cognatione diuinitatis geſtientes, ad modeſtiam componit; èas ſponte compoſitas, inani ſpuriæ virtutis opinione, efferet in tumorem? quæ moroſos, & in familiari conſuetudine ſubruſticos,humanitatis iure demulcet,& mitigat;optima ſiue naturæ, ſiue virtutis conſtitutione temperatos efferabit? tam inconſideratè ſentiunt Stoici? tam fœdè labuntur? tam perditè humanæ naturæ facultates excindunt,robur elidunt,virtutis fontes exhauriunt, accenſos ad veram gloriam impetus extinguunt? non credo. Sapientiſſimam ego Stoicorum nationem, & in morum inſtitutione doctiſſimam ſemper putaui;à cuius placitis (ſi pauca admodum demas, de præpoſtero præcipuè vitæ, mortiſque contemptu) nihil eſt,quod cum chriſtianæ religionis inſtitutis mirificè non conſentiat, vt ex Senecæ, atque Epitecti lucubrationibus patet. Cur ergo tam furioſos illos exiſtimem cum Lactantio,vt rebus à natura inſitis caſtrare homines velint; cùm præſertim Zenonem grauiſſimæ familiæ

principem apud Athenæum legerim, vino ſolitum aſperitatem naturæ temperare, vt in familiari conſuetudine facilis eſſet, & comis? Rem igitur altiùs repetendam arbitror, ne vel opinionis præiudicio, inhumanitatis inſimulare viros immerentes videamur; vel in ſuſcepta ſemel perturbationum cauſa præuaricemur. Stoicos ego ab Academicis, ac Peripateticis, ſola vocum diuerſitate diſcrepare (vbi de perturbationibus temperandis loquuntur,) cæterum doctrina cum ijſdem omnino ſentire, confidenter, atque diſertè pronuntio: Auctorem habeo vt eam in hanc ſententiam, inter antiquos M. Tullium ſtudioſiſſimum Stoicorum; mox Marco Tullio teſtes non paulo locupletiores Auguſtinum in libris de Ciuitate Dei, & Aquinatem Thomam, geminum, vt videtis, Theologiæ ſidus, in vaſto hoc, & maximè dubio doctrinarum pelago; quorum ſecundo lumine quicumque in altum prouectus, theologicæ veritatis profunda rimatus eſt, nullas vnquam impegit in Syrtes; nullis abreptus æſtibus naufragium expauit; nullis Sirenarum illecebris irretitus blandè peremptus eſt. horum autem rationibus in ſummam contractis, ita rem breuiter, vereque conficio. Affectus animorum eos tantum

tum

tum putarunt Stoici, atque cum Stoicis Galenus, qui à recta ratione diſcedunt, atque hominis conſtantiam, opinionis vitio labefactant: illos propterea ægritudines, aut morbos, non à natura profectos putant, ſed iudicio, & voluntate ſuſceptos. ita enim apud M. Tullium Zeno: *Perturbatio eſt auerſa à recta ratione aduerſus naturam, animi commotio*: ſi quæ autem ſunt animi motiones rationis imperio temperatæ, eas nec morbos, nec perturbationes, nec affectus appellant; verùm multiplici aut voluntatis, aut conſtantiæ nomine, aut cautionis, aut gaudij intelligendas dicunt. His hunc in modum conſtitutis, næ Stoici non inſaniunt, dum illis omnibus, quaſi morbis, carere ſapientem volunt, quoniam perturbationum arbitrantur eſſe matrem, immoderatam quandam intemperantiam. Quemadmodum enim modum vitijs apponere nemo poteſt, quin vitiorum partem ſponte ſuſcipiat, ita ſi perturbationes non radicitus euellas, ſed approbes moderatas, moderatam etiam iniuſtitiam; moderatam ignauiam; intemperantiam moderatam approbes neceſſe eſt; quo in argumento multus eſt Tullius in quæſtionibus Tuſculanis; multus item in Epiſtolis Seneca. Verum ſi tam anguſte rem contrahunt Stoici, vt im-

immoderatas tantum appetitiones perturbationum nomine cenſendas ducant, cum illis & Platonis, & Ariſtotelis doctrina conſentit, & perturbationes non recidendas, ſed excindendas iubet: Sed hoc ipſum. ſcilicet inter doctiores anquiritur; vtrum perturbationis nomen, ad eas etiam motiones animi iure pertineat, quæ à recta ratione reguntur, & à Stoicis (vt ſunt curioſi vocum captatores) alieno vocabulo voluntas, cautio gaudium, & conſtantia nuncupantur. Qua in re omnes video philoſophantum ſectas, ab Stoicorum opinione diſcedere. Quæcumq; enim ſentientis animæ appetitiones, quæ vel rem, boni ſpecie, concupiſcunt, ac perſequuntur, vel malum auerſantur, atque refugiunt, rectiſſimè perturbationes appellantur, ſiue rationis imperium ſubeant, ſiue detrectent. ægritudines autem, ac morbi illæ tantum dicendæ ſunt, quæ cum immoderatius efferantur, ipſam animi ſanitatem labefactant, & rationem de poteſtate deijciunt. Hoc igitur ratũ ſit apud omnes. In virum ſtultum pariter, atque ſapientem, animæ ſentientis appetitiones, naturæ quodam quaſi traduce deriuari: verum in ſapiente ancillantur rationi; illam in ſtulto de principatu proturbant. Nullum proinde inter Stoi-

cos

cos, alioſque diſcrimen eſt; dum ex communi ſententia, ſapientis animus perturbationibus percellitur quidem, ac pungitur; nunquam tamen proſterni poteſt ab ijs, quas omninò habet in poteſtate.

Finnos ſolitos memorat Olaus Magnus, negotiatoribus aduerſâ tempeſtate diutius impeditis, venales ventos triplici nodo conſtrictos exhibere, (fumos alibi, hic ventos pretio emptos videtis:) quorum vbi primum diſſoluerent, ventis vterentur placidis, atque tranquillis: vbi vero alterum, vehementiores experirentur; ac tertio demum laxato, fœdis omnino tempeſtatibus agerentur. Apud Indos Apollonius dolia ſe vidiſſe teſtatur, pluuijs, ventiſque refertos, quibus regionem vel nimio ſolis ardore torridam, ac dehiſcentem opportune compluerent; vel madidam, atque inſalubribus vaporibus obductam ſalubriter exſiccarent: (Æolios hic ventorum vtres in memoriam reuocate.) Meræ ſunt hæ de ventis impoſtorum præſtigiæ, atque ventoſæ loquacitatis illecebræ; quæ ſi tamen explicentur idoneè, mirum quam exactè, ſapientis in animi perturbationes imperium patefaciunt. Quatuor in Danielis vaticinio ventos in mari præ-

lian-

liantes, præcipuas interpretor perturbationes in animis æſtuantes, quæ ne impune debacchentur, ac ſummis ima permiſceant, à ſapiente rationis vinculis cohibentur, ſiue clauduntur in dolio. Verum vbi vſus poſtulauerit, idem ille ſapiens improbis iraſcetur, oderit, atq; inſectabitur vitia, virtutis ſpeciem concupiſcet: hoc eſt perturbationibus viam, qua licet aperiet, & habenas non laxabit quidem, ſed moderabitur fructuoſe commotis. Sedebit ipſe interea in tempeſtatibus placidus, ſui compos, æquabili mentis tenore compoſitus, & in cæli quodammodo ſerenitate collocatus, nubes deſpiciet circumactas; mugire tonitrua, fulgura præmicare, imbres fluere contemplabitur. Vidit hoc Coſroes Perſarum Rex, qui admirabile illud cæli ſimulacrum machinatus eſt, & Angelorum ſpecie diuinum, & aſtrorum conuerſionibus nobile, & imbrium eluuione fœcundum, & fulgurum coruſcatione terrificum, & tonitrui fragore formidandum, in quo ipſe interim, quaſi in arce diuinitatis, ſui ſecurus conquieſceret, ſpectator ſpectaculo par, ſpectaculum ſpectatoris admiratione digniſſimum. Rectè enim Rupertus in Matthæum: *cælum ipſa mens, vel anima præcipue ſapientis, vt quæ habet lucida*

ſidera,

ſidera, ſtatos motus, concinnas choreas, diuinos circuitus, virtutum ſplendores fulgidiſſimos.

Sed mihi diutius in Stoicorum opinionibus immoranti, aurem meritò vellit neſcio quis, & ad alteram me diſſertationis partem vocat, in qua de Chriſto Domino differendum eſt. quoniam vero ſpinoſum illud loquendi genus Stoicorum me longius opinione prouexit, ita moderabor in poſterum orationi meæ, vt & liberem fidem meam, nec vos tamen prolixiori, quam par eſt, diſputatione conficiam. Quæritur ergo vtrum Chriſtus perturbationibus animi caruerit; perturbationes hic apello, quas paſſiones frequenter nuncupabo, notiore ſcilicet apud Theologos, magiſque vſitato vocabulo, licet ab elegantioribus Grammaticorum, ac Rhetorum officinis exulante. Paſſiones autem ideo dictas ſapientum plerique volunt, quod eæ cum in animis violentius excitantur, ipſum etiam corpus afficiant, & pati cogant. Illud autem primo loco ſtatuendū cenſeo, Diuinum Verbum veram hominis naturam, humano corpore, animaque rationali conſtantem induiſſe. Neque enim aut Arrius, aut Apollinaris audiendi ſunt; quorum alter non animam, ſed animæ

loco

loco Verbum ipſum diuinum;alter verò ſentientem quidem, at non intelligentem Chriſto conceſſit. Vterque aut per imperitiam ſtolidè,aut per arrogantiam impie. Pari etiam temeritate graſſantur Marcion cum Manichæis, Apelles cum Gnoſticis, & Valentino; illi dum fictum à Chriſto non tam corpus, quam corporis ſimulacrum fuiſſe ſuſceptum; hi vero corpus quidem, ſed aut compactũ ex rerum initijs, quæ dicimus elementa, aut ex cæleſti materia fabrefactum, aut diuinæ partem ſubſtantiæ fabulantur. Veram ſiquidem naturam humanam induit Deus,atq; adeo totum hominem, ſi ſolam demas hypoſtaſim, quam cum è cœlo diuinam detuliſſet, humanam mutuari à mortalitate non debuit. Si ergo naturam ſuſcepit humanam,vtique & animæ ſentientis appetitionis ſuſcepit, quæ naturam neceſſario conſequuntur. atqui appetitionũ huiuſmodi quidam quaſi fructus eſt perturbatio, ſiue paſſiuo; perturbationibus igitur, ſeu paſſionibus Chriſtus carere non potuit. Quod ita tamen interpretor vt in Chriſto voluntatis imperium naturæ conditionem anteuerteret. Atque hoc maxime inter cæterorum hominum, & Chriſti Domini perturbationes intereſt; quod ille non tam incerta naturæ debi-

li-

litate, quam certo voluntatis arbitrio ſemetipſum turbabat; vt Ioannes teſtatur; infirmum autem hominum vulgus perturbationibus velit, nolit, impellitur. Quod ſi aliquando à viris doctiſſimis conditione, aut neceſſitate naturæ dolere, mœrere, triſtari dicitur Chriſtus eo verborum ſenſus detorquendus eſt, vt intelligant, Chriſtum ita doluiſſe, perinde quaſi naturam in ſua conditione reliquerit. Optimè enim Auguſtinus, palmare illud ingenium: *hos humanæ infirmitatis affectus, ſicut ipſam carnem infirmitatis humanæ, Dominus Ieſus, non conditionis neceſſitate, ſed miſeratione voluntatis ſuſcepit.* Verum negotium nobis faceſſunt Origenes, Hieronymus, Beda qui propathiam quandam, ſiue propaſſionem, quam Chriſto tribuant, comminiſcuntur. cautè nimirum, & ad ipſam mali ſuſpicionem declinandam, prudenter. Cum enim paſſionis notio à Stoicis exagitata, neſcio quid labis, ab humanæ naturæ imbecillitate contrahere crederetur; ne quid minus religioſe de Chriſto imperita multitudo ſtatueret; placuit nomen illud infelix abolere, aliudque ſubſtituere, ab omni intemperantiæ contagione remotum. Cæterũ cùm animi perturbationes, etiã rationis imperio temperatæ, ipſum cor-

O pus

pus immutent, nec vllam arguant virtutis debilitatem, quid prohibet quominus Chriſto quoque, Cyrilli præſertim, Ambroſij, Damaſceni, aliorumque auctoritate tribuantur? verum ſubtilius iſta, & copioſius Theologi, eorumque præſertim princeps Thomas Aquinas, Chriſtianæ reipublicæ lumen illuſtriſſimum.

Illud coronidis loco addo, quod de ſapiente paulo ante dicebam; Chriſtum Dominum, licet pauere, tædere mæſtus eſſe memoretur in Euangelio, nunquam tamen, his quaſi perturbationum furijs fuiſſe agitatum, nihil illi de mentis tranquillitate deceſſiſſe. Tageæ in Arcadia templum eſt, in eoque ſub dio lampas, quam nullis ventorum flatibus, nullis extingui pluuijs potuiſſe, memorię prodiderunt Athenæus, & Strabo qua de re paucos, ſi libet, verſus accipite, auctoris vt apparet elegantiſſimi, non nihil tamen quæ poetarum licentia eſt, ab amico meo commutatis.

Pro foribus diuæ, vacuoq; ſub aere pendet
Lychnus, ſidereæ retinens commercia lucis,
Quo ſacer aſſiduo lucet Vulcanus, & ingēs
Educat æterna vigiles in lampade flāmas;
Quas nulla æolijs tempeſtas obruit alis;
Non ſi prorumpant effracto carcere venti,
Et diras acuant longis ſtridoribus iras;

Non

Nō ſi triſtis hyems fœdis glomerata pruinis
Incubet,& pluuio contriſtet ſidere cœlum.
Vna inter nigras acies, cœlique furorem
Fax micat,& flāma radiās victrice ſupbit

Omitto hic quæ doctè ab Auguſtino de hac lampade in libris de Ciuitate diſſeruntur, ſed Chriſtum lampadem illam fuiſſe contendo, de qua Iſaiæ vaticinium eſt: *propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius, vt lampas accendatur*: hanc autem lampadem quemadmodum aquæ multæ cruciatuum, ac dolorum, nunquam obruere; ita nec perturbationum venti in animo ipſius imperio ſpirantes, extinguere potuerunt. Nimirum nobis non ſibi lampas ardebat; ac propterea vt miſeræ mortalitati conſtantiæ non minus, quam charitatis exemplo præluceret, noſtris commoueri perturbationibus voluit, qui ſuis nutare non poterat. Hinc ab Euangeliſta Matthæo de eo dicitur: *Aſſumpto Petro, & duobus cæpit triſtari*, quia, vt acutè obſeruauit Hilarius: *non ante triſtis eſt, quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis: non de eo orta eſt, ſed de ijs, quos aſſumpſerat mœſtitudo*. Vtinam quemadmodum in Deum licuit humana transferre, ita in nos libeat diuina traducere.

De nimio in valetudine curanda ſtudio.

PROLVSIO QVINTA.

ERum ex Armenia militem, duodecimo tandem, poſtquam fatis conceſſerat, die reuixiſſe, & præclara ex mortis regione documenta rerum (exoticas ſcilicet alieni cœli merces) mortalibus retuliſſe, veterum monumenta teſtantur. Patres Emin. Excogitarit in rem ſuam ex ingenio Plato commentum plane mirabile, vel potius ab hiſtoria mutuatus, vt Iuſtinus ſapientia atque martyrio inclytus opinatur, in Reipublicæ libros ingenioſe tranſtulerit, lumen certe ab vmbrarum fonte humano generi propinandum hauſit; & pigro mortis gelu conſopitos virtutis igniculos in animis excitauit. eandem cum fortunato milite viam ego etiam exactis retro menſibus inſtiteram Auditores. Autumnalis enim peſtilitas, mihi vel in medio Tuſculo, omni Sardinia pernicioſior, tam vehementer abſtruſas vitæ radices afflauerat, vt ipſa ſpes, ſpes inquam, obſtinatum aduerſus infortunia numen, & nunquã ſupremos morientium anhelitus antecedens, con-

tumaciam exuerit, & me non tam ſpirantem adhuc, quam expirantem, in vitæ, mortiſque confinio deſtituerit. Verum quoniam ſic ſuperis viſum eſt, opportunè vicariam ſalus operam detulit, & in extrema vitæ crepidine laborantem, ac lapſabundum, ſubito reprehendit, ſpe videlicet vel inconſulta, vel inuita. Adſum ergo ſalutis beneficio ex ancipiti peregrinatione redux, & quamuis me in intimum mortis imperium cum Platonico milite non penetrarim, ſed hæſerim in veſtibulo; habui tamen, quod in obſcuro, anxioque itinere diſcerem mihi, habeo nunc, ſi per veſtram humanitatem licet, quod vobis audientibus non ſine ingenti, vt opinor, animorum fructu patefaciam. Quid autem illud ſit, ab ipſo rerum exordio, non tamen multis accipite.

Vix tandem ſalute præeunte, in vitæ ſemitam vtcunque redieram, cum inclementem Tuſculani cœli clementiam abominatus, velut quondam à Circæis delicijs Vlyſſes, in vrbem profugi. hic enimuero in morbum incidi, ſpecie quidem blandum, ſed ſi fateri libet, longe moroſiorem, quam quem in Tuſculano recens à tergo reliqueram. Nimirum vt pedem domo extuli, in hominem offendi ex eorũ genere, qui dubios

adhuc, nondumque coalitos Aulæ rumuſculos aucupantes, ſubitario loquacitatis paſtu iam adultos, grandeſque diſpergunt; & nugas ideo mercantur, vt vendant, alienæ vocis inſtitores, præcones ſuæ. Hic repentino perculſus mei vultus aſpectu, non ſecus atque ſi impegiſſet in Gorgonem, primum hæſit; mox ſpecie miſerantis, quam nobis, inquit, à Veſpillonibus, ac Pollinctoribus faciem? ah quæſo te per Deum, Valetudinem cura diligenter; quoniam vt res nunc ſunt, viuere citò deſines, niſi bene viuere cœperis. Hic ego valetudinarius, hoc eſt imaginoſum animal, & mancipium opinionum, repente contremui; & quamuis aliud ſolatij genus, ſi non morbus, morbi certè veſtigia flagitarent, præpoſtero imprudentis ſalutatoris voto, quid cum laude reponerem, nihil habui, ergo *Demitto auriculas, vt iniquæ mentis Aſellus*, & pergo. nec abieram ſane longe, cum interueniens neſcio quis, gratulor, ait, aduentum tuum, & in vultum redeuntes ſanitatis notas, quod tibi fælix, fauſtumque ſit, lego. verumtamen Valetudinem cura diligenter; inde remedia ſane multa congeſſit, quibus non tam corpus ægritudine ſolueret, quam curis animum implicaret. Iamque aderat,

qui

qui tertio loco exaggeratæ velificatus humanitati, totus ad interrogandum factus, anxie de morbi natura,de cauſis, de vniuerſa curationis ratione perquireret: mox ſolemne illud ingereret expectanti, Valetudinem cura diligenter. Verum ne longum faciam. In quamcumq;amicorũ turbam (dicam apertius ne amicitiæ nobilitatem turbæ nomine dehoneſtem) quoties in hominum multitudinem inciderem, toties mille medendi artes, mille remediorum nomina obtrudebantur auerſanti; perinde quaſi ex Babyloniorum inſtituto, quod ab Herodoto ſimul, atque Galeno laudatur, in forum elatus excubarem, prætereuntium doctrinam,atque præſidium præſtolaturus. Sed nihil æquè ſtomachũ irritabat, atque formula illa ex præſcripto ad nauſeam recitata, Valetudinem cura diligenter. Equidem intelligebam multum me mortis in vultum,ex ipſius vicinitate traxiſſe, atque vt de pallore ſpeculum non conſulerem, me diro tamen afflatum ſidere, ſola virium inualetudo valentiſſimè prædicabat. Sed quorſum toties in ægri faciem moleſtum illud ingerere, Valetudinem cura, &c. quo non tam futuræ admonemur medicinæ, quam præſentis, eiuſdemque contumacis ægritudinis

memoria recrudeſcit? Cum ergo multos iam dies modeſtum illud contumeliæ genus tenuiſſet, & aures ſanitatis augurio tamdiu verberatæ fatiſcerent, nec improba tamen ſalutatorum tempeſtas detonaret, humaniſſima tandem inhumanitate defatigatus, & fractus, ſtatui ſolum vertere; ne ſi diutius hæſiſſem, quotidiana conuiciandi licentia, quam feciſſet vrbanitas, vapularem; & abactam paulo ante febrem, intempeſtiuum officioſæ exprobrationis frigus accerſeret. Neapolim tenui; vrbem multis nominibus planè regiam; ſed ciuium potiſſimum humanitate ſuſpiciendam; qui nobili morum elegantia, admirabilem illius cœli, ſolique temperiem ita æmulantur, vt vincant. mox Genuam appuli; vbi quoniam cum libero cœli hauſtu ſimul etiam valetudinem imbibi, apud me ratum, ac fixum exinde fuit, ad corporis ægritudines edomandas, efficaciſſimum ab animo propinari mihi pharmacum, libertatem. Hic enimuero totus ad otium in vrbaniſſimo ſuburbano compoſitus, cogitare mecum ſerio cepi, vt qui naufragia metiuntur à littore, ecquid ſibi tandem moleſtiſſimum illud valetudinis votum vellet, communi omnium, non tam voce, quam acclamatione ſuſceptum, Valetudinem

cura

cura diligenter; neque enim temere aliquibus excidiſſe, quod conſtanter vſurpabatur ab omnibus, opinabar.

Atq; vt multa, eaque ingentia obuerſarentur animo nomina philoſophorũ, rethorum, poetarum, & Platonis in primis, qui ſanitati litaſſent. ego tamen, qui patrio libertatis genio hoc etiam acceptum refero, vt in ſtudijs doctrinarum in aliena verba non iurem; ineptiſſimam eſſe valetudinis curam, viroque philoſopho prorſus indignam, tacita mecum cogitatione decreui. Quòd ſi vobis hodierna diſſertatione, vt auguror, approbauero N. N. næ ego peregrinator egregius Platonici militis è pyra rediuiui ſolertiam vincam, & valetudinis deſiderio vſq; ad ægritudinem anxias mortalium mentes, inani, ac prope turpi ſollicitudine liberabo. Age igitur ſodes; valetudinem curandam diligenter, illiq; maioribus hoſtijs, hoc eſt melioribus animi votis, operandum cenſes. an quia nulla contingere poteſt humanæ vitæ, ſine ſanitate iucunditas? an quia obtorpeſcens per corporis ægritudines animus, valetudinis beneficio quodammodo conualeſcit, & ad ſumma quæq; connititur? hoc enim duplici veluti cardine, totam curandæ valetudinis diligentiam verti, rectè viri ſapientes arbitrantur. Atqui

hoc ipſum eſt, quod ego, Plutarcho duce, iamdudum molior; nimirum tam vitæ iucunditatem, quàm animi ad magna eluctantis impetum, valetudinis cura penitùs labefactari, atq; concidere. Sed negotium mihi ſubito male feriata ganeonum natio faceſſit, quæ curam omnẽ valetudinis curarum omnium abdicatione metitur. Hæc enimuero rata non labi vitam, ſi labentem ipſa non ſentiat; aduerſus impendentium morborum vim pótius ſecura, quàm tuta, animum cogitationibus, hoc eſt vſura mentis, abſoluit: vt corpus interim, veluti in foro ſtatua (quod Euripides lamentatur in Electra) hominis nihil referat, præter ſpeciem; animàm autem per incogitantiam vaneſcentem, nec habere ſe intelligat, nec queratur. Hinc medicorum filijs valere cum ſua valetudine iuſſis, coquos adhibet in conſilium; adulatur palato, non ſtomacho; adlatrantem temporis voracitatem obiecta deliciarum offa cõpeſcit ætatis fugam torpore deuincit; peſtilentes cœli hauſtus, profuſa falerni ingurgitatione, aut deludit, ant diluit. Quid multa? valetudinem tum maximè ſe curare ſibi perſuadet, cùm minimè curat. Verum hanc ego vel hominum, vel temporum fæcem, per haras Epicuri fœdè proiectam, ne cogitatione quidem

ve-

veſtra dignandam cenſeo AA. quæ vtcumque ſanitatem voluptatis lenocinio venetur, voluptatem certè per ſummam imprudentiam, ſanitatis pretio mercatur. Docuit id diſertè ſatis, apud Laertium, nobilis ſapientiæ ſcurra Diogenes, in eos de more iocatus, qui ſuperis pro valetudine vota narrantes, cænarũ intemperantia valetudinem obterebant. cuius in ſententiam Perſius ſenator minimè pedarius, ſed morum cenſor, non tam pedibus iniſſe, quàm capite dicendus eſt.

Poſcis opē neruis, corpuſq; fidele ſenectæ?
Eſto age, ſed grandes patinas, tucetaque craſſa
Adnuere his ſuperi vetuere, Iouemque morantur.

Culinarios ergo myſtas, Volupiæ ſacrificulos, inter fumum, nidoremq; popinarum relinquamus; qui quamtumlibet oſcitentur potius, quàm loquantur, ſpirare fortaſſe poſſunt, viuere profecto nō poſſunt; niſi ſi vitam ſolo halitu metiuntur; quem vbi ſemel efflauerint, aut homines, aut inter homines eſſe iam deſinent. At de illis ego diſputationem inſtitui, qui ſibi vel hoc nomine blandiuntur, quòd in curanda valetudine laborioſè feriantur, ſapienterq; deſipiunt. Hos ego (quos valetudinarios in poſterum

licèt minùs idoneè nominabo) hos inquam aio iucunditatem omnem, atque huius vſuram vitæ, ſuperuacua ſanitatis cura corrumpere. Harmodicum narrat, in libris de Republica Plato; atq; ex eo in Rethoricis Ariſtoteles, virum in re medica vſq; adeo inclytum, vt Hippocratis præceptor apud poſteros audiat, tam minutam ac religioſam in valetudinis curationem operam impendiſſe, vt inter mortis metum, & cruciamenta vitæ, ſanitatem quàm ſolidatam cupiebat, euerterit; & pro vitæ incolumitate, lentæ ſibi, hoc eſt moleſtiſſimæ tractũ mortis conciliarit. Verùm hoc diuinitùs fortè contigerit, vt prima artis medicæ ſemina tunc temporis erumpentia, experimento tam nobili matureſcerent. Ego ſanè Harmodico plurimùm tribuo, qui tuendæ valetudinis doctrinam periculo redemit, non alieno, ſed ſuo. Quòd vtinam intelligerent è medicorum grege non pauci, quibus non impunè tantum, ſed etiam cum lucro ſtat hominum laniena: humanius profectò cum ægrotantibus agerent; quorum ſanguinem non raròad crudele artis experimentũ Æſculapio libant; ſed pergo. Quid de Artemone ſtatuemus? hic vt apud Plutarchũ Heraclides Ponticus memorat, machinator alioqui ingenioſus; tã ſuperſtitiosè

va-

valetudinem procurabat, vt domi ferè ſemper deſidioſè langueſceret. quemadmodum enim palliũ vſu cito deteritur, ſepoſitum ſeruatur diù, ita vitam producturum ſe quàm longiſſimè confidebat, ſi vitæ vſu quàm longiſſimè caruiſſet. Percipitis, opinor, admirabile ſtolidè philoſophantis acumen. Quòd ſi tandem domo exeundum eſſet, ne quid ſanitatis è capite male ſano, ambientis aeris intemperies decerperet, æneo clypeo, per mancipia ſupernè ſuſpenſo, protegendum erat. an non capitale cœlo odium indixerat, qui aduerſus cœlum ære caput armauerat? ò verè durum caput, & nulla arte domabile. efferebatur autem lecto penſili, (ne illum pedibus more hominum, ambulaſſe ſuſpicemini) verum humili, & quod propemodum terram raderet: ne forte ſublimius inuectum repentinus ad terram caſus affligeret. Et huiuſmodi portenta hominum, quæ non trahunt vitam, ſed trahuntur à vita, iucunditatis aliquid delibare ſi poſſint, audeant, ſi audeant, poſſint? Ego ſanè, vt antiquioribus interea parcam, & hiſtoricorum monumenta non vexem, dum Valetudinarios domi noſtræ natos, adultoſque contemplor, in ſanitatis cura ſemper ancipites, & cunctabundos; omnia quaſi in hoſtico circumſpectantes,

fidem

fidem nec ſibi, nec alijs adhibentes: anxios, pauentes, vno verbo morientes, nullum eſſe ſtatuo genus hominum, in hac mortalitatis palæſtra, magis exercitum,& à vitæ tranquillitate, quàm quotidie angoribus emit, quotidie diſtrahit, longiùs ablegatum. Aduertite quæſo, animum diligenter, & inſanarum cogitationum veſtigia, per otium proſequamur. Primum ergo cœlum libeat intueri; in quo quid ſole, vel ad ornatum pulchrius, vel ad maieſtatem nobilius, vel ad oblectationem iucundius, vel ad vtilitatem fructuoſius? & tamen Valetudinarius, veluti in peruſtis Æthiopum regionibus recoctus, totius fontem luminis conuicijs, iniurijſque proſcindit. Illius radios vniuerſo terrarum orbi ſalutares, tanquam vni ſibi funeſtos, nouus hic Python declinandos putat. Ælium pontem (male ominatum, & plane ſacrum flagitioſis ceruicibus nomen) vnica ſolis carnificina ſibi metuendum deteſtatur;& ſi quando ita vel ratio, vel neceſſitas iter inſtituendum præſcribat, vt nolens, volens impingat in ſolem, tunc enimuero, quaſi qui dira omnia expectet ſimul, & fugiat, obuoluto pallio capite, quàm celerimè proripit ſeſe, nec ante conſiſtit, quàm extra ſolis tyrannidem, vmbræ monitu ſe videat euaſiſſe. Eu-

mol-

molpum iurare, inſani ſpiritus recitatorem, operto capite coniectos, in ſe lapides declinantem. Quid quòd certa viarum non compendia, ſed ambages, in quas ſol radios non inſinuet, ex Geographorum ſcilicet præceptionibus, hac vna in vrbe ſibi diſpenſat, ac ſuis; vt libello duce, (Sibillæ folium puta, nam vmbras adeuntibus præit) in ipſo meridie, canicula ne quidquam adlatrante, ſpectante ſole, ſed inconſulto, æſtiui vim caloris eludat? Nec de luna meretur melius, quàm quoniam humidum ſidus, & fluoribus imperans (quos græco vocabulo catarros dicimus) medicorum natio iampridem appellauit, non auerſatur modò, ſed curioſiùs obſeruat. Illius ſcilicet incrementis, & decrementis augeri, aut minui corporis ſiccitatem; alternis cieri motibus humores, atque æſtuare cum mari dolorum aculeos modò crudeſcere, modò retundi. Infelix vel hoc nomine, quòd ad luna lumen, in tanta rerum omnium viciſſitudine, nunquam illi creſcit ingenium, nunquam ſollicitudo decreſcit. Nam de gregaria ſtellarum plebe, quid dicam? Hanc vaniſſimis, & pene magicis Caldæorum characteribus mancipatam prius, ſanitati ſuæ famularem confidentiſſimè credit. Quare nonniſi elato benigni ſideris lumine,

&

& ipſis quodammodò ſtellis prægustantibus, cibum capit, aut bibit; (quæ inter bibendum elato lumine conſuetudo, in magnorum Aulis principum ideò inoleuit, vt ambitionem in obſcuro latere non ſineret, ſed in oculos, clariſſima tædarum exprobatione, etiam nolentis ingereret.) Domo nunquam egreditur, niſi fauſta præeunte ſtellarum luce, quaſi honorario ephæborum ſatellitio viam videat; nullum aut opus aggreditur, aut iter ingreditur, niſi poſtquam ſiderum oracula ſciſcitatus, illud renuntiatum videat valetudini ſalutare ſuperbiſſimũ animal, quòd illuſtrem cæli militiam, ſuis è diuina illa ſtatione deliramentis excubare, ſibi gloriosè mentitur. Sed è cœlo tandem inſanientem deuocemus, & ſuſpendamus in aere. Hic enimuero, lituo non augurali, ſed medico, diuerſas cæli plagas partitur, ac dirigit. Illam capiti peſtilentem, hanc exitioſam pectori; aliam ſtomacho grauem; pedibus aliam pernicioſam; aliam vaporibus denſam; aliam ventis obnoxiam ſeuerè denuntiat. Diceres illum non de vna; eademque vrbe, aut etiam vrbis parte, verùm de Aphrica, vel littorali, vel mediterranea diſputare. Nec ventos ego ventoſa loquacitatis illecebra nominaui; nam ſi quid eſt, in quo ingeniosè Va-

letudinarij deſudet induſtria, in eo certè nautarum omnium ſolertiam ſuperauit, quòd non nomina tantum ventis impoſuit, ſed eorum naturam, ac vires (quòd proprium ſapientis eſt) penitùs introſpexit. Hinc ab Aquilone pleuritidem exhorreſcit; ab Auſtro grauedinem metuit; capitis vertigines ſuſpicatur à Cæcia; anginam timet à Coro, lippitudinē diuinat à Lybico; diarrhæam formidat à Zephiro: & quemadmodum inter ſidera ſolos ſcorpios, ſerpentes, vrſas præclarus calamitatum artifex intuetur; ita etiam à ventis, ſiue Tropæi ſint, ſiue Apogæi, ſemper naufragium veretur; ne ſcilicet eorum impetu ſanitas ad ægritudinis ſcopulos alliſa frangatur. Quòd ſi ab aeris turbis Icaromenippum ad menſæ tranquillitatem, vel cum Trimalcione traducas, Tantalum videbis inter opiparas conuiuiorum delicias fameſcentem; in medijs nectaris fontibus enectum ſiti. Neque enim promiſcuè viuit, ſed cum delectu; nouumque adhibet temperantiæ genus, priſcis ſapientibus hactenus inauditum, à nuperrimis valetudinis curatoribus excogitatum, qui cibum, potumque genium defraudantes ſuum, vnciatim, vt ait Terentianus Geta, diſtribuunt, & famem, ſitimque ita quotidie nutriunt, vt ſemper

exa-

exacuant. Interim ne ſtomacus ſatietate diſtendatur,ac nauſeet, inanitate contrahitur,& langueſcit: ne caput vaporibus infuſcetur, debilitate deijcitur; ne ſanguis incaleſcat, vino ſpiritibus deſtitutus contabeſcit: ne cibis onerentur hypochondria, flatibus cruciantur: ne vires opprimantur ingluuie, franguntur inedia; vno verbo ne ſanitas apertè lædatur, per cuniculos proditur, atque conuellitur. Nimirùm didicit bellus hic homo à Galeno, vel ſi Græcos non attigit,à Cornelio Celſo latiniſſimo medicorum, non omnes perinde res boni ſucci eſſe, & valetudini aptas. Quare, vt atræ bili ſubtrahat alimenta (exempli gratia dicendum aliquid eſt) bubulam carnem deteſtatur; ceruos, leporeſque nouo venationis genere, à menſa extrudit in ſaltus; ſtagnis aſſuetas aues; ſine ſquammis piſces; anguillas, & ſi quid huiuſmodi, faſtidiosè contemnit, ne ſanguis aduratur,aromata ab oriente ſole laborioſa peregrinatione tranſuecta ſiluis redonat ſuis; hortenſia Ægyptiorum numina porrum, cæpe, allium vt nullo diuinitatis cultu proſequatur, exulare à ferculis iubet, ne inſitus nobis à natura calor alimento concoquendo diutius, & fruſtra luctetur, cæteris omnibus religioſe reiectis, aut vnius

anni

anni verueces, aut ſelectas ex pinguioribus gallinis partes, aut è campeſtribus auibus implumes, aut ex ouis tremula menſis adhibebit. Et ne ambitioſe in alieno videar argumento verſari, hoc vnum accipite Valetudinarij commentũ plane palmare. Ego neminem nominabo hominem tamen norunt pleriq; veſtrum quem ideo mors commiſerata ſatis intempeſtiue, an tempeſtiue ſubduxit, ne diutius in infelici mortalis vitæ, quaſi cruce, valetudinis deſiderio torqueretur. Hic inter alia ſanitatis arcana, quorum centurias ſub ſignis habebat, hoc etiam vere Pæonium, vere Machaonium retulit, & experimento ſancitum voluit; vt omni prorſus pane ad tuendam valetudinem abſtineret. Cohorruiſtis, vt video ad panis exilium; Ecquis tam boni comitis calamitatem inter publica damna non numeret? Conſultiſſimi tamen capitis ſingularem ſapientiam accipite, intelligetis non temere factum eſſe, quod pani teterrimo ſcilicet humanæ valetudinis inimico, humanis menſis interdictum ſit. Frumentarias molas curioſe luſtrauerat videratque inter molendum, farinam quidem, quod neceſſe erat, excerni; verum intelligere ſibi præterea videbatur, ſaxum ipſum diutius circumactum,

at-

attritu ſenſim deteri, atque conſumi; tenuem proinde deterentis ſe molæ pulniſculum, hoc eſt mera lapidis ramenta, neceſſario farinæ permiſceri, atque ex vtriſque demum maſſam ſubigi, mox panem improbiſſime confici: inde calculos paulatim ad hominis interitum coaleſcere, atque compingi: Durum re vera morbum, & plane lapideum; qui primarias in hac vrbe domos ſæpè dilapidauit. audiſtis? O vere inter molendini vertigines enatam philoſophiam! ò molare tam operoſe delirantis ingenium! Legeram ego, in ſacroſanctis religionis noſtræ monumentis, oblatos à cæli transfuga Chriſto Domino lapides, quos ad diuinitatis ſignificationem commutaret in panem: Verum hic panis in lapidem, rerum ordine conuerſo, degenerat. Et quis cum verrucoſo Fabio, apud Senecam, Valetudinarij noſtri panem, lapidoſum merito non appellet, hoc eſt accipientibus neceſſarium, comedentibus grauem? Vtcumque ſit: ad hanc certè molam, nempe ad lydium lapidem, explorare orationis meæ veritatem licet, cum ſub initium diſſertationis edixi, omnem humanæ vitæ iucunditatem, ſollicita ſanitatis cura corrumpi. Quod ſi rem altius repetere ab ipſis artis medicæ primordijs liberet;
quam

quam latus orationi ad euagandum campus aperiretur? Cum enim vniuerſam medendi artem ita diſtribuerint ſapientes viri, vt illius pars altera proſtratam, iacentemque valetudinem, abactis morborum cauſis erigeret; altera integram, atque illibatam ſine vlla ægritudinis ſuſpicione conſeruaret; poſtremam hanc rurſus trifariã diſpertitam προφυλακτικὴν, σωτηριστικὴν, ἀναληπτικὴν appellarunt, quæ tamen quatuor omnino rebus in vniuerſum continentur. Aut enim quid ore ſumendum ſit, ſiue ad cibum, potumue; ſiue ad medicamentum ſpectet, ediſſerit; aut quid excernendum è corpore, quoue artis præſidio docet; aut quæ aduenire dicuntur extrinſecus obſeruat; aut demum quę ad corporis exercitationem ſuſcipienda ſint, ex arte præſcribit. Si ergo Valetudinarij ſuperſtitionem in ſingulis æſtuantem pari ſollicitudine rimari vellem, inhumaniter facerem, qui commiſerandam mœrentis animi calamitatem, acerbis inſuper verborum ludibrijs onerarem. Omnibus ergo hoc loco prætermiſſis, vnum dumtaxat medicinæ genus attingam, quod à nautis neſcio quibus, atque mancipijs in triremibus vſurpatum prius; paulatim etiam in Magnatum aulas irrepſit, &

ipſa

ipſa iam ſui frequentia pretioſum (neq; enim in hoc vno raritas pretium fecit,) inter delicias numerari iam cæpit. Ab ea Indiæ parte, quæ ſolem occidentem excipit, non multis ab hinc annis in Europam herba cum mercibus nauigauit. Tabaccum vulgus appellat ab inſulę nomine, illius vberrime feraci. Huiuſce igitur graminis, vel ambuſti fumus, vel contuſi puluiſculus à recte valentibus ad tutelam ſanitatis adhibetur. naſus vtriuſque curationis non teſtis modo, ſed via eſt. Quemadmodum enim Rolandus (Orlandum dicunt,) apud noſtratem, ſed primi nominis poetam furioſe delirans, epoto per nares cerebro ad ingenium redijt; ita qui ſanitatem ſagaci nare venantur, peregrino vel fumo, vel puluere naſum vexant, atque ita valetudinem per naſum imbibere ſe conſtanter argutantur. Et fumoſę quidē, ac nigræ animæ fiſtula in os inſerta ad lucernam ſtolidè lucubrantes, fumum hauriunt, quem paulo poſt faucibus regerant, & per nares eiectent. Parum eſſet ſi oleum atque operam perderent; verùm tanta totius oris turpitudine fumum efflant, vt mihi videar in Auentino verſipellem alieni pectoris abactorem Cacum in ſpelunca cum Hercule decernentem intueri.

Ille autem, (neque enim fuga iam ſuper vlla pericli eſt) *Virg.9. Æneid.*
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Euomit, inuoluitque domum caligine cæca.

alij verò puluerem (vtiq; non olympicum) colligentes, paruas ex ebore, vel è peregrino cortice pixides, argento, auroque vermiculatas ambitioſè circumferunt; ex quibus deprompto puluiſculo nares identidem vellicant, & ſternutamentum à cerebro, iniectu pulueris extorquent. Hæc porro duo, ab exotico gramine, beneficia ſanè ingentia, vtrique referunt, fumum, ac ſtrepitum; hoc eſt vt arbitror, nihil: nam valetudinem ea merce, quantumuis Indica, venalem, ego certè non puto. Vſque adeo ne ſanitatem, quam tantopere cupiunt, deſpicatui habent, vt eam fumo comparandam, deuota fumo capita ſibi perſuadeant? tam abiectè ſentiunt de corporis valetudine, vt ſi modò irritata ſternutatione nobis aures obtundant, nuncium illico Æſculapio remittant? Nihil ego de Indici graminis virtute detractum eo; nec ſum tam auidus offenſionum, vt medicorum iracundiam in me vnum deriuare ſtultiſſimè velim: verùm ne in re tanta alieno ductu deſipiam, quid hac ſuper re, ab eorum monumentis acceperim, paucis ediſſeram; vos momenta re-

rum pro veſtra ſapientia perpendetis. Cauſa inter ciues exorta; aut etiam de rebus agendis nodo, vt ſæpe ſit, qui dignus vindice videatur, iniecto, ſacerdotem conſulunt Indi. Hic ſtatim ad hauriendum enthuſiaſmum, Tabacchi fumum igniculo expreſſum, per fiſtulam tranſmittit ad nares; cuius vi obtupefacto protinus cerebro, mortuo ſimillimus ad terram proſternitur, & diù decumbit: mox animo paulatim ad vitæ munia reuerſo, quaſi cum numine collocutus tantiſper ſit; (Numam diceres cum Ægeria confabulatum) quicquid turbulentæ rerum imaginem per ſomni ſpeciem obiecere, effundit in vulgus; oraculum ſcilicet obſcurius fumo ſuo; quòd cùm è puriſſima diuinitatis flamma lucem veritatis haurire non poſſit, mirandum non eſt ſi tandem euaneſcat in fumum. An non hic fumos vendit, non aulicos, vt ille quondam, ſed diuinos, quibus videlicet pulcherimam diuinitatis ſpeciem decoloret? quid autem hoc ad valetudinem? ſed propero. calamitoſi homines ſua ſemper cum fortuna rixantes, ad curas abigendas leuiori fumo ſe proluunt; mox altius conſopiti, placidiſſimis rerum ſimulachris delicias agunt: nihil illis turbidum accidit, horridum nihil; ſed regna, voluptates, meras vitæ glo-

glorias iucundè delibant: quæ tamē omnia conſiſtere diutiùs nequeunt, quia fumo coaleſcunt, & cum ſomno præteruolant. Hoc autem iterum interrogo, quomodo ad valetudinem referas? Quid quod peculiare Indico gramini minimè putandum eſt, cùm ſit illi commune cum multis? ſane de Scythis à Maximo Tyrio, à Pomponio Mela, de Thracibus, de Babylonijs ab Herodoto, de Indis ab Garzia de Huerte diſertiſſimè traditur, eos ad triſtitiam diſcutiendam, herbarum fumo ebrios ſponte concidere; & incredibili per ſomnum dixerim, an per ſtuporem? imaginum ſuauitate perfundi. Quod ex Dioſcoride & Proſpero Alpino, alijſque luculenter oſtendit vir, in quo vno, nexu propemodum inſolito, cum ingenti doctrina ſingularis modeſtia copulatur Petrus de Sena in præclara de Homeri Nepenthe lucubratione. Deinde quis vnquam ſuis compos comitialem, pene dixerim, morbum vltro, ac libenter accerſat, vt ſtupore cerebri perculſus, animus, ſimul cum corpore viribus deſtituatur, ac torpeat? hoc eſt iucundè, hoc eſt hilariter viuere? ab ebrietate, quæ te proſternit, tuendæ ſanitatis diſciplinam auſpicaris? vt rectè valeas fumo caput excrucias, quòd acerbiſſimum ſemper fuit ſupplicij genus in

Martyres? prouocatæ pretio ſtoliditatis fortuitam tibi redimis ſanitatem? prima medicæ artis, quam profiteris, rudimenta à mentis iniuria deducis? per animi vulnera viam tibi ad corporis ſalutem pandis? intelligentiæ candorem fumo obducis, vt valetudinis in vultu color efflorеſcat? caligine ſerenitatem illuſtras, nec ſanus eſſe poteſt, niſi fias inſanus? Atque hoc erat alterum diſſertationis meæ caput, in quo contumeliam animo Valetudinarij machinamentis irrogatam amoliri decreueram. Verùm quia longiorem diſputationem rei poſtulat magnitudo, & vos diutiùs detinendi non eſtis, in ſanctiores dies ſanctiori argumento reiecto, omnibus interim ſapientiſſimi poetæ votum in memoriam reuoco, *Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.*

Iuuen. ſas. 10.

Præpoſteram Valetudinis curam plurimum animo, ac virtutibus obeſſe.

PROLVSIO SEXTA.

AMbiguè olim à Platone, atque Galeno diſputatum eſt, vtrum inter bonam, malamq; Valetudinem aliquid intercederet, quamobrem nec ægrotare,

nec valere hominum corpora dicerentur Principes Emin. & Galenus quidem ita rem interpretabatur, vt quemadmodum adulto nondum ſole, cum paulatim dies effloreſcit in lucem, cœlum euaneſcentium quaſi veſtigium tenebrarum in vultu præfert, quod nec adſcribas diei, nec imputes nocti; ita hominum corpora in dubio valetudinis confinio conſtituta, inter languorem, ac vires ambigue colluctentur: quam nec valentis, nec ægrotantis conditionem, ſanitatis crepuſculum, hoc eſt non ſine vmbrarum vmbra fulgorem appellare ſi velis, à vero fortaſſe non aberrabis. At contra Plato maturi, floridique luminis amator, impuram hanc tenebrarum, luciſq; permiſtionem, quæ cœlo maculam adſpergit, auerſatus, controuerſiam bipartito diſtribuit, & hominum corpora, quanta quanta ſunt, vni tantum valetudini adiudicat vel integræ, vel afflictæ. Hoc vnum videlicet apud ſe ſapientiſſimè ſtatuebat, ſuſpicioſam illam corporum conſtitutionem, quæ ab rerum contemplatione diuinarum; à Reipublicæ adminiſtratione; à ſtudijs doctrinarum; à conquiſitione virtutum animos auocaret, meram ægritudinem eſſe, ſine vlla bonæ valetudinis ſocietate miſerrimam. Hoc autem cum vitio corporis (infeli-

citate ſane grauiore, quàm culpa) contingit, hominum animos ad miſericordiam inflectit. At quid de illorum vecordia ſtatuendum, quibus per animum in corpus, non tam ægritudo, quàm eadem ipſa, quæ modò enumeraui ægritudinis incommoda deriuantur; dum nimis anxia valetudinis cura, & publico ſæpe abſtinent, & negotijs ſeſe ſubducunt, & omnem doctrinæ cultum, curam omnem virtutis abijciunt; ne vitam ſcilicet vſura vitæ, hoc eſt ne videndo oculos, audiendo aures, vocem loquendo conſumant? Atque hæc demum erat infelix illa hominum natio (ridiculam appellarem, niſi tanta cum animi pernicie deliraret) quam exactis retro diebus, quaſi victimam ſacris ſolemnis ieiunij ferijs deuouendam ſepoſueram; nunc verò, vt me promiſſi religione ſoluam, bona fide ad aras, veſtro omnium iudicio iugulandam ſiſto.

Verum in ipſo ſtatim meæ diſſertationis exordio date mihi hanc veniam A.A. vt refricare tantiſper Bacchanaliorum memoriam liceat; neque enim verendum eſt, ne temporis ſanctimonia profana rerum commemoratione maculetur; quin potius illud conſequar oratione mea, (certe conabor) vt veſtræ vos grauitatis, in alienæ leuitatis exprobratione,

pœnitere non poſſit;& ſi qui ſunt (video autem eſſe quamplurimos) quos communis petulantiæ turbo tranſuerſos egit, in modeſtiæ orbitam, & temporis ratio, & veſtræ virtutis exemplum reuocabit. Et in publica ſane licentiæ quaſi licentia, gratulatus mihi vehementer ſum, tam firmam, ſolidamque omnium ordinum valetudinem. cùm eo plerique curas verterent ſuas, vt qua ciborum ingurgitatione, qua defatigatione corporis immodica, qua diurnis, nocturniſque concurſationibus, valetudinis conſtantiam, aut explorarent, aut frangerent, Multorum vidi vultus ſub perſonis æſtuantes, & ſudore perfuſos. an quia in exuenda verecundia cum virtute non leuiter luctandum voluptati fuit? an quia vt alienam perſonam cum dignitate ſuſtineas, ſtrenuè tibi allaborandum eſt? Alios contemplatus ſum contumaciter obuerſa in pluuias,& ventos facie, tam fœde perculſos, vt non magis nuda Iudæorum diſcurrentium capita, ſub impuræ plebis contumelijs vapularint, quàm expoſita obſtinatè ſpectantium, an expectantium ora, ſub cæli iniurijs contabeſcerent. Alios miratus ſum comeſſabundos in theatrum properantes, & crebros inter anhelitus, per ſtipatos multitudinis cuneos in ca-

ueam irrumpentes? (quo nimirum Comœdos præſtolarentur) vt diuturna ſedendi defatigatione primò deſides, & oſcitantes, mox etiam fracti, exauſtos in ingreſſu labores, inertia laboribus moroſiore mitigarent. Alios audiui (neq; enim tam dira mihi venit videndi cupido) ad multam noctem, ſub Ioue frigido, currus neſcio quos circumforaneos ſubſecutos, vt peregrini, hoc eſt perembulantis ſuauitate concentus deliniti, truſatiles Ludionum choreas, & deſultoria gladiatoriæ feritatis ſimulachra, lutulenti ſpectarent. Nam ſolidæ pene noctis epulas, hoc loco præterire conſilium eſt. Hæc igitur cùm animaduerterem non ab infimis tantum plebis minutæ quiſquilijs, aut ab adoleſcentibus ætatis lenocinio deceptis, vſurpari, verùm ab ijs etiam, qui graues, ſapienteſq; apud multitudinem audiunt, honeſtiſſimi ſolatij loco, ad mentes hilarandas adhiberi; tunc enimuero (neque enim vacabat cenſorem agere) omnem prorſus ab vrbe corporis ægritudinem exulare confidentiſſimè prædicabam. Cur enim in ea ciuitate vel tenuem morbi ſuſpicionem mihi fingerem, ac curis meis, in qua morbus ipſe toties intemperantiæ blanditijs prouocatus, & per vim propemodum extortus in corpora,

nunquam

nunquam tamen inſanorum veniſſet in vota? beata proinde Romanæ Reipublicæ tempora, longo veluti poſtliminio, redijſſe exiſtimabam, cum nullis medicorum cruciamentis dilaniata mortalium corpora, illud feliciter vitæ ſpatium implerent, quod naturæ liberalitas ampliaſſet, non artis medicæ præſtigiæ contraxiſſent. Æſculapij ergo cum Iani templo claudendum. Quid multa immortalitatem illorum ſtultitiæ ſtultus ominabar, qui cum maximè id agerent, vt morerentur, nec ægrotare quidem poſſent; vitam verò ideo ducere viderentur, eam vt impunè prodigerent. Verùm vt nulla eſt in rebus humanis diuturna felicitas, inſperata morum viciſſitudo falſum me fieri ſubegit, & votorum ludibria non animo tantum obiecit, ſed in oculos etiam auerſantis impegit. Vix tantillum dieculæ vnius ſpatium interceſſerat, cùm admirabilis tota vrbe cataſtrophe facta eſt. vbi enim abiuratis, proſcriptiſque bacchanalibus, ſacra ſolemnis ieiunij dies, multis planè cinerea, hoc eſt feralis, illuxit; tunc quaſi peſtilentiam vrbi maligni capillamentum ſideris inhalaſſet, diſcurſari cæptum ad medicos; de ciborum delectu anxiè deliberatum; diligenter de victus ratione quæſitum; interrogatum

ſæpiùs manu caput vtrum ægro inconſulto doleret; explorata ſubtilius arteria, rarique admodum reperti, quibus medicorum vrbanitas non morbi ſaltem opinionem humaniſſimè commodaret. Atque ita noctis vnius veneficio in Valetudinarium Roma degenerauit. Pandoram neſcioquam feſtiua poetarum natio commenta eſt, varia morborum genera in pixide circumferentem; cuius operculo ab Epimetheo, per imprudentiam, remoto, vniuerſa illa morborum colluuies humanum genus penitus inundauit. Illud ego male ominatæ pyxidis operculum, prima Quadragenarij ſolemnis die deiectum video Auditores, ex illo ſiquidem

Horat. lib. 1. carm. od 3.

—— macies, & mala febrium
Terris incubuit cohors.

Hinc eorum querimoniæ, qui naturam onerant contumelijs; qui ſemper in ægritudines intenti, qualemcumque corporis calorem calumniantur; qui ſibimet infenſi importunis palatum potionibus exſurdant; qui de ciborum natura rixantes, vt cum Bernardo loquar: *Legumina* inquiunt, *ventoſa ſunt, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam; choleram porri accendunt; piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non*

congruunt: qui tuſſim denique continenti cerebri exſudatione irritatam incuſantes, poſtquam alienas aures importuno ſtrepitu verberarint; ipſam tandem in hunc fere modum cum poeta flebiliter alloquuntur.

Quid tantum hanc pulſas animam, mala
pectoris hoſpes,
Et fragiles vitæ ſuccutis alta fores?
Quid me adeo ſpirare vetas, atq; ima pro-
fundo
Pectora ſingultu pulſa, repulſa premis?
Cede loco veſana.

Verum id vnum egiſſe hactenus videri poſſum, vt inſanam illorum conſuetudinem ſigillarem, qui cum atletico propemodum corporis robore, crudas debacchantis voluptatis illecebras; blandientia laborum tormenta; temulentæ tempeſtatis iniurias ferendo fuerint; ad primum ſtatim ſolemnis ieiunij conſpectum, tanquam viſis hoſtibus proſternuntur, & concidunt: illius macie ſui florem ſanguinis inficiunt; illius ſiccitate ſuccum valetudinis exhauriunt; ad illius ſitum ſqualentes impaleſcunt; & tunc demum febrem induunt, ſponte commotam, cum febriculoſo ieiunij nomine cor per aures repente percellitur. Ceciderit res, vt libet, & qui lapides in canem conſulto conieceram,

nouercam fortuito vulnerarim: caſum libenter exoſculor conſilio meliorem. Verum illo, ſi fateri libet, mea collineabat oratio, vt oſtenderem (quod initio propoſueram) dum toti in corpore curando ſumus, ſenſim animum elanguеſcere, & exquiſita in procuranda valetudine diligentia, ingenij vim hebeſcere, atque retundi; curaſque omnes à rebus præclarè gerendis, ad inertiam, ſomnumque traduci. Quod vt luculentius adhuc probem, animum vt humaniter hactenus feciſtis aduertite. Iis, quorum conſilio ſtat vniuerſa reipublicæ moles, ſomno perparce indulgendum recte præcipiunt ſapientes viri. Hinc apud Homerum Iupiter, cæteris quaſi minorum gentium Dijs more hominum conſopitis, pro Achillis tuenda dignitate ſolus excubat, & ſomnium adornat, quo dormiturientem Agamemnonem, ad pugnam capeſſendam adhortetur. Immo ſomnium ipſum à Ioue fabrefactum Neſtoris ſpeciem mentitur, & Græcorum Imperatorem humaniter increpat, quod liberalius quieti ſe daret, quam Principem tot bellorum periculis diſtentum deceret. egregium ſane documentum, in Rempublicam à Platone, in Orationem de Ageſilao à Platonis æmulo Xenophonte translatum. Turpe nimi-

Vide Hom. Il. β.

nimirum arbitrabantur, orientis ſolis radios ad ſomni vmbras diſcutiendas expectari, cum præuertendus potius eius exortus videatur; vt noctis patrimonio vigilantia circumſcripto, quantũ de illo licet ttansferamus in diem, vitæque ſpatium extendamus. Quid hic Valetudinarius, cui laborioſa negotiorũ moles incumbit? excuſſo dormiendi ſatietate iam ſomno, vtrũ tamen adhuc ſurgendum ſit, ſua cũ inertia deliberat; atque vt animi veſtigia corpus non raro ſubſequitur, alternum ſæpe reuolutus in latus, nutantis incertitudinem ſententiæ altius in lecto defigit. Mox de cœli facie quæſtionem inſtituit, & delatores interim in aperta ſubmittit, qui de ventorum afflatu, de nebulæ pertinacia, de nubiũ volatu conijciant. Atqui poſtquam amica omnia, atque tranquilla coniectores retulerunt, vnum tamen adhuc ſupereſt, quod cubantem excruciet. Nimirũ nondum altius prouectus eſt ſol; dubium autem immaturæ crepuſculum lucis, certiſſimum capiti exitium maturaret. Excoquendum ſcilicet aeris vitium ſolis ardore, humidæque vapores noctis calore ſiccandi, antequã caput tot curis grauidum, in apertum producas. Quid enim ſi humente adhuc aere madefactum, perniciem imbibat,

quam ad oculos,denteſque tranſmittat? quid ſi contractum matutino frigore cerebrum,in fluores exprimatur,quibus deinde pulmones anhelent? vtendum igitur adulti iam ſolis beneficio, cuius vitali vi rareſcente caligine, humanum etiam corpus hilareſcit. Nec de rebus agendis interea magnopere laborandum cum illud vnum negotium maximè negotioſum ſit, quo valetudinis indemnitati conſulitur;huic cætera omnia,velis, nolis inniti. ſemel enim collapſa valetudine reliqua peſſum dari. Macte tam nobili vitæ traducendæ doctrina, quiſquis es tandem, qui linteatus philoſopharis in lectulo. Gratulor tibi ingenium verè lucidum, indolemque ſolarem. Iam iam aderit toto cum curru ſuo ſol, & Memnoniam hanc ſtatuam, quæ ſine ſolis luce vocalis eſſe non poteſt, in bono lumine collocabit. Ego interim è tantis tenebris libenter emergam, & valetudinarij neſcio cuius diſſertationem, non omnino ſomniculoſam excipiam.

Nihil de me, quod magnopere conqueraris habes, inquit non nemo, ſi curandæ valetudini totus immineo;neq; enim Reipublicæ ita traditus ſum, vt alienam ſecuritatem redimendam ſuſceperim curis meis; ſed priuatos intra parietes, modeſtia inuolutus mea, nihil

moliri

moliri magnum cogitationes iampridem docui.

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies.

Senec. in Thyeſte.

ita mihi quotidie viuo, vt ita nō vixiſſe, pœniteat. Nam de priſca in literarum ſtudijs induſtria mirū quantū remiſi; & ingenium quidem natura conceſſerat ad doctrinæ conquiſitionem egregie factū; acutum, volucre, perſpicuum, habile; memoriam vero tam liberaliter indulſerat, vt Hortenſio, Mithridati, Senecæ non inuiderem. Et operæ ſane pretium conſtabat; nam ſiue in rerum à corporis concretione ſeiunctarum contemplatione operam collocarem, ſiue intelligentiæ vim ad amœniora conuerterem, non fruſtra ſuſceptos labores ipſa laborandi iucunditas teſtabatur. Verum vbi ſemel in Platonis Timæum tot, tantiſque doctorum virorū lucubrationibus illuſtre, incogitanter offendi; priſtinus ille dicendi ardor, quo dudum abreptus, nullam quietis partem capiebam, repente deferbuit. Ipſo namque docente, naufragium corporis in animæ malacia formidandum, penitus introſpexi. Anima ſiquidem, ait Plato, corporis vires ſupergreſſa vehementer effertur, ipſum autem languoribus affigit: col-

lectis

lectis enim ad rerum perueſtigationem intelligentiæ viribus, labefactari ſenſim corpus, & colliqueſcere neceſſe eſt. In publicis autem doctrinarum velitationibus, vbi literatæ velificamur ambitioni, corpus æſtuat, atquè reſoluitur; ſæpiſſimè vero defatigato iam cerebro fluxus è capite ad obruendam totius corporis valetudinem exundant. Hæc ego apud Platonem cum legerem primo cohorrui. neque enim ad eam diem tam prępoſterum ſperare potueram fructum laboris mei; vtcumque enim pernox, & perdius ad ſtudia contumaciter incubuiſſem, nihil vnquam de valetudine decerptum, libatum nihil experimento didiceram. Atqui à viro ſapientiſſimo ſemel admonitus, cautius in poſterum vires corporis explorandas ſuſcepi; ne ſub iucundo diſcendi onere frangerentur, atque fatiſcerent. Vix ergo libros attigeram, cum incaleſcere ſenſim tempora; caput nutare vertigine; tentari oculos offuſione tenebrarum; paulo poſt ita concuti pectus tuſſi, vt eius violentia pene diſſiliret; frigeſcere ſtomachũ, cibiſq; conficiendis imparem eſſe. quid multis opus eſt? benè longam morborum iliadem, ex vna Iliadis Homericæ lectione contraxi. Tunc enimuero adorare libuit Platonis diuinitatem, qui clan-

clandeſtinam tot ſimul hoſtium conſpirationem, ſub doloſa literarum ſuauitate latitantem, dexteritate mirabili detexit, diſiecit, oppreſſit, ex eo quid ego ætatis florem ad literarum ſpineta lacerarem, vireſque corporis inutili neſcio cuius doctrinæ opinione contererem? Quid vmbratilis ſcientię nomen ægritudinis pretio compararem? an tanti eſt, quid Ariſtoteles, quid Plato, quid Tullius olim ſomniarint didiciſſe, vt eorum ſomnia vigilijs meis mercari debeam? exeſis ſcilicet aſſiduo labore Pectoris venis ſanguine litandum Palladi? phthiſi mihi ſtabit acquiſitio doctrinarum? doctus eſſe non poſſum, niſi angoribus, ac morbis erudiar? faceſſat hinc potius cruenta iſthæc Mineruæ diſciplina, cui non aliam exercitationem debeo, quam corporis carnificinam: tyrannidis, quam in corpus animus exercet inhumanitas exarmetur: res ſuas ſibi habeat animus; corporis valetudinem, quam reparare proſtratam, iacentemque non poteſt, nolit ſtantem, integramque conuellere; quid inane mihi virtutis nomen obtruditur, quæ ſanitatem perditum erat? nunquam vera virtus cum crudelitate coniuncta eſt; nunquam alienis calamitatibus paſcitur; nunquam alitur cadaueribus.

bona

bona verba, mi homo; ſiſte. declamatũ eſt ſatis; deliratum vero etiam pluſquam ſatis. ſanguinem, cui tantopere parcendum ais, excreabis, diutius inſanire ſi pergas. Paucis ego te volo, ſed moleſtiſſimè tecum agam. Dic humaniter ſodes; ſic te ſuperi ſoſpitem, & bene valentem velint, dic amabò. Intelligis ne corpus animi mancipium eſſe? intelligis animum in corpore, tanquam in domicilio collocatum, dum à mortalitatis peregrinatione redux in patriam redeat? Non inficiaris opinor, nam ſi diuinæ obluctareris veritati, furioſe delirares, non argute diſſereres. Animus ergo corporis moderator, & princeps diuinitus conſtitutus, illo tanquam mancipio, & domicilio vtitur; fatendum eſt. Atqui iam tandem reddam tibi voces tuas impure. Ergo tam grandem pro domicilio conducto mercedem corpori dependet animus? ergo vt decor & robur lapſabundo conſtet hoſpitio, immortalis hoſpitis forma, & vires atterentur? ſupplicabit animus corpori, & principatus ſui iura tranſcribet in ſeruum? omnia virtutum ornamenta ad mancipij pedes abijciet? an tanti eſt qualem, qualem valetudinem corporis intactam velle, vt illam per temperantię iugulum petendam putes? feliciter non

De hoc argumento vide Theophil. Raynaud. lib 6. de virtut. & vitijs an. 50. & ſeq.

viuet

viuet corpus, niſi animus infeliciter pereat? vſque adeo ne viles ſumus, vt ſordidam mancipij tyrannidē feramus? vſque adeo ne priſca in nobis virtus elanguit, vt lacrimabilem animi calamitatem vlciſci non poſſit? Atque vt cætera deſint omnia, vſque adeo ne mori miſerum eſt? & cur vitam naturæ debitam virtuti non reddimus? Ignoſcite quæſo vos iuſtiſſimo dolori meo, nec me per imprudentiam eo fœde prolapſum ſuſpicemini, vt ex decreto Stoicorū mortem vltro accerſendam putem. Non ſum tam impius, A A. mihi credite, non ſum. Illud tamen ſine intimo ſenſu doloris diſſimulare non poſſum, tot, tantiſque tuendæ valetudinis impendijs, animi vires eneruari, quas ipſius valetudinis diſpendio, ſi viri ſumus, ſolidatas oporteret. Senſit hoc ingeniorum faſtigium Plato, qui, vt Baſilius autor eſt, ad excitandam Academiam clementiſſimi aeris temperiem auerſatus, eam conſulto loco ſatis inſalubri collocauit, vt afflictæ valetudinis veneficio corporis petulantia perdomita, expeditus, ac leuis animus, per amœna ſapientiæ viridaria vagaretur. Senſit hoc Plinius conſulatu, & eloquentia nobilis, cuius breuis ad Maximum epiſtola, prolixas philoſophantū

di-

diſputationes æquauit: *Nuper me cuiuſdam amici languor admonuit, optimos eſſe nos dum infirmi ſumus, quem enim infirmum aut auaritia, aut libido ſollicitat?* Senſit hoc ſanctimonia pariter, atque doctrina inclytus Ambroſius, cuius præclara illa ad populum documenta ſunt: *contraria ſtudioſis diuinæ cognitionis præcepta ſunt medicinæ, quæ à ieiunio reuocant, lucubrare non ſinunt, ab omni intentione meditationis abducunt*. Senſit hoc Innocentius hoc nomine tertius, Romanus Pontifex, in ampliſſimo Epiſcoporum conuentu, dira omnia pro poteſtate medicis imprecatus, qui aliquid ad corporis valetudinem excogitaſſent, quod animum in diſcrimen adduceret. Senſit hoc Ioannes Luſitanus, & Regis filius, & ſacroſancti ordinis veſtri purpuratus, Patres Emin. & quod omnem poſteritatis fidem ſuperabit, pulcherrimus adoleſcens, cui enim grauiter ex moleſtiſſimo morbo laboranti, medicus ingenio meliore, quam fide, perſuadere conaretur, vt ſi ſaluus eſſe vellet, aliquid de caſtitatis ſtudio remitteret; maluit egregius, & vere regius animus virtute mortem, quam ſcelere valetudinem paciſci. Ecquis ergo mihi de circumforanea circulatorum ſtirpe Podalirius, inauſpicatum illud car-

carmen identidem ingerit, Valetudinem cura diligenter; hoc eſt, ſi Deo placet, in animi contumeliam licentiam corporis exacue. Verè enim Pythagoras, atque ſapienter, eorum deteſtabatur ſtoliditatem, qui curis omnibus ad corporis incolumitatē traductis, firmiorem in dies animo carcerem compingerent. Quid quod inuerſo rerum ordine lucra damnis, non lucris damna penſamus; dum valetudinis commodum animi iactura mereamur; valetudinem autem, quæ tanti ſteterat imprudentibus, res omnium viliſſimæ, hoc eſt voluptates emuntur; vt pretioſe ſcilicet pereamus, dum exitij noſtri pretium animo ipſo dependimus. Abeant ergo ſua cum valetudinis cura intemperantiæ atque deſidiæ curatores; etſi ſanitatis, quam alijs augurantur, beneficio frui cupiunt, caput nullis ſanandum Anticyris, vanis rerum opinionibus abſoluant. Vbi enim ſemel conceptam ægritudinis opinionem exuerint, bene valentes ſe, nullisque obnoxios medicorum cruciamentis, ſi non intelligent, ſentient.

De

De concordi in animi ſimul & corporis tuenda Valetudine diligentia.

PROLVSIO SEPTIMA.

NImirum hoc vnum deerat laboribus meis, vt in Auditorum offenſionem incogitanter incurrerē; & quod maximè formidandum eſt, medicorum in me odia, nullo licet meo merito, deriuarem, Viri non virtute minus, quàm purpura Illuſtriſſimi, & tamen ita video contigiſſe. Multus enim de poſtremis diſſertationibus meis vbique ſermo. Aiunt me in medicos, artemque medicam contumeliosè peccaſſe, cùm Valetudinis curam, ipſo naturæ præiudicio neceſſariam, in concione traduxi. Inconſultum me omniſque humanitatis expertem, qui caducam mortalium conditionem præſidio tam ſalutari deſtitutam volui: longius obtrectandi libidine prætervectum, non tam ex præſcripto veritatis ingeniosè, quàm ex ingenij licentia captiosè, aduerſus valetudinis curam peroraſſe, Nouum repente me Theſſalum Hippocratis calumniatorem extitiſſe, dignum qui Galeni alicuius contumelijs vapularem, ſtyloque confoderer. Quid multa? oſorem corporis, ſanitatis euer-

euerſorem, vitæ hoſtem, ſalutis inimicum, humani generis parricidam, & planè myſanthropum exclamant, febriculoſum morborum omnium patrocinium ſuſcepiſſe, eoque nomine vertigines, dolores, tabes, deliria, peſtes omnes, & ſi quid eſt peſtilentius peſte, promeritum. meliora ſuperi: nam ſi peruerſa iſthæc iratorum homiuum vota valent, ego hodie fortunam abſolui; neque enim euenturam mihi, hoc anno, vberem meſſem mali, cum Plautino Trachalione timere poſſum; ſed efficaci, atque celerrimo medicorum ſuffragio iam nullus ſum. malè ominatis tandem verbis, ò quiſquis es, parce. ego etiam homo ſum, humani à me nihil alienum puto, vt ait Terentianus Chremes. Corpus, quo me natura circumdedit, vt nobiliſſimum peregrinantis animæ diuerſorium, qua decet charitate: complector firmam illius, conſtantemque valetudinem, vt neceſſarium humanæ peregrinationis viaticum ſumma fide tueor, atque cuſtodio; vita, quam rerum omnium conditor mortalibus commodauit, non libenter vtor modo, ſed fruor etiam iucundiſſimè: artem medicam veneror, medicos amo. quid quæris? Animi ſanitatem hactenus, non corporis carnificinam quæſiui;

Nam

Nam nec me genuit ſola ſub rupe leæna,
Nec mare conceptum ſpumantibus expuit vndis.

Quòd ſi tamen adhuc iraſci contumaciùs pergis, & Gratidiam iſtam, ſiue mauis Canidiam tuam, hoc eſt anxiam in curanda valetudine diligentiam, recantatis opprobrijs placandum cenſes, conditionem libenter accipio; & cæcitatem deprecatus in primis, alter ex improuiſo Steſichorus, deuotam Helenæ tuæ palinodiam, hodierna diſſertatione pronuntio. Vos igitur obteſtor, quotquot adeſtis omnes, Valetudinis curam humano generi neceſſariam diligenter ſuſcipiendam eſſe conſtituo: & ne quis forſitan ſe non audiſſe conqueri poſſit, magna iterum contentione vocis edico, diligenter curandam eſſe valetudinem, cuius veluti numini cùm exactas paulò ante ferias, quæ nomen à potionibus inuenerunt, veteres Academiæ moderatores ſapientiſſimè conſecrarint: ego etiã illi, non pharmacis quidem, vt multi, ſed primò cum Eupulo apud Athenæũ, poculo propino; vt hoc veluti ſymbolo, in gratiam me bona fide cum medicis rediјſſe, ex multorum conſuetudine populorum, palam, aperteque profitear. Et quoniam ea hactenus inuidia apud pleroſque laboraui, vt omni prorſus ab-

' *Dio Chryſoſt. in Troiana. Iſocrates in Enco. Helenæ. Plato in Phedro Pauſã. in Laconicis,*

dicata corporis cura, totum me in obſequium animæ tranſiſſe iactarent; operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi corporis patrocinio ſuſcepto, ab anima rectam curandæ valetudinis rationem auſpicarer. Et ſane ita eſt AA. Quemadmodum in virtutis adipiſcendæ ſtudio opinionum nos moſtra plerumque tranſuerſos agunt, ita in procuratione valetudinis intemperijs non raró, imaginatricis facultatis eludimur. Sed & hæc peculiaris animæ adminiſtra, & intelligentiæ ea rerum ſimulacra intuenda proponit, quæ corporis ſenſus, dum obiectis ſibi rebus, tanquam exploratores imminent, hauſerant priùs, & communi quem dicunt ſenſui, qua poterant fide, tradiderant. Verùm hæc præclaro in obeundo munere, viribus ſuis iam licenter abutitur, vt ſæpiſſimè recta detorqueat, ordinata confundat, diſſipet ſociata, disiecta coniungat, obſcuret illuſtria, alta deprimat, extollat humilia, omnia ſuſque deque permiſceat. Hæc nimirum præclara vanitatis artifex, inuerſis rerum, quas acceperat, imaginibus, Centauros, Sphyngas, Geriones, Chymeras effingit; hæc abſurdiſſimas rerum ſpecies ingenioſa ſomniorum machinatrix efformat; hæc prodigioſis rerum ſimulacris corporis ſenſus eludit;

De Phãtaſ. vide S. Tho. 3 p. q. 13. a 3. in reſp. ad 3. & l. 3 cont. Gent. c. 103. Picus lib. de Ima. Ficin. l. 13. Theolo. Platon. Valeſ. de ſacr. Philoſ. cap. 11. Conimbr. in 7. Phyſic. c 2. q. 1. a 7. Delrius diſ. Mag. l. p. c. 3. q. 2.

hæc

hæc admirabiles perturbationum animi ſeditiones, mutuſque ſollicitat; hæc mentem mendacibus veritati s laruis excæcat; hæc homines inaniſſimi obiectu metus, atque mœroris infringit; hæc animum ſpectrorum terriculamentis exterret; & quod maximè ad rem facit, hæc morborum, atque ægritudinum opinionibus valetudinem ipſam labefactat, atque proſternit. Neque hæc ſequius accipiantur à vobis, Viri ſapientiſſimi. Imaginatricis facultatis non tam vires, quàm inſidias, oratione dum perſequor, non ego eorum deliramentis aſſentior, qui præſtigiatricem hanc in hominibus Circem, diuina penitus poteſtate donarunt. Scio ex illorum ſententia, Phantaſiam tempeſtates excitare; ciere tonitrua; nubes in nimbos exprimere, terram motu concutere; in turbinem coactum aerem circumrotare; faſcino infantum præſertim membra corrumpere; metalla, plantaſque compingere; mutas animantes animate; angues ſuis è latebris euocatos in circulũ cogere; ferrum vulneribus pertinaciter infixum auellere; morbos ab ægrorum corporibus abigere; atque illos cum libet in corpora rurſus accerſere; oracula reddere; vaticinandi vim mortalibus inſpirare. Hæc inquam, & huiuſmodi ſex-

Perer. in c.30. Geneſ. diſp.3. & 4. VVeinrich. de ortu mõſtrorum c. 17. Author medit. hiſtor. centur. 1. c. 54. Marcel. Donat. Medit. hiſtor. Mirab. l.2. c.1. Auicen. 4. naturalium 6. & poſt illum Pomponat. & Monta. apud Marcel. Dona. d. c.1. l.2. Mõt. in Comm. in 2. fen. 1. Auicen.

ſexcenta opinionum monſtra, ab Auicenna præſertim literis tradita impudentiſſimis, non admiror ego, ſed execror; & proteruam ingeniorum licentiam tam impiè, atque adeò tam impunè delirantem, deteſtari, vt debeo, poſſum, vtinam & coercere liceret, vt vellem. Nec ideò impuris ſophiſtarum minis abſterreor, aut eorum contumelijs ab infixa altius opinione dimoueor. In eorum, vt libet, numerum me referat Auicenna, qui ſacroſancta, ſcilicet, arcanæ philoſophiæ documenta præ ingenij imbecillitate non capiunt; ego illum hac in re nec philoſophum, nec medicũ, ac ne hominem quidem, hoc eſt rationis compotem, eſſe, perſuaſum habeo: niſi forte hoc etiam imaginatricis facultatis prodigium planè ſingulare, accedat ad reliqua, vt Auicennam, doctum alioquin hominem, de mentis poteſtate deiecerit. Atqui, vt hæc vera ſint omnia, illud ſanè non inficior, quod communi rectè ſentientium philoſophorum decreto ſancitum eſt, & Diui Thomæ, hoc eſt veræ Theologiæ ſuffragio comprobatum; Phantaſiam in corpus, vt ipſi loquuntur, imaginantis, ea omnia præſtare poſſe, quæ certo quodam ordine ad illam naturæ lege referuntur: Hinc frigoris, caloriſque vires, vel acuit, vel retundit; &

[r] *Vide Danatũ vbi ſup.*

Vide Delr. & Perer. locis citatis.

(quæ inde conſequuntur in corpore viciſſitudines) valetudinem modo erigit iam proſtratam, modo ſolidam, conſtantemque conuellit. Quos verò in perſuaſionibus ludos ludit, varietate multiplices, viribus efficaces, nouitate mirabiles, ſpecie ioculares, materia ſæpè ridiculos, detrimento ſemper luctuoſos? Hic enimuero liberaliùs exerit ſeſe; hic de Viris etiam opinione ſapientiæ inclytis glorioſè triumphat. A propoſito non aberrabo, nec me argumenti licet iucundiſſimi lenocinio, longiùs abſtrahi patiar, quàm par eſt; quædam tamen leuiter delibabo, quibus palam fiat, quã turpiter nobis, in vno valetudinis negotio, imaginatrix animi facultas imponat. Prætereo hic, non ſuburranum, ſed Ferrarienſem Piſtorem, ſolis igniſq; conſpectum ſtudioſè declinantem; ne ſcilicet butyro, quo ſe compactum putabat, vi caloris liqueſcente, totus ipſe difflueret. Omitto truncum illud, & ſine nomine, hoc eſt ſine capite (vt ipſe dicebat) corpus, quod vbi plumbeum induit pileum, leuitatem mentis tanti monitu ponderis abiecit: cui hanc gratiam geſtatus olim pileus rependit, vt infelix homunculus capitatum ſe à pileo diſceret, non à cerebro; immo caput ipſum à pileo acciperet, quod cerebro

Donat. c.1. lib. 2.

com-

commodaret. Prætermitto lepidam neſcio cuius ſtoliditatem, ſuſpenſo ſemper gradu timide incedentis, occurſanteſque ſummouentis, ne ſcilicet frangeretur, nam vitreum ſe putabat; auerſabatur ſine dubio Iudæos,

Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutant vitreis.

Nec paſſerculos in hominis capite, tanquam in cauea fringultientes; nec ranas in ventre coaxantes audire libet; ſed vnam tantum ab eruditiſſimis Marcelli Donati commentarijs hiſtoriam commemorabo. Hominem narraui olim ſi meminiſtis, Phantaſiæ præſtigijs improbe circumuentum, pane diutius eo nomine abſtinuiſſe, vt ſubortam ab ſe coaleſcentis ſuſpicionem calculi remoueret. Ita plane res eſt: illum ego familiariter noui, & non auaritus, ſed oculatus rei teſtis, nec falli potui, nec fallere volui. Sociũ illi nunc tandem dabo, Phantaſiæ intemperijs plane geminis agitatum; qui non abſtemius modo, ſed etiam ſiccus, omnem auerſabatur bibendi mentionem, quantumlibet æſtuaret; cauſam quæritis opinor, nam ſapientum, hoc eſt Veſtri ſimilium, iſte mos eſt. accipite. Nimirum lateritium ſe putabat, ideoque grauis illum metus inceſſerat, ne humore paulatim diſſo-

lutus lutulentum efflueret in liquorem. Cogitatio, vt videtis, plena maturitatis, plena iudicij. Huius nunc ergo inſaniam cum illius ſtupore conferte, ſi libet; vtrobique ludentis, & illudentis Phantaſiæ in homines contumeliam, pro veſtra humanitate deplorabitis. Ille panem deteſtatur, ne obdureſcat in lapidem; hic potum exhorreſcit, ne colliqueſcat in lutum: duritiem ille viſcerũ emollire panis exilio voluit; teneritudinem hic membrorum ſolidare potus abſtinentia cogitauit: valetudinem ille, ſi comederet, dilapidabat; hic lutabat ſi biberet: oderat ille firmitatem corporis, hic amabat: vtrumque deridendum Phantaſia ſpectatoribus propinauit, ſed in illum lapides, in hunc lutum, pari ſcurrilitate coniecit: vterque tandem turpiter cecidit, ſed ille, quia impegit in lapidem, hic, quia titubauit in luto. Ita ne vero? vt tam pudendis rerum ludibrijs pateat nobiliſſimum, & cœlo natum genus humanum? vt intelligentia, diuina pars animæ, iſtiuſmodi opinionum portentis agatur? vt homo animal admirandum, in quotidiana vitæ conſuetudine tam ſtultè deſipiat? & tamen ita plerumque contingit. Diligentes illi valetudinis curatores, imaginatricis inſidijs opportuni, morborũ

laruas

laruas, quibus exterreantur, ſibi ſpontè componunt; & ſæpiſſimè non tam ægritudine, quam ægritudinis opinione torquentur. Hinc ſuſpicioſa illa vitæ ratio, omnia reformidantis: hinc moleſtiſſima in ciborum delectu ſuperſtitio: hinc iuratæ cum aere, ac ventis inimicitiæ: hinc frequentiſſimum cum lunæ incrementis, decrementiſque commercium: hinc deſidioſus otiandi labor; hinc rurſus actuoſum laborandi otium: hinc denique ancipitis angores vitæ, inter mille opinionum cruciamenta infeliciter fluctuantis. Valetudinem ergo tibi curandam diligenter aio; ita tamen ſi Phantaſia non febricitet, ſed arteria: ſi calore viſcera torreantur, non æſtuet opinationibus caput: ſi doloribus cruciari te non ſuſpiceris, ac ſentias. Exuenda nimirum peruerſa iſtæc, vel impendentis, vel abſtruſæ ægritudinis perſuaſio, vt animus ad omnia ſumma fictus à Deo, & ipſius diuinitatis capax, minuta tuendę valetudinis ſollicitudine defatigatus, in rerum contemplatione, in conquiſitione virtutum, in ſtudijs doctrinarum, curis ſolutus omnibus conquieſcat.

Phantaſiæ autem ſpectris ope veritatis eluſis, tunc enimuero in corporis valetudine procuranda operam nauiter

impendendam, ipſa nos docent humani-
tatis iura, non adſcita, ſed inſita, non-
ſcripta, ſed nata. Nec rigidum illud
animi in corpus imperium tam incle-
menter aſſerendum eſt, omnem, vt cor-
pori libertatis, & vitæ vſum diuinitus
ademptum putemus. appelletur illud
quidem à ſapientibus carcer, ſpelunca,
vinculum, laqueus, ſepulchrum animæ;
nam apoſtolica ſententia Dei templum
eſt, inquit Aphrorum doctiſſimus Ter-
tullianus. Nec ſine corporis præſidio
vim ſuam, quantumuis è cœlo hauſtam,
exerere poteſt anima, dum adhuc pere-
grinatur, quoniam poteſtas animæ vno
voluntatis termino definitur; agere
verò corporis miniſterio continetur, vt
docet Clemens Alexandrinus. Elegan-
tiſſimè in hoc mortalis vitæ ſtadio à
Platone alicubi deſcribitur aurigatio;
verum in illa numquam currus modera-
tricem animam cogitatione requires,
quin tibi ſtatim currus ipſe, hoc eſt
corpus, incurrat in oculos: cuius ab ſo-
cietate ſi diuelli ſe, ac diſtrahi anima
patiatur, quemadmodum diſſiliente
curru proſternitur agitator, ita illa, in
medio, quaſi curſu mortalitatis deiecta
in alium erumpit orbem, corporis
tamen ſui coniunctionem præſtolatura.
Vnio quidē eſt anima, & ſpecie pulcher-
rimus,

rimus, & pretio admirabilis, omnibus Cleopatræ profuſionibus maior; verum oſtreato tegitur corporis inuolucro, quod illi ad tutelam ſcilicet Plato, atq; ex Platone Nazianzenus compoſuere. Quod ſi hominem ideo conditum à Deo viri ſapientia pariter, atq; ſanctimonia inclyti prodidere, vt in conditoris obſequiũ ſemper intentus, illius laudes voce ſimul, ac moribus modulatè concineret; quo illum artificio tanto muneri pari natura donauit? quibus modulationis characteribus erudiuit? quo muſico locupletauit inſtrumento? Nam Academicorum illam à Pythagoreis proſeminatam harmoniam animæ, vt fabulis aniliter implicatam, hoc loco non moror. Et tubam quidem Etruſcos, Arcades fiſtulam, Cretenſes lyram, tibiam Lacedæmonios, cornu Thraces, tympanum Ægyptios, Arabes cymbalum in muſicis adhibuiſſe, diſcimus ab antiquis. Verum anima his omnibus deſtituta quid aget? O tuam in arte muſica diuinitatem! Dauid Regum Poeta, Poetarum Rex: *Laudate*, inquit, *eum in chordis, & organo*: in quem locũ ad rem, de qua diſputo, ſatis accommodatè præclarus rectè ſentiẽdi artifex, & magni magiſter Origenis, Clemens Alexandrinus: *organum dicit corpus*

De qua Plutar. Clem. Alex. l. 2. Pædagogi ca. 4.

noſtrum, & chordas eius neruos, per quos numeroſè, & concinnè intenditur: quam in Clementis ſententiam nobiliſſimi Latinorum Patres Hilarius, & Ambroſius conceſſere. His ita conſtitutis ſeriò nobis aduertendum eſt, corpus animæ ſocium, atque adminiſtrum, ſine animæ ipſius iniuria negligi, nedum labefactari non poſſe. Vtriuſque igitur ſanitati diligentius imminendum, vt alternis ad virtutem operis ſtudiosè conſpirent, vireſque non diſtrahant, quas ad benè beateque viuendum natura in nobis conſentientes eſſe voluit, atque conflatas. Docuit id luculenta ſane diſputatione in Timæo Plato; qui vbi pluribus de mutua corporis animæque temperatione dixiſſet, atque ex ea integram totius hominis pulchritudinem effloreſcere pronuntiaſſet: *vna demum eſt*, ait, *ad vtrumque ſalus & conſeruatio, vt neque animam ſine corpore, neque corpus abſquè anima moueamus: vt mutua contentione, exæquatis inuicem viribus inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur*: Quotieſcumque igitur tuendę ſanitatis ſollicitudo nos vellicat, animã ſubitò conſulamus; quæ ſi à conquiſitione virtutis, à bonarum artium ſtudijs à neceſſarijs Reipublicæ curis, à mentis tranquillitate, auocari ſe iſtiuſmodi dili-

ligentia, induſtriaque non ſentiet, tunc enimuero naturæ beneficijs vtamur licet, & corporis valetudinem reponamus in lucro. Immouero ſi nimium ſibi indulgens anima, & contubernalis oblita, in corporis ægritudine valetudinem videbitur poſuiſſe: ſi perpetua rerum contemplatione cerebrum fluoribus inundabit, caput vertigine circumuoluet, defectum calore ſtomachum conficiendo cibo imparem reddet: ſi ſpiritibus continenti defatigatione vaneſcẽtibus totius corporis robur elidet: ſi ſanguine venas exhauriet; ſi pallore, ac macie membra conficiet: ſi denique vitam è vitæ ſedibus expellere, reſolutis labore viribus meditabitur; tunc animã opportunè corpus admoneat, & ad mitiora amicæ ſocietatis officia, queribunda oratione traducat.

Corpus pro anima alloquitur.

Quid miſerum excrucias, ingrata ò corporis hoſpes:
Quidue iubes victum ſuccubuiſſe malis?
Scilicet vt dubio ſemper caſura ſub ictu
Æſtuet ancipiti vita trahenda metu?
Semper vt immeritis angoribus ægra labaſcat,
Et gemat infauſtas flebilis ire dies?
Ergo nulla potes monumenta inſcribere chartis,
Ni calamo è laſſo corpore ſudor eat?

S. Bernard. ſerm. 6. de Aduentu Domini Animã vero corpus alloqui

Perer. in c.30. Geneſ. diſp.3. & 4. VVeinrich. de ortu mõſtrorum c. 17. Author medit. hiſtor. centur. 1.c. 54. Marcel. Donat. Medit. hiſtor. Mirab. l.2. c.1. Auicen. 4.naturalium 6.&poſt illum Pompo-nat. & Monta. apud Marcel. Dona.d. c.1. l.2. Mõt. in Comm. in 2. fem.1. Auicen.

hæc admirabiles perturbationum animi ſeditiones, mutuſque ſollicitat; hæc mentem mendacibus veritatis laruis excæcat; hæc homines inaniſſimi obiectu metus, atque mœroris infringit; hæc animum ſpectrorum terriculamentis exterret; & quod maximè ad rem facit, hæc morborum, atque ægritudinum opinionibus valetudinem ipſam labefactat, atque proſternit. Neque hæc ſequius accipiantur à vobis, Viri ſapientiſſimi. Imaginatricis facultatis non tam vires, quàm inſidias, oratione dum perſequor, non ego eorum deliramentis aſſentior, qui præſtigiatricem hanc in hominibus Circem, diuina penitus poteſtate donarunt. Scio ex illorum ſententia, Phantaſiam tempeſtates excitare; ciere tonitrua; nubes in nimbos exprimere, terram motu concutere; in turbinem coactum aerem circumrotare; faſcino infantum præſertim membra corrumpere; metalla, plantaſque compingere; mutas animantes animate; angues ſuis è latebris euocatos in circulũ cogere; ferrum vulneribus pertinaciter infixum auellere; morbos ab ægrorum corporibus abigere; atque illos cum libet in corpora rurſus accerſere; oracula reddere; vaticinandi vim mortalibus inſpirare. Hæc inquam, & huiuſmodi ſex-

ſexcenta opinionum monſtra, ab Auicenna præſertim literis tradita impudentiſſimis, non admiror ego, ſed execror; & proteruam ingeniorum licentiam tam impiè, atque adeò tam impunè delirantem, deteſtari, vt debeo, poſſum, vtinam & coercere liceret, vt vellem. Nec ideò impuris ſophiſtarum minis abſterreor, aut eorum contumelijs ab infixa altius opinione dimoueor. In eorum, vt libet, numerum me referat Auicenna, qui ſacroſancta, ſcilicet, arcanæ philoſophiæ documenta præ ingenij imbecillitate non capiunt; ego illum hac in re nec philoſophum, nec medicũ, ac ne hominem quidem, hoc eſt rationis compotem, eſſe, perſuaſum habeo: niſi forte hoc etiam imaginatricis facultatis prodigium planè ſingulare, accedat ad reliqua, vt Auicennam, doctum alioquin hominem, de mentis poteſtate deiecerit. Atqui, vt hæc vera ſint omnia, illud ſanè non inficior, quod communi rectè ſentientium philoſophorum decreto ſancitum eſt, & Diui Thomæ, hoc eſt veræ Theologiæ ſuffragio comprobatum; Phantaſiam in corpus, vt ipſi loquuntur, imaginantis, ea omnia præſtare poſſe, quæ certo quodam ordine ad illam naturæ lege referuntur: Hinc frigoris, caloriſque vires, vel acuit, vel retundit; &

r Vide Danatũ vbi ſup.

Vide Delr. & Perer. locis citatis.

(quæ inde conſequuntur in corpore viciſſitudines) valetudinem modo erigit iam proſtratam, modo ſolidam, conſtantemque conuellit. Quos verò in perſuaſionibus ludos ludit, varietate multiplices, viribus efficaces, nouitate mirabiles, ſpecie ioculares, materia ſæpè ridiculos, detrimento ſemper luctuoſos? Hic enimuero liberaliùs exerit ſeſe; hic de Viris etiam opinione ſapientiæ inclytis gloriosè triumphat. A propoſito non aberrabo, nec me argumenti licet iucundiſſimi lenocinio, longiùs abſtrahi patiar, quàm par eſt; quædam tamen leuiter delibabo, quibus palam fiat, quã turpiter nobis, in vno valetudinis negotio, imaginatrix animi facultas imponat. Prætereo hic, non ſuburranum, ſed Ferrarienſem Piſtorem, ſolis igniſq; conſpectum ſtudiosè declinantem; ne ſcilicet butyro, quo ſe compactum putabat, vi caloris liqueſcente, totus ipſe difflueret. Omitto truncum illud, & ſine nomine, hoc eſt ſine capite (vt ipſe dicebat) corpus, quod vbi plumbeum induit pileum, leuitatem mentis tanti monitu ponderis abiecit: cui hanc gratiam geſtatus olim pileus rependit, vt infelix homunculus capitatum ſe à pileo diſceret, non à cerebro; immo caput ipſum à pileo acciperet, quod cerebro

Donat. c.1. lib. 2.

com-

commodaret. Prætermitto lepidam neſcio cuius ſtoliditatem, ſuſpenſo ſemper gradu timide incedentis, occurſanteſque ſummouentis, ne ſcilicet frangeretur, nam vitreum ſe putabat; auerſabatur ſine dubio Iudæos,

Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutant vitreis.

Nec paſſerculos in hominis capite, tanquam in cauea fringultientes; nec ranas in ventre coaxantes audire libet; ſed vnam tantum ab eruditiſſimis Marcelli Donati commentarijs hiſtoriam commemorabo. Hominem narraui olim ſi meminiſtis, Phantaſiæ præſtigijs improbe circumuentum, pane diutius eo nomine abſtinuiſſe, vt ſubortam ab ſe coaleſcentis ſuſpicionem calculi remoueret. Ita plane res eſt: illum ego familiariter noui, & non auaritus, ſed oculatus rei teſtis, nec falli potui, nec fallere volui. Sociũ illi nunc tandem dabo, Phantaſiæ intemperijs plane geminis agitatum; qui non abſtemius modo, ſed etiam ſiccus, omnem auerſabatur bibendi mentionem, quantumlibet æſtuaret; cauſam quæritis opinor, nam ſapientum, hoc eſt Veſtri ſimilium, iſte mos eſt. accipite. Nimirum lateritium ſe putabat, ideoque grauis illum metus inceſſerat, ne humore paulatim diſſo-

lutus lutulentum efflueret in liquorem. Cogitatio, vt videtis, plena maturitatis, plena iudicij. Huius nunc ergo inſaniam cum illius ſtupore conferte, ſi libet; vtrobique ludentis, & illudentis Phantaſiæ in homines contumeliam, pro veſtra humanitate deplorabitis. Ille panem deteſtatur, ne obdureſcat in lapidem; hic potum exhorreſcit, ne colliqueſcat in lutum: duritiem ille viſcerũ emollire panis exilio voluit; teneritudinem hic membrorum ſolidare potus abſtinentia cogitauit: valetudinem ille, ſi comederet, dilapidabat; hic lutabat ſi biberet: oderat ille firmitatem corporis, hic amabat: vtrumque deridendum Phantaſia ſpectatoribus propinauit, ſed in illum lapides, in hunc lutum, pari ſcurrilitate coniecit: vterque tandem turpiter cecidit, ſed ille, quia impegit in lapidem, hic, quia titubauit in luto. Ita ne vero? vt tam pudendis rerum ludibrijs pateat nobiliſſimum, & cœlo natum genus humanum? vt intelligentia, diuina pars animæ, iſtiuſmodi opinionum portentis agatur? vt homo animal admirandum, in quotidiana vitæ conſuetudine tam ſtultè deſipiat? & tamen ita plerumque contingit. Diligentes illi valetudinis curatores, imaginatricis inſidijs opportuni, morborũ

laruas, quibus exterreantur, ſibi ſpontè componunt; & ſæpiſſimè non tam ægritudine, quam ægritudinis opinione, torquentur. Hinc ſuſpicioſa illa vitæ ratio, omnia reformidantis: hinc moleſtiſſima in ciborum delectu ſuperſtitio: hinc iuratæ cum aere, ac ventis inimicitiæ: hinc frequentiſſimum cum lunæ incrementis, decrementiſque commercium: hinc deſidioſus otiandi labor; hinc rurſus actuoſum laborandi otium: hinc denique ancipitis angores vitæ, inter mille opinionum cruciamenta infeliciter fluctuantis. Valetudinem ergo tibi curandam diligenter aio; ita tamen ſi Phantaſia non febricitet, ſed arteria: ſi calore viſcera torreantur, non æſtuet opinationibus caput: ſi doloribus cruciari te non ſuſpiceris, ac ſentias. Exuenda nimirum peruerſa iſtæc, vel impendentis, vel abſtruſæ ægritudinis perſuaſio, vt animus ad omnia ſumma fictus à Deo, & ipſius diuinitatis capax, minuta tuendę valetudinis ſollicitudine defatigatus, in rerum contemplatione, in conquiſitione virtutum, in ſtudijs doctrinarum, curis ſolutus omnibus conquieſcat.

Phantaſiæ autem ſpectris ope veritatis eluſis, tunc enimuero in corporis valetudine procuranda operam nauiter

impendendam, ipſa nos docent humanitatis iura, non adſcita, ſed inſita, non ſcripta, ſed nata. Nec rigidum illud animi in corpus imperium tam inclementer aſſerendum eſt, omnem, vt corpori libertatis, & vitæ vſum diuinitus ademptum putemus. appelletur illud quidem à ſapientibus carcer, ſpelunca, vinculum, laqueus, ſepulchrum animæ; nam apoſtolica ſententia Dei templum eſt, inquit Aphrorum doctiſſimus Tertullianus. Nec ſine corporis præſidio vim ſuam, quantumuis è cœlo hauſtam, exerere poteſt anima, dum adhuc peregrinatur, quoniam poteſtas animæ vno voluntatis termino definitur; agere verò corporis miniſterio continetur, vt docet Clemens Alexandrinus. Elegantiſſimè in hoc mortalis vitæ ſtadio à Platone alicubi deſcribitur aurigatio; verum in illa numquam currus moderatricem animam cogitatione requires, quin tibi ſtatim currus ipſe, hoc eſt corpus, incurrat in oculos: cuius ab ſocietate ſi diuelli ſe, ac diſtrahi anima patiatur, quemadmodum diſſiliente curru proſternitur agitator, ita illa, in medio, quaſi curſu mortalitatis deiecta in alium erumpit orbem, corporis tamen ſui coniunctionem præſtolatura. Vnio quidē eſt anima, & ſpecie pulcherrimus,

rimus,

rimus, & pretio admirabilis, omnibus Cleopatræ profuſionibus maior; verum oſtreato tegitur corporis inuolucro, quod illi ad tutelam ſcilicet Plato, atq; ex Platone Nazianzenus compoſuere. Quod ſi hominem ideo conditum à Deo viri ſapientia pariter, atq; ſanctimonia inclyti prodidere, vt in conditoris obſequiū ſemper intentus, illius laudes voce ſimul, ac moribus modulatè concineret; quo illum artificio tanto muneri pari natura donauit? quibus modulationis characteribus erudiuit? quo muſico locupletauit inſtrumento? Nam Academicorum illam à Pythagoreis proſeminatam harmoniam animæ, vt fabulis aniliter implicatam, hoc loco non moror. Et tubam quidem Etruſcos, Arcades fiſtulam, Cretenſes lyram, tibiam Lacedæmonios, cornu Thraces, tympanum Ægyptios, Arabes cymbalum in muſicis adhibuiſſe, diſcimus ab antiquis. Verum anima his omnibus deſtituta quid aget? O tuam in arte muſica diuinitatem! Dauid Regum Poeta, Poetarum Rex: *Laudate*, inquit, *eum in chordis, & organo*: in quem locū ad rem, de qua diſputo, ſatis accommodatè præclarus rectè ſentiēdi artifex, & magni magiſter Origenis, Clemens Alexandrinus: *organum dicit corpus noſtrum,*

De qua Plutar. Clem. Alex. l. 2. Pædagogi cap. 4.

noſtrum, & chordas eius neruos, per quos numeroſè, & concinnè intenditur: quam in Clementis ſententiam nobiliſſimi Latinorum Patres Hilarius, & Ambroſius conceſſere. His ita conſtitutis seriò nobis aduertendum eſt, corpus animæ ſocium, atque adminiſtrum, ſine animæ ipſius iniuria negligi, nedum labefactari non poſſe. Vtriuſque igitur ſanitati diligentius imminendum, vt alternis ad virtutem operis ſtudiosè conſpirent, vireſque non diſtrahant, quas ad benè beateque viuendum natura in nobis conſentientes eſſe voluit, atque conflatas. Docuit id luculenta ſane diſputatione in Timæo Plato; qui vbi pluribus de mutua corporis animæque temperatione dixiſſet, atque ex ea integram totius hominis pulchritudinem efflore- ſcere pronuntiaſſet: *vnà demum eſt,* ait, *ad vtrumque ſalus & conſeruatio, vt neque animam ſine corpore, neque corpus abſquè anima moueamus: vt mutua contentione, exæquatis inuicem viribus inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur:* Quotieſcumque igitur tuendę ſanitatis ſollicitudo nos vellicat, animã ſubitò conſulamus; quæ ſi à conquiſitione virtutis, à bonarum artium ſtudijs à neceſſarijs Reipublicæ curis, à mentis tranquillitate, auocari ſe iſtiuſmodi diligen-

ligentia, induſtriaque non ſentiet, tunc enimuero naturæ beneficijs vtamur licet, & corporis valetudinem reponamus in lucro. Immouero ſi nimium ſibi indulgens anima, & contubernalis oblita, in corporis ægritudine valetudinem videbitur poſuiſſe: ſi perpetua rerum contemplatione cerebrum fluoribus inundabit, caput vertigine circumuoluet, defectum calore ſtomachum conficiendo cibo imparem reddet: ſi ſpiritibus continenti defatigatione vaneſcētibus totius corporis robur elidet: ſi ſanguine venas exhauriet; ſi pallore, ac macie membra conficiet: ſi denique vitam è vitæ ſedibus expellere, reſolutis labore viribus meditabitur; tunc animā opportunè corpus admoneat, & ad mitiora amicæ ſocietatis officia, queribunda oratione traducat.

Corpus pro anima alloquitur. S. Bernard. ſerm. 6. de Aduentu Domini Animā vero corpus alloqui

Quid miſerum excrucias, ingrata ò corporis hoſpes:
Quidue iubes victum ſuccubuiſſe malis?
Scilicet vt dubio ſemper caſura ſub ictu
Æſtuet ancipiti vita trahenda metu?
Semper vt immeritis angoribus ægra laßſcat,
Et gemat infauſtas flebilis ire dies?
Ergo nulla potes monumenta inſcribere chartis,
Ni calamo è laßo corpore ſudor eat?

tur apud eũdē ſer. 25. in Cant.

Ergo tibi noſtro vigilabit ſanguine lampas,
Dum tua nocturnus prouocat orſa labor?
Sic tibi, ſic noſtro placet empta dolore voluptas?
Sic placet attritis artubus ægra ſalus?
Vt leuis æternas ſcruteris in æthere cauſas,
Me grauis afflictũ ſarcina ſternet humi?
Parce tuo tandem hoſpitio, parce hoſpita: tanti eſt
Corpus vulneribus non periſſe tuis.
Non ego te patrijs inhiantem demoror aſtris;
Non tibi delicijs obſtruo laudis iter;
Immatura queror triſtis diſpendia vitæ
Dũ iaceo, & viuens funera lenta traho.
Cernis vt ægreſcens, duriſque obnoxia morbis
Palpitat aſſiduo verbere tunſa ſalus?
Cernis, vt exeſos tabes depaſcitur artus?
Cernis vt inficiat luridus ora color?
Tu mihi, tu tantos, ò hoſpes inhoſpita, luctus
Congeris, in morbos officioſa meos.

His autem querimonijs ſi contumax adhuc anima, nihil de ſua in corpus acerbitate remittat, ſed crebris illud morborũm motiunculis, ac tentamentis exerceat, vnum hoc ſolatij genus adhibeamus in loco, quod aſperum ægritudinis morſum lenire poſſit. Robuſta nimirum, & ſolida corporis firmitas, aduer-

aduerſus ægritudinis impetum obdurata, vel Athletis, vel ijs plerumque contingit, quibus in agris ſubigendis, atque in vectandis oneribus laborioſè deſudandum eſt: ingenioſos autem veræque ſapientiæ mancipatos, exercitatus decet vultus, atque ipſo pallore decentior. ille ille funeſtus in ore cineris color, altè ſubiectos virtutis igniculos in corde denuntiat: debilitas illa membrorum, robur arguit in diſciplinarum ſtudio inconcuſſum, & conſtans: illa genarum macies vegetos animi ſenſus oſtendit, & ſibi demum ferè ſemper ex æquo reſpondent gracilitas corporis, & acumen ingenij. His addatur, non omnem ſtatim ægritudinem calamitoſam eſſe; cum vberrimos ſapientiæ fructus in animis aliquando pepererit, quos proſperæ valetudinis illecebræ corrupiſſent. Iouem memorant fabulæ Poetarum tanto capitis dolore correptum, vt penè prolapſus in rabiem, opinionem diuinitatis exuerit. cum autem nullo medicorum artificio molliri potuiſſet dolor, Vulcanus morbi radices exſcindendas arbitratus, Iouem ſecuri percuſſit. decollauit autem? minimè gentium; ſed Lucinę artibus abuſus è medio vulnere Palladem Sapientiæ parentem, ſed filiam doloris extraxit. O quoties

dum ægritudine ſæuiente, miſeri nobis, languenteſque videmur, virtutum, atq; ſapientiæ ſemina in animis concepta diuinitus, in partum, morbis obſtetricantibus erumpunt! cum æternum ſit æternæ veritatis oraculum, *Vexatio dat intellectum*. Valetudinis ergo beneficiũ ſi nobis integrum natura, illibatumque conceſſerit magnitudinem muneris amplectamur, liberalitatem munerantis exoſculemur. Sin verò aſſiduis titubantem motiunculis, & ſemper ambiguam ſanitatem commodarit, nulla nobis vox excidat imprudentibus, quæ imbecillitatem animi fateatur; ſed generosè dicamus, Vide quid actum mecum velis Natura: vitam, qua me iampridem vti commodato voluiſti, ita cuſtodio, vt ſi vel hodie depoſitum repetas, præſto ſit. interim verò ſi fœnoris loco morbos, ægritudineſque repoſcis, bonæ fidei debitorem nacta es Domina. vbi torqueri me ſenſero, tunc vel te iudice abſolui fidem meam iucundiſſimè reminiſcar. Vectigalem me tibi ab ipſo vitæ primordio conſtituit Deus: tributi partẽ, quam hodie imperas, ægritudine libens repręſento; omnia æquo daturus animo, cum diuinis citatus libellis, ad præſtitutam exactæ vitæ diem, vadimonium, quod promiſeram, ſiſtam. Nec te in

ſæuitiæ ſuſpicionem voco, quod corpus morbo deteritur. Eſſet hæc nimium felicis animi querimonia, aut veriores calamitates conſultò diſſimulantis. Nemo vnquam de ſolis occaſu conqueritur, niſi cuius menti prius, quam oculis exceptus eſt ſol. Ægrotare hominibus lex eſt non iniuria, non minus quam ſoli occidere, & rurſus oriri: nam morbos corpori conciliat mortalitatis tenor, non irrogat fortunæ crudelitas. Potiores alit mœroris cauſas malè conſtitutus animus, quam corpus doloribus contabeſcens; in hoc enim humanitatis neceſſitatem ferimus, in illo vitiorum licentiam deteſtamur. Et ſane ſi datur optio, & ſi ægritudinis pretio venalis eſt virtus, habes, ò Domina, in quem vniuerſos morborum theſauros effundas. Tunc me vere ſanum, valentemque iudicabo, cum Valetudinis iactura patrimonium redimam virtutis, & doctrinarum.

Triplici timoris gladio triplex conſtantiæ clypeus, imminentibus iam ferijs æſtiuis, obiectus.

PROLVSIO OCTAVA.

LVctuoſa Italiæ facies, vario iampridem calamitatum genere deformata

mata N. N. tam vehementi omnium animos commiſeratione percellit, vt in hanc etiam ſapientiæ ſerenitatem mœroris nubes non inſipienter inuehere, & lacrimarum potius, quam eloquentiæ fontes deriuare iam poſſim. Atrox nimirum graſſatur alicubi peſtilentia, & vrbes ciuibus exhauſtas, pauore, luctu, cadaueribus implet; miſerabili, vt videtis fortunæ ludibrio,quę frequentiam nobis obtrudit, omni ſolitudine tetriorem. Bellum alibi debacchatur; & licet ambigamus, quò tandem eruptura tempeſtas ſit, multorum odijs, iniurijſque conflata; excitos interim furentes diſcordiarum turbines non ambigimus; & ſub incerto Martis exitu certiſſimas populorum clades; in futuri meditatione belli præſentem vrbium perniciem,non diuinamus,at querimur. Vſque adeo moralium metum damna ipſa præuertunt, & properata fatorum licentia prius fulmine afflamur ad cædē, quam tonitru excitemur ad fugam. Quod ſi miſeram hanc humani generis conditionem pertæſos, Chaldæorum nos chartæ, lineis, punctiſque vexatæ ad cœlum rapiunt; quæ horroris ſcena, quæ vena terroris, ſtellis exitium propinantibus aperitur? vt cœlum hodie ſidereum eſſe non poſſit, niſi ſiderata

ſit

ſit tellus; funeſtæ nimirum mathematicorum voces vndequaque circumſonant vitiatum iubar aſtrorum, nihil niſi violentum, ac ferox in ſideribus legi deterrimum cum Marte Saturnum in humani generis ſtragem vltimam conſpiraſſe, cœlum non tam ſtellis illuſtre, quam crinitis armatum, ac minax petere ſummorum principum capita, rerumpublicarum euerſiones, regnorum occaſus, fanda, atque infanda, vt inquit ille, portendere. Quid multa? ipſe ſiderum moderator, & princeps ſol in nos paulò ante peccauit, dum deliquit in cœlo; & perinde quaſi mortalitatis noſtræ tragœdia lugubre theatrum poſceret, atq; pullatum: primarum ipſe partium actor atratus proceſſit in publicum, non deplorator ſuæ, ſed noſtræ prænuncius calamitatis. Verum dum nimis fortaſſe diligenter tria hæc capita humanæ fœlicitatis inimica commemoro, ærumnarũ fabricator potius, quam narrator, næ ego communem omnium conſternationem nouis onero fortunæ flagitijs, declamator, vel hoc nomine male ſanus, quod inauſpicato dicendi genere auditorum animos inani denunciatione ſollicito. faceſſat hinc igitur primum ambitioſa, & tragicè feralis natio Chaldæorum, quæ dum male ſibi nota mortali-

talibus fata diſpenſat, innocenti mortalium credulitati venalis imponit, & alieno periculo propriam metiri ſolita ſecuritatem, ſtellarum aurum, quod cernit, ſuæ cupiditati reſeruat; malignitatem, quam fingit, oracula ſciſcitantibus liberaliter elargitur. Genus hominum maioribus nunquam plebis imperitæ præconijs commendatū quam cum maximè timetur; nunquam nobilius, quam cum funeſtius: quod in ſanguinis eluuione tam feliciter, aut natat, aut nauigat, vt appellat ad portum: inter cadauerum aggeres tam beate triumphat, ac vincit, vt immortalitatem ſperet; idque non lubricæ artis beneficio, ſed artificum veneficio ſubdolorum, quibus humani generis inertia, diuinitatis auida, diuinationis ignara ſeruiliter ancillatur. Vſque adeo ne in hac officina calamitatum (quam vitæ nomine decepta mortalitas appellauit) tranquille, nulliſque obnoxij malis viuimus, vt latentia in cœlo dolorum ſemina, ſtellis facem præeuntibus perſcrutemur? tam longe ſcilicet mœroris alimenta libet accerſere? Morbos, ærumnas, interitus, peregrinas videlicet merces, nec nobis notas, inde vſque à ſideribus in orbem noſtrum, inſaniæ vectatione transferimus? ita ne

miſe-

miſeri ſumus ante miſeriam? ita in nos animi perturbationes armamus, & timoris, atque cupiditatum ſatellitio cincti diem cœlo dicimus, vt à ſtellis, aut obſequium extorqueamus, aut minas? Ite, ite mortales credulum genus, & in omnem proteruiam obduratum; ite diuinatricibus impoſtorum illecebris irretiti; & dum oculos in cœli ſcenam ex arte conijcitis, Dracones tantum, Scorpios, Oriones, Vrſas, & ſi qua ſunt alia cœli ſigna ſpecie formidanda, in perniciem vertite; vt tum primum miſerabiles eſſe deſinatis, cum miſeri fieri, non fato, ſed ſponte cæperitis.

Atqui peſtilentia gliſcit in dies, & imminentē noſtris ceruicibus mortem, ſine aliquo timore non poſſumus non timere. Fateor, & cogitationem tam ſalutarem, in ſummo ſalutis diſcrimine nobis diuinitus iniectam, vehementer gratulor, Auditores. Nec ideò tamen à Romanorum Republica Dictatorem repoſco, qui ad expiandam Italiam clauum figat; nec Thaletis Cretenſis excantationes modulis attemperatas, ad abigendam luem à Lacedæmonijs expecto. Vos ipſos interrogo, Viri illuſtriſſimi, fidem vniuſcuiuſque veſtrum, ſapientiam, grauitatem candorem appello. an non fatidica vox illa Romani fidicinis fuit,

Inter

Inter ſpèm, curamque timores inter, & iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremũ?
an non ex tripode monitum aureum,
——ille potens ſui
Lætuſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato
——Vel ſole puro?

At porticum redolet hæc oratio, inquit non nemo, & talos nobis ex ære fabrefactos à Vulcano, aut Lapitarum Reges Cæneos, Neptuni beneficio nullis vulneribus obnoxios obtrudit. Zenonias illas animas, Cleanthæa iſthæc ſimulacra veriùs, quàm homines accerſamur; quia tam ſolidæ, ac robuſtæ philoſophiæ cruditatem præſentium morum teneritudo non concoquit. Verùm ego Epicuri de ſchola prodeuntem Horatium, vnguentis delibutum, vino madidum; delicijs eneruatum, voluptatibus marcidum, in Stoicorum caſtris, omnium ſtultiſſimus ante non videram. Age igitur; & quoniam philoſophantum placitis congredi tutò non licet, proprio ſaltem marte, non quidem cum morbo, ſed cum morbi libeat opinione luctari. Ais nunc demum, peſtilentia ſæuiente, mortem à tergo nobis inſtare; miſeros nunc tandem Italiæ populos admoneri imbecillitatis humanæ, cum oppidorum

fortuna per funera deſignatur; & de ciuitatum ſtatu libitinario referente cognoſcimus. At vnde quæſo repente in hac mortis palæſtra immortalitatis aſſertor extitiſti? quæ te à communi exitio immunis regio hactenus in ſola vitæ contemplatione detinuit? nondum caduca eſſe mortalium corpora experimento didiceras, niſi recónditam hanc, incomprehenſamque doctrinam, exorta paulo ante peſtis inhalaſſet? interire genus humanarum ſub naturæ decretis neſciebas, niſi noua te peſtis inſtitutio prima mortis elementa doceret, viamq; nobis ſterneret ad ſepulcrum? nunquam hactenus limen ingreſſos tuum vidiſti Pollinctores? nunquam Præficas audire te contigit? nunquam è funeſta domo, quos mors ſuſtulerat, per Veſpillones aut Sandapilarios extuliſti? nullas hactenus reliquias in familiare, aut gentilitium conditorium intuliſti? At peſtilentiæ veneficio procliuius itur ad mortem. Falleris. vbi ſemel lubricam vitæ viam inſtiteris, anxius ſemper, ac præceps in mortem ruis. an

—qui freta primus *Senec. in Medea.*
Rate tam fragili perfida rupit,
Terraſque ſuas poſt terga videns,
Animam leuibus credidit auris

longius à morte abeſt, quàm quem peſtilen-

ſtilentiæ communis turbo corripuit,
Si prope tam Lethum, quàm prope cernit aquam?
& tamen optimus morum cenſor edicit
I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.
An qui martialem in campo mercatur gloriam, vulneribus, ſanguine, atque ipſa morte venalem, ideo tutiorem traducere dicendus eſt vitam, quòd auris peſtilentibus non afflatur; ſi vnius, nec maximi exploſione tormenti tam celeriter occidit, vt mors expectationem, ac metum mortis antecedat? O te ſtultè ſuperbum, & humanæ conditionis oblitum, ſi tum primum mortis vicinitatem perhorreſcis, cùm incertus de peſte rumor increbuit. an tanto ad vnius homunculi exitium apparatu, tam exquiſita molitione credis indigere naturam, vt ex hac mortalitate, ſine peſtis auxilio, extrudere te non poſſit? leuiſſima, ſi videbitur, febricula (cuius cauſas, & alimenta in viſceribus tecum ipſe circumfers) vitalia pertentabit; caſus te nec cogitantem affliget ad terram; te fortuitus ruinæ lapſus inopinato proſternet; te venenata è cerebro exſudans repente gutta conficiet; ſubitus te pituitæ fluxus gutture, ac faucibus occupatis inte-

interimet. Quid multa? vuæ paſſæ ſuccus paulò pertinacius faucibus inhærens, Anacreontem abſumpſit; Philemonem riſus abſtulit; Homerum dolor extinxit; Sophoclem gaudium occidit; & ne ſerius properare videretur mors, Aquilæ alis ſubuecta ad opprimendum Æſchilũ aduolauit,& quantos viros,omniq; immortalitate digniſſimos memoraui? Ego interim terræ pondus inutile peſtilentiam accuſo, in eoque ſalutem meã verti dementiſſimè credo, vt viuendũ mihi ſit, ſi luem effugero; quæ ſi tandem ſupremi fati titulum immærens occupabit, incidiſſe potius in tempus mortis, quàm ipſa mortem attuliſſe dicenda erit. Verùm tanta funerum frequentia,quibus ipſa iam tellus ad ſepulchra non ſufficit, mirum quantum mortalium animos commouet, atque perſtringit. Ita nimirum ingenioſi plerique ſumus ad excogitanda ſupplicia; vt alienis calamitatibus noſtras augeri,per ſummam imprudentiam, reponamus in lucro. Quid populorum cadauera tanquam libitinarius enumeras, dum tibi times? an toties vni tibi pereundum cenſes, quoties in ſingulos ciues debacchabitur mors? quàm inhumana hæc eſt in extremis malis ambitio? quàm peruersè de communi infelicitate pronuncias?

cias? quàm regiè, hoc eſt quàm ſuperbè, ac pleniſſima inanitatis cura, ad vnum te languores omnium ita pertinere contendis, nullus vt vſpiam agat animam, quin te ſimul agat in crucem? O te ſtultum prouocatæ calamitatis artificem! ò te calamitoſum contumacis fortunæ fabrum! Audi; vt integras planè vrbes ciuibus propemodum innumeris fatum exhauriat, ſemel tantum tibi moriendum eſt, etiamſi perire velis; nec vltra mortis formidinem execrari peſtilentiam debes; niſi ſi tamen tua magnopere interes, ſolus ne, an multis cum ſocijs efferaris. Quod ſi obſtinatiùs adhuc pergis peſtilentiam incuſare, & florentiſſimæ quondam Prouinciæ deformationem lamentaris, ad Achillem prouoco, in Troiæ obſidione, non religione minus, quàm bellica virtute, pro Græcorum exercitu nauiter excubantem. Is enim (vt eruditus in paucis Homeri Scholiaſtes obſeruat) cùm fœdiſſima paſſim lues obſidentes Ilium côpias obſideret, vatem Deorum interpretem cēſuit conſulendum, à quo de morbi cauſis edoctus, Apollinem ritè placandum, diuinoque præſidio incolumitatem militibus reſtituendam dixit. Atque vtinam à profanis potius Ethnicorum libris, quàm à ſacris religionis Chriſtianæ mo-

numen-

numentis, iura pietatis ediſcere, delicatā quorumdam ingenia nollent, libentiùs ego Iſaiæ vaticinia vobis audientibus commendarem, dum canora Calcantis neſcio cuius deliramenta commemoro; nec factitium, ac ioculare Apollinis numen, ſed veram rerum omnium molitricem Diuinitatem, in tanto Italiæ diſcrimine obteſtandam conſulerem. Verùm quoniam tetra hæc rerum nomina, in vanæ ſuperſtitionis caligine à priſcis vſurpata, tenebras nobis offundere in tam illuſtri ſanctiſſimæ religionis luce non poſſunt; liceat mihi profanas literas profitenti, antiquas voces adhibere, quæ mentem nihilominus ad veri numinis cultum, obſequiumque traducunt. Siderum igitur minis vel fortiter domitis, vel prudenter eluſis; morbi item malignitate, quà rationis documentis increpita, quà diuinæ opis præſentiſſimo remedio profligata, de bello, quod tertium ſupereſt mali genus, nobis infeſtum, formidandumque, quid ſtatuam? Auſpicatiſſimo hoc anni tempore, Auditores, & ſi vnquam aliàs, hoc certè Iunonio menſe certa nobis ſpes tranquillitatis affulget. Bellona ſiquidem, inter communes vetuſtatis Deos, Martis vel vxor, vel auriga, vel ſoror, à ſacerdotibus menſe Iunio placabatur. Verùm

rùm ad pacem à truculento numine redimendam, per ſæuiſſimos Myſtas humano ſanguine litabatur. Sectis namque humeris nō alieno, ſed ſuo ſanguine Bellonarius operatur; atque qui crudelibus ſacris initiatur, eiuſdem cruoris hauſtum, impia religione propinat. Ecquis tā immaniter pius deteſtabilem ſuo ſanguine pacem emat, cuius comparatione bella ipſa funeſta, atque cruenta non ſunt? An tanti eſt, ne ſanguis à militibus profundatur in campo, ſanguinem à ſacerdotibus in tempo profundi? vt ab armatis hoſtium manibus euadas, in ſacros Myſtarum cultros incurrere? vt alienam declines crudelitatem, lanienam tuis manibus exercere? ſęuire ne ſæuias? vulnerare ne vulneres? Numen quod exoratum cupis, offendere? pacem, quam votis prouocas, moribus eiurare? manus, quas in ſacris peragendis decet eſſe puriſſimas, ipſo ſacrorum ritu maculare? animos pacis conciliatione molliendos, effuſione ſanguinis efferare? ergo per ſcelera viam tibi pandis ad ſacra? pietatem inuitas crudelitate? religiones conſecras ſacrilegio? per vulnera ſacerdotis ſacrificium auſpicaris? ergo immanitatem, quam aderſaris, in caſtris ad templa traducis? ſitim humani ſanguinis, quam deteſtaris
in

in milite, requiris in myſta? O præclaram mitiſſimi numinis ſanctitatem! quæ ſacrificulum non admittit niſi vulneratum; cuius ara non colitur, niſi humano ſanguine coloretur; à qua ſupplex nullus voti compos reuertitur, niſi parricidiales prius ſibi manus intulerit. Ab hac igitur horribili omnis inhumanitatis officina vos auoco, Auditores, & ad petendam pacem in ędem Concordię Liuia præeunte vos ego vel antecedo, vel ſubſequor. Auguſta etenim ſolertiſſima, mutuæ memor charitatis, atque conſtantiæ, quæ inter ipſam, ac coniugem interceſſerat, ædem Concordiæ poſuit, quam Tiberius Cæſar more maiorum, hoc ipſo Iunio menſe (ne omen noſtræ felicitati deſit) dedicauit. Quo quid excogitari poteſt ad Reipublicę vtilitatem accommodatius? limen illud ingreſſi, pacem ipſam in vota vocantes, ab aris volentem euocabimus, vt loco cedere tantiſper velit, & Veneri externo numini, ſed amico, fiduciariam ſedem commodare. Mox Lucretij verbis preces concipientes, ita Martis domitricem, atque humani generis cuſtodem affabimur,

Effice vt interea fera munera militiai
Per maria, ac terras omnes ſopita quieſcant:

Nam tu ſola potes tranquilla pace iuuare
Mortales, quoniam belli fera munera Mauors
Armipotens regit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Reijcit, æterno deuinctus vulnere amoris;
Hunc tu Diua tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper, ſuaues ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.

Verum ſi tam calamitoſi vel ſponte, vel fato ſumus, vt in tanta bellorum tempeſtate Italicæ flos iuuentutis proſternendus ſit; ſi agris imminet vaſtitas, ciuitatibus ſolitudo, familijs orbitas, mæror omnibus, ſingulis dolor; non ideo malis cedendum ingruentibus arbitremur, ſed in formidoloſo Romanæ Reipublicæ diſcrimine, ædem Menti conſecratam in Capitolio, ſexto idus Iunij meminerimus; vt tantorum exemplo procerum, in communi Italiæ trepidatione, vel hoc menſe bonam mentem induamus, & aduerſus belli formidinem obduratam. Ita enim de priſcis Quiritibus Faſtorum concinnator Ouidius,

Mens quoque numen habet: menti delubra videmus
Vota, metu belli, perfide Pœne, tui.
Pene rebellabas, & letho Conſulis omnes

At-

Attoniti, Mauras pertimuere minas.
Spem metus expulerat, cum Menti vota Senatus
Suſcipit, & melior protinus illa venit.
ego vero qui nullas Reipublicæ partes attingo, ſed in literario compoſitus otio ignotus omnibus conſeneſco, in templũ Herculi ſimul, & Muſis exeunte Iunio conſecratum, oculos, cogitationemque conuerto; vt inde argumentum, ſi poſſim, petam, ad animum belli tumultibus abiectè perculſum, in ſpem fortunæ melioris erigendum. Quo enim, oro vos, pertinet non minus inſperata, quam tuta Muſarum Herculiſque ſocietas, vt eodem colantur templo, ariſq; communibus adorentur? Quid Herculi commune cum Muſis? an ferox ille monſtrorũ domitor in cælum contumax atque ipſis inferis metuendus, cum puellis ſexu pauidis, ætate mollibus, ingenio feſtiuis, conſuetudine delicatis pacatè verſabitur? luſtra ille ferarum ſcrutatur omnia, vt monſtrorum ſanguine purpuram ſibi imbuat ad triumphum; hæ nemora curioſe perluſtrant, vt fontium amœnitate ingenia Poetarum ad elegantiam irrorent: ille ſiluas clamoribus ſollicitat, vt è ſpecubus abactas interimat belluas; hæ colles carminibus demulcent, vt virtutis aſſeclas immor-

 tali-

talitati redonent: peregrinatur ille truculentus, ac minax, & vbique terroris veſtigia cupit impreſſa; vagantur hæ alacres, & ludibundæ, & noua ſemper lætitiæ argumenta ſuppeditant. Cur ergo tam diſcrepantia inter ſe numina, vnico templo, eademque ara vetuſtas copulauit? An quia Euandrum literas Hercules docuit, vt Plutarchus opinatur? an potius quia idem cum Apolline probatur Muſarum Deo, vt ex Macrobio, atque Porphirio pluribus docet eruditiſſimus ætatis noſtræ criticus Aleander? ego ſane Eumenium nobilem Rethorem arbitror audiendum. Is ergo in oratione, quam habuit, de Scholis inſtaurandis ad Gallię Præſidem admirabilē huius coniunctionis cauſam eo potiſſimum refert, vt optimè Muſis cum Hercule conuenire his verbis fateatur, quia mutuis præmijs, & operis iuuari, ornarique deberent Muſarum quies defenſione Herculis, virtus Herculis voce Muſarum. Quoniam igitur extorquere è furentium militum manibus arma non poſſumus, & mutua profundendi ſanguinis ſitis ferociter æſtuat, illud ſaltem acerbum ſolatij genus mihi ab Italię cladibus hauriendū ſtatuo, vt Muſæ Herculem comitentur. Infeſtis ergo populationibus, quando

ſu-

ſuperis ita viſum eſt, deuaſtentur agri; Equitum, peditumque diſcurſu iamiam matura meſſis proteratur; extremum ſuppliciorum fames incluſos muris populos, lenta quaſi tabe conficiat; verberata tormentis mœnia miſerabili ruina prodant arces, cruentis hoſtibus occupandas; omnia cæde, promiſcuoque flagitio miſceantur: ego interim in Literis abditus, arma, quæ retundere auctoritate non poſſum, ſtilo acuam: ſanguinem chartis excipiam; explorabo calamo vulnera; iura bellorum, decreta bellantium, victorum decora, trophæa victoriarum, omnia denique referam in annales; quæ tamen ne referri vnquam ab vllo poſſent vehementer optaſſem. Hanc ego operam Muſarum nomine Herculi, pro virium tenuitate locabo. Ille viciſſim, quam vberem, vtinam non lugubrem, ſcribendi ſegetem ſuppeditabit? quam præclarè ſudoribus militum, ò ne etiam ſanguine, ingenium irrigabit? quam opportunè funeſtus armorum fulgor mentis aciem hebeſcentis exacuet? inconditus ille pereuntium clamor, quam aptè ſcribentis animum excitabit? vt ergo fructuoſius inſtituti mei rationem perſequar, atque pacatius, æſtiuas ferias Auditoribus indico; & quoniam Bellonam placare

ſanguine paulò ante recuſaui, Pauſum præſtantem pollentemque in Latio genium, Bellonæ à priſcis oppoſitum libuit aduocare. Quod ſi Sabinorum Vacuna, quæ otioſis, atque vacantibus præponebatur, deſidioſum numen, inertiæque pleniſſimum vobis videbitur, eandem tamen victoriæ nomine nuncupatam cogitate; intelligetis otio vigorem excitari, nec inconſultam doctiſſimi poetæ fuiſſe ſententiam.

— Vires inſtigat, alitque
Tempeſtiua quies, maior poſt otia virtus.

Fruſtra mortalium vitijs excuſationes obtendi.

PROLVSIO NONA.

EA eſt humanæ mentis contumacia, N. N. vt cum luculento veritatis lumine circumfuſa ſpontè cæcutiat, tenebras tamen ſuas vel ſole teſte clariſſimas, ne fateri videatur, excuſet. Neq; hic ego longiùs aberrabo, vt in retruſis diſciplinarum adytis orationis meæ firmamenta conquiram, cùm apertior res ſit, quàm vt reconditis rationum momentis indigeat. Immò quoniam ſuperioribus menſibus cauſa mihi cum Medicis interceſſit, præteriti tantiſper refri-

fricabo memoriam temporis, & quæ in rem, de qua diſputo, iam tum animo altiùs inſedere, in ipſo ſtatim veſtibulo proluſionis effutiam. Leui neſcio quis peregrini caloris motiuncula, quaſi primo febris tentamento vellicatur, cùm ſtatim de ægritudinis cauſa curioſa amicorum beneuolentia inſtituit quæſtionem. Negat æger mali aliquid timendum ſibi, inter meditamenta frugalitatis, & temperantiæ diligenter innutrito. Febrem enim de vulturum genere, niſi quod opiparè depaſcatur, in viſceribus, ac venis inuenerit, protinus auolare: æſtu proinde tangi ſe, non torqueri; aduentitio quidem illo, ſed non tabifico; quique vel ætatis calore, vel defatigatione corporis immodica, vel inclementia tempeſtatis excanduit. Hoc vnum denique ſcire ſe, febrem non eſſe, egregiè: iam ſanus es: optimè iam ſibi conſtat arteria excuſationibus tuis; Æſculapio Gallum voue, occultis alius doloribus confoditur; turpiſſimis maculoſa puſtulis intumeſcit cutis; comam, barbamque & fortaſſe primam, non detonſam, vt olim, vel cum Nerone Capitolio, vel cum Athenienſibus, & Romanis Apollini libat; ſed per fœdam capitis iniuriam, ita diffluere viuens, ac videns ingemiſcit, vt ne pilum quidem boni

viri ſibi relictum eſſe meritò conquera-tur. Nec propterea tamen exoticas ex India merces, Neapoli quondam humanæ vitæ pretio comparatas à Gallis, aliòque tranſuectas nouit; ſed cum luna rixatur. Malignum ſcilicet cæli ſidus, & ſagarum excantationibus, quàm Myſtarum ſacris opportunis, fluoribus corpus continenter inundat; quorum ſale non ad æternitatem corpora condiuntur, ſed vita corroditur ad interitum. Ingenioſè; Indicum lignum, quo ſanctè contundendus eras, ad ſudorem largiùs exprimendum feliciter declinaſti; pretioſam hydrargyri peſtem naturæ ingenio fugacem, ſed Medicorum genio medullis infigendam intimis euitaſti. Felix euentus te bonus, voti reum, cum patera, ſpica, & papauere preſtolatur. Pedes alicui dolent, & articuli punctiunculis feriuntur; adhuc tamen, vt ait ad Lucilium Seneca, diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dum inauſpicatum podagræ nomen, pedibus licet altè defixis, effugiam, quodlibet morbi genus comminiſcantur Medici, in eorum ſententiam ſi pedarius ire non potero, impelli me truſatilem patiar. Vſque adeo excuſationes amamus, vt addictum ſupplicio corpus, ne morbi

con-

confeſſione conualeſcat, excuſatione prodamus, Sed quorſum hæc, dicet aliquis? an vt operam otioſis ambagibus ludas, expectationi tam honorificæ concionis illudis? Apage inconſultam de aliena moderatione ſententiam, circumfuſæ coronæ maieſtatem veneror, quam qui maximè; nec temerè de triuio literatorum in ſuggeſtum abreptus, plebis eruditæ cachinnis locaui linguam, eloquentiam commodaui, immo, vt ſemel omnia vnico verbo concludam, Stoicum ago non Cynicum. Nam per Deum immortalem, quæ humani generis calamitas, quacumque doloris ſignificatione funeſtior, ita ad omnem virtutis ſenſum mortalium animos hebetauit, vt cùm in corporis morbis ægritudinis vis ſæuius irritata Medicinam extorqueat ab inuito, in animis vitiorum tabe quodammodo obſtupefactis, ipſum etiam deſideriũ ſanitatis emarceat, nec vna, vel leuis culpæ profeſſio ab ægro poſſit extundi? Nimirum ſi calor infuſus in venas præcordia inclementius torreat, arteriamq; incondito, ac ſubſultanti motu concutiat, febrem profectò durus ille, ac perpeſſitius, apertè fatebitur, & morbi excuſatione ſepoſita, Machaones omnes, omnes Podalirios vocabit in vota. Qui catarri ſales inſulſiſſimè cauſabatur, ſi

lacertorum, genuumque iuncturas dolore diſtrahi ſenſerit, ac propemodum diſſilire; non ſecus atque ſi in equuleo tortus, aut fune penſilis cum Æaco ſuo de veritate diſſereret, venereas tandem flammas, ad quas planè decoxit, hypocauſti domabit incendio, vt excoquat vitium ſanitatis: lupam verò, non altricem illam Romuli, Remique, ſed perniciem ſuam, acerbiſſimo conuiciorum aculeo compellet in luſtra. Lepidus autem podagricus domeſticis fractus compedibus, atque imminens libertati non fatebitur modo, clamoribus morbum, ſed vel in nouitio balneo, quod nuper ad ſpem mortalium ludificandam erupit in vicinia, expiſcabitur valetudinem; vt quaſi medicatis Medeæ liquoribus recoctus; de repente prodeat non è pyra, ſed è balneo Phœnix. Solus animus, quia infelicitatem non agnoſcit infelix, morbis libenter adulatur ſuis; atque ægritudinis cauſas accerſitæ veneno excuſationis proteruè paſcit, ne obuiæ virtutis beneficio glorioſè depaſcat. Flagitia fateri piget, quæ non pudet admittere; alia omnia prætexímus culpæ, quam quæ culpæ nomine cenſeantur, & in ipſa profeſſione vitiorum lingua virtutem crepat; iuſtiſſimis autem conſciæ mentis verberibus, aduerſuſque animus

iam

iam occaluit, vnicum illud munimenti genus in promptu eſt, excuſatio. Hoc igitur lamentari libet, ſi per vos licet, hoc agendum hodierna diſſertatione ſuſcepi, vt perſona vitijs detracta, ſuis quæque nominibus appellentur. Quorſum autem inexpectatum, & fortaſſe, vt quibuſdam videbitur, lubricum euadat argumentum, manifeſtiùs ſub finem prolufionis intelligetis.

Nobile fratrum, ex Iapeto, atq; Aſia par erudita fabulatur antiquitas ad efformandos ex argilla homines induſtriã contuliſſe. Et Prometheum quidem (vt potè qui omnia prouidè circumſpiceret) multum de cœlo, quod limo ſuo permiſceret, hauſiſſe: Epimetheum autem vecordi artificio plaſtem, ſtatuas effinxiſſe ſine vllo cœli ſpiritu, inertes, ac brutas, hoc eſt lutum merum: hinc egregiè cecinit Claudianus.

Hi longè ventura notant, dubijſque parati
Caſibus, occurrunt fabro meliore politi,
Deteriore luto prauus quos cõdidit auctor,
Et nihil ætherei ſparſit per mẽbra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident; accepta clade queruntur,
Et ſero tranſacta gemunt.

In tanto laboris ſui verè fictilis infortunio, hoc vnum ad calamitatis leuamen-

tum commentus eſt Epimetheus; quærelas, & excuſationem, vno veluti Caſtorum ouo procreauit; vt ſi minus præcoci conſilio mala poſſet auertere dum impenderit, admiſſa poſthumis ſaltem vel quærimonijs defleret, vel excuſationibus obuelaret. Præclarè atque pro ingenio Poetarum etiam diuine. Intelligebant videlicet inconſultam imprudentiæ prolem excuſationem eſſe: cuius apud ſapientes tam præpoſtera vis eſt, atque præſtantia, vt adſcito mendacij pondere culpam premat, quam ſuſceperat eleuandam. Verùm vt hæc à Poetis dicantur idoneè, nos tamen in ſacroſanctæ luce Religionis diuino beneficio innutritos, fabuloſa iſthæc vetuſtatis deliramenta, in re præſertim grauiſſima, deteſtari par eſt. Malè ſiquidem ominata excuſationis natalia longè aliò referenda eſſe, ſacræ nos literæ docuerunt.

Non hic ego fidem veſtram calamitoſæ nomine poſteritatis imploro, ò Sanctiſſimæ, & cœlo dudum receptæ primorum Parentum animæ! non luculentum ærumnarum omnium patrimonium, per maiorum manus ad hæc vſque tempora tranſmiſſum quæror: felicitatem veſtrã tot à vobis ſudoribus redemptam, tot lacrymis comparatam, tam diuturno laborioſæ vitæ negotio partam, non ego

humani generis mœrore interturbare, ſi poſſim, velim. Illud vnum ad iuſtiſſimum mortalitatis ſolatium mihi per vos liceat commemorare. Excuſationem virtutum peſtem, ſi non exortam à vobis, in primæuo tamen deliciarum horto, veſtri criminis ſatu proſeminatam, parietariam veluti herbam in mortalium animos clanculum irrepſiſſe, in quibus quotidie mirabili dicam, an miſerabili fœcunditate repullulat. Et ſane ita ſe res habet, Auditores, in prima illa huius Vniuerſitatis infantia, & regnantis innocentiæ ſæculo verè aureo, diuinitatis deſiderio tacta mulier, venenum viro luctuoſa humanitate propinauit. Vterque igitur prima, ſed graui ſe culpa perduellionis implicuit; neuter tamen ſcelus profiteri auſus, excuſationem potius obtendit, illa ſerpentis calliditatem, hic vxoris lenocinium, tam infeliciter vterque, quàm falsò; ſed nimirum qui nuditatem corporis frondis integumento velauerant, animi flagitium, excuſationis inuolucro tegebant; vtrobique ſtultiſſimè frons etenim, & momento temporis exareſcens, & ad indumentum anguſta, caduca, & ludicra amiſſi pudoris excuſatio eſt: contra autem excuſatio neque ſceleri par, nec idonea veritati, frons erat verè ficulnea, vnico increpantis

pantis Dei ſpiritu longè difflanda. Vtrũque nominis ſui ſuauitate digniſſimus coniunxit Ambroſius. *Iacit enim contra ſe folia,* inquit, *qui culpam velare deſiderans, aut Diabolum delicti memorat authorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris.* Ex duplici hoc veluti fonte mali Dæmonis fraude corrupto, non è quatuor Paradiſi fluminibus, vniuerſa excuſationum peſtis mortalium animos occupauit. Et quoniam licet eò Parentum vterque collimaret, omnem vt à ſe ſuſpicionem ſceleris amoueret, diuerſam tamen viam excuſationis ingreſſi ſunt ambo; hinc factum arbitror, vt non promiſcua ad excuſanda vitia excogitẽtur apud omnes argumenta. Adamus enim in Deum ipſum ſceleris ſui culpam regere cupiebat, *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Mulier autem deceptoris exitio imminens, illum potiùs criminis poſtulauit, *ſerpens decepit me.*

Et Adamitas ſane quamplurimos, in cæca priſcæ ſuperſtitionis caligine, vel ipſa veterum monumenta deteſtantur, ſtyloque confodiunt. qui omni criminum immanitate cooperti, excuſationẽ à Deorum ſceleribus repetebant. Has autem faces tam flagitioſas, atque impias,

pias, vaniſſima Poetarum flabella ventilarunt, vt merito Romanus Stoicus queratur alicubi Poetarum furore, ac fabulis humanis erroribus alimenta cõparari. Fœdo libidinum æſtu abreptus Clodius, aut Mamurra, qua licet, qua non licet pudicitiæ bellum indixerat; integritatis iura omnia violarat, omnem caſtimoniæ polluerat ſanctitatem, alieni prædator corporis, prodigus ſui; formæ cuſtos, famæ decoctor? Ecce tibi ad excuſationem Iupiter, quà cygnea vocis modulatione acerbas obiurgantium iras demulcens; quà taurinis vim legũ, morumque cornibus infringens; quà pluuio in turrim auro, rigidam naturæ toruitatem in cenſoribus redimens: imo potiùs ad flagitij mercedem auro ſtellas ipſas exhauriens, vt pretioſa in poſterum ſcelera, non magis voluptatum illecebris, quàm auri lenocinio mortaliũ animos ineſcarent; nec vlli gratuito ſtaret improbitas. Expilare Siciliam Verres; lenoniam exercere vel Plautinus Cappadox, vel Terentianus Dauus, ſine dignitatis iactura cupiebat? Excuſationem ſuppeditat Mercurius, furum ductor, lenonum doctor. hic immaturæ adhuc infantiæ, ſed adultæ improbitatis puer; ætatula ad furandum geſtiente, è fumoſa Vulcani officina malleum, forficem-

ficemque ſubtraxit; credo ne ad fures exterrendos fulmen Ioui cuderet faber: patris verò voluptatibus ancillatus,non falſum modo Amphitruonem falſus Soſia comitabatur,ſed iuuenculam centum Argi luminibus vigilatam auertit, inſatiabili errantique Iouis ſui libidini, hoc eſt ſanctiſſimo numini ſcilicet, immolandam. Dormituriens neſcioquis, ac ſemiſomnis de Colophoniorum gente, iuratus orientis, occidentiſque ſolis inimicus, noctes, dieſque vno ſomni vinculo colligabat? ſed duas etiam noctes, ait, præclarè Hieronymus, Iupiter copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules naſceretur. Ita ne verò? Eo impudentiæ, inſaniæque proceſſimus, vt ſceleribus è cœlo & patrocinium petatur, & concilietur auctoritas? tua tibi crimina ſatis execranda non ſunt,niſi Deos ipſos in eorum ſocietatem voces? flagitioſus eſſe non potes niſi tecum ſit ſcelerata diuinitas? ita ne fœditates tuas Deorum exemplo conſecras, vt Deorum ſanctimoniam tuis moribus fœdes? innocentiam tibi tueri non licet,niſi detegas numinum turpitudines? hoc vno humana probitas nititur teſtimonio, ſi diuina accuſetur improbitas? an nouo atque illo immani crimine reliquorum conſtabit impunitas criminum?

an fœdam nominis labem infamia numinis redimes? hoc vnum ergo deerat, ad acuendas mortalium cupiditates, vt Deorum exemplo erudirentur ad ſcelus? non ſatis in hominum membris libidines æſtuabant, niſi noua, & quidem è cælo delapſa vis flammæ exaggeraret incendium? nulla criminum fœditate in terris laborabat genus humanum, niſi cæli etiam ſentinam penitus exhauſiſſent? Verùm hac ſuper re non neminem mihi audire videor argutantem, quid tam multa, & quidem cum ſtomacho aduerſus mortalium excuſationes, ſuperuacaneo religionis ſtudio congeruntur, ſi diuinitatem iocularem illam, atque factitiam, non veram, ſanctamque traducunt? licuerit olim mimicum verè cœlum contumelijs onerare; quando Deorum pleriq; emptam flagitio diuinitatem, flagitio diſtrahebant: & ne per inanem apotheoſim cœlo donati, feriari à vitijs cogerentur, inhumanas humanorum ſcelerum colonias in cœlum prouide tranſcripſere: ne autem ſolitarie, atque ab hominum conſpectu ſubducti verecundius, ſanctiuſque peccarent, in extimo cœli ambitu, Aquarios, Vrſas, Aurigas, Aquilas, Olores, & mille huiuſmodi fœdiſſimarum monumenta libidinum,

ſidereo

ſidereo ſcilicet charactere deſcripta voluerunt: vt inde tanquam è penſili, ad artis profeſſionem, argumento, proſtare in cœlo vitia omnia, mortalium imitatione venalia diſceremus; cælumq; nihil aliud eſſe, quam turpitudinum officinam. At nos puram,& illibatam veri numinis maieſtatem omni ſanctimonia ſanctiorem adoramus: ſi quid autem humani accidat, vt homines ſumus, à virorum virtute præſtantium moribus vitæ documenta mutuamur. Audio; nam & olim in hanc ſententiam tibi præiuit Ambroſius: *& de ſcripturis diuinis frequenter ponit exempla, quibus iuſtos in culpam perhibet incidiſſe dicens, ſi forte in ſtupris fuerit deprehenſus, & Abraham cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & ſibi adſciuit vxorem.* Quis ergo animum iracundia tumentem, & vindictæ cupiditate præferocem, ſalutari admonitionis ſuauitate compeſcet, dum ſub Achillis clypeo deliteſcens, Achillis haſtam furiosè contorquet? Nimirum Homericus ille Græcorum Heros, ad Aſiæ conflagrationẽ vltimam educatus impatiens contumeliæ, atque Agamemnoni iuueniliter infenſus, & de Ilio exciſo victoriam toto decennio diſtulit, & Græcorum Principum legationes eluſit; & gentis ſuæ calamitates

irriſit,

irriſit, donec iracundiæ ſuæ multo populorum ſanguine, & regis ipſius pœnitentia litaretur: ego vero viliſſimi capitis iniurias non vlciſcar? Ebrioſum hominem, & cadum merum, heſternas ſemper vini fæces inhalantem ad frugalitatem reuocare qui poſſis, ſi cum Macedonum rege diſcumbit, & Alexandro maioribus poculis propinat? an non inclytus ille Regum domitor, terrorque populorum, bibulo quocumque bibacior, vini dulcedine tam ſitienter abuſus eſt, vt quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot denique maria tutum dimiſerant, ad Herculaneum, & fatalem ſcyphum tanquam ad intemperantiæ ſcopulos naufragum alliſerit temulentia? teſtis hoſpitalis menſa cariſſimi paulo ante capitis cruore reſperſa; cuius ſceleris (poſtquam crapulam edormiſſet) ſibi conſcius Rex, mori fortaſſe voluit, profecto debuerat. quid multa? perfidiam tuetur Annibal, Sylla crudelitatem excuſat, ambitioni patrocinatur Cæſar, fraudes Lyſander defendit, imprudentiæ Craſſus adulatur, nulli denique ſceleri patronus, & quidem magni nominis deeſt.

Fertur

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndique
Defectam ,

& vulpis calliditatem , & canis rabiem , & aſini tarditatem,& ſæuitiã tigridis,& pauonis ambitionem ,

—— & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro ;

atque ita excuſationis argumenta mortalibus ſuppeditaſſe, vt quoties prolapſus quis in rabiem cõtumacius efferueſceret , canem accuſaret inditum ſibi : quoties fraudibus circumueniret innocentiam , innatam vulpis aſtutiam cauſaretur : in pauonem ſuperbiam , crudelitatem in tigridem , ſtuporem in aſinũ; beſtias nempe à Prometheo immiſtas ſibi , opportune reijceret ; ipſe interim innocens , puruſque ſceleris haberetur. O ſimulachrum totius improbitatis collatiuum ! ò ingenioſam in excuſationibus concinnandis inſaniam ! Vides ne paulatim te à Dijs , decremento mirabili , delapſum ad homines , ſat cito ad beſtias degeneri traiectione deſcendiſſe ? Accipio tamen conditionem , vt libet; vnumque interea paciſcor , de quo vbi conuenerit inter nos , ex condicto tranſacta res erit. Ais magnorum virorum exemplis ſi quid nobis humanæ labis adhæreſcit , purgari , atque excuſari

poſſe.

poſſe. bene eſt: hinc ergo incipe ſodes: oculos tibi effodiendos prębe: Homerus ſcilicet oculis captus arcana philoſophiæ atq; poeſeos acutius vidit omnia, quam vaccam ſuam centũ oculis Argus. naſum malleolo introſus deprimi ſine, ne ad dimenſum vultus emineat: Socrates enim præclarus ille Sophiſtarum arbiter, ac magiſter, retruſa ſapientiæ cubilia ſimis naribus ſagacius odoratus eſt, quam naſutus ille, apud Martialem, omni Rhinocerote prolixior. Patere ceruicem in ſiniſtrum humerum ita diſtorqueri, vt cœlum velis, nolis, aſpicias: nam Magnus ille Macedo obtorto in læuum humerum collo, in cœlum diuinitatis cupiditate violentius trahebatur, quam Atlas illud irretorta ceruice ſuſtentans. Linguam exere, ſi non radicitus extirpandam, præcidendam ſaltem ex parte, vt balbus fias: quoniam naturæ dæmonium Ariſtoteles inter frequentes linguæ offenſiones elegantius loquebatur, quam quiuis è foro tabula ſermone humido, ac lapſabundo audientes exurdat. Atque vt omnia vno ictu celerrimè conficias, fabriles aduoca lacertos, qui magno niſu ſecurim in caput impingant: neque enim è Iouis capite, niſi à Vulcano ſtrenue vulnerato Pallas emicuit ſapientiæ Dea. Intelligis

ne

ne peritiſſimè excuſationum fabricator, quam duros ad imperitiæ lapides vitreũ offendat artificium? Intelligis quas veritatis exuuias obiecta impudentię nube complectaris, dum veritatem amas Ixion infelix? Virorum exempla præſtantium mortalibus diuinitus conceſſa non nego; ſed quæ induſtriam exacuant, non retundant; amoliantur vitia non excuſent. illa ergo vt aliena, curioſè; vt in rem noſtram, diligenter; vt admiranda religioſe ſcrutari decet. Vbi autẽ tam multa ſuppetunt argumenta virtutum, ijs per incogitantiã poſthabitis, neſcio quas famæ labes, ad excuſationem criminum, in veterum annalibus contemplari, hominis eſt cæcitatem ſuam nuperis ſolis maculis excuſantis; quas tamen maculas tam alta luminis caligine ſol obduxit, vt illarum ſine tubi præſidio, oculatus quod aiunt, teſtis eſſe non poſſis.

At nulla in poſterum à maioribus excuſatio repetatur; an non temporum culpa tam multa peccantur in dies, vt pleroſque videas non ſuo, ſed ſæculi ſcelere nobilitatos? hinc Heſiodi lacrimæ ferrea ſe natum ætate, quam ipſe ſibi finxerat conquerentis: hinc Homerici Neſtoris, tunc maxime id agentis, vt Agamemnoni Achillem conciliaret,

exacti retro temporis luculenta laudatio, qua Pirithoum, Dryantem, Cæneum, cæteroſque duces bello inclytos ſupra omnem ætatis ſuæ virtutem extulit; ne Achille quidem, quo cum loquebatur, excepto hinc ſenile apud Virgilium Euandri votum, toties repetitum, toties repetendum:

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!

Fuit ſcilicet ætas illa, quam vere heroicam dixeris, tam vberi virtutum omnium prouentu felix, vt vniuſcuiuſq; vita morũ diſciplina vocari poſſet; inde præclara illa non tam hominum, quam ſapientiæ nomina, Socrates, Cato, Traſea, in tanta ſæculorum viciſſitudine hactenus immortalia. Nunc autem, ſiue quod effæta iam natura rerum abortire potius, quam parere conſueuit; ſiue quod hominum natio corporis viribus iam defecta, ſenium etiam virtutis admiſit, ita plerique viuunt, vt communi, receptaque ſocordia, omnem aliter viuere cupientis diligentiæ aditũ intercludant. Qui enim ſolitariam virtutis inſiſtas viam, dum te alio temporũ licentia nolentem, obnitentemque compellit? an ſolus extra turbam inuidioſe ſepoſitus, obſoletos priſcorum mores, atque ipſa diſſuetudine peregrinos infundes in patriam?

Qui quærit Tatios veteres, duroſque Sabinos,
Hic poſuit noſtra nuper in vrbe pedem.

Romanorum laticlauum, Græcorum palliofum, purpureas Perſarum tunicas, Medorum ſtolas, abollas Ægyptiorum ex Taprobana ſyrmata, noſtris hiſce temporibus reuocare ſi velis, ægrè admodum irridentis conuicia plebeculæ declinabis; & mores tamen priſcos tutius induere te poſſe confidis? Vitam ad ſæculi genium, guſtumque prudenter attemperandam eſſe, vel inde liquido conſtat, quod ſi gloria virtutis eximium laudare velimus, tanquam ætatis prodigium, & à nobis penitus alienum, hominem dicimus probitatis antiquæ, non noſtræ. Satin ne ſanus es, qui nugaces has temporum excuſationes, errore publico, ac tralatitio, inter recentia ætatis tuæ meditamenta connumeras? at ſi Heſiodi, ac Homeri, ne dum Virgilij ſæculo paulò ante adhibitas fatebaris, an non in tempora, quæ ab hiſtoricis heroica nuncupantur, inciderunt, hoc eſt ſub ipſum Troiani belli exitum, omni græcæ literaturæ vetuſtate vetuſtiorem? Quid ergo nobis carmen inertiſſimum, & vanis tot ſæculorum vocibus recantatum toties, atque protritum è cortina deſidiæ, è tripode

leuitatis, nouitium præteritarum rerum oraculum effundis? Verum cominus quando licet congrediamur. Socratem, Catonem, Traſeam, terreſtria quædam numina, ad cauſæ tuæ firmamentum nominaſti. bonum factum: neque enim ab omnibus antiquitatis faſtis eximes in rem tuam nomina ſanctiora, quibus erudita poſteritas reuerenter aſſurgat. Sed tuo te gladio iugulaſti proterue. In ea ſiquidem tempora Socratis virtus impegit, in quibus, & Ariſtophanis petulantiam in theatro, & Xantippes contumelias domi, & Meliti calumnias in foro, & tyrannorum ſæuitiam vbique; & Athenienſium crudelitatem in carcere, & cicutæ violentiam in poculo, admirabili excelſi, infractique animi conſtantia teſtaretur. Egregius autem Cato, certius ſapientis viri exemplar, quam Vlyſſes, & Hercules Pompeium, Cæſarem, Craſſumque habuit, quos pro Reipublicæ incolumitate laceſſeret; Lentulũ ſortitus eſt, cuius ore improbo inter orandum publicè conſpueretur; cum Vatinio contendit, cui in præturæ petitione poſthabitus, Comitiorum flagitium repulſa probaret; populum paſſus eſt, cuius furore ſibi detrahi togam, caputque cerneret oris purgamentis aſpergi; publicos patriæ hoſtes

de Republica iam euerſa triumphantes vidit, è quorum tyrannide, vt ingenuus auolaret, animam ſibi manibus extraxit in libertatem. Et ad Catoniana tamen, aut Socratica tẽpora prouocas inſane? ſed nondum confecta res eſt: neq; enim prætereundus eſt Traſea. Fuit in rerum adminiſtratione tam iuſtus, tenaxque propoſiti, vt elogium admiratione virtutis extorſerit à Nerone: aſſentationibus tam infenſus, vt inhumani Principis rabiem prouocare maluerit libertate, quam beneuolentiam blanditijs emercari: tam generoſe amicis obnoxius, vt Ruſticum Arulenum Tribunum plebis, interceſſionem magno ſpiritu pollicentem, contempto mortis periculo cohibuerit, ne exitium immerenti iuueni maturaret: conſtantia tam ſingulari, vt infame de morte ſua ſenatuſconſultum, in horto inter amicos, cum Demetrio de animæ natura familiariter diſſerens expectarit: vitæ contemptor tam egregius, vt vtriuſque brachij venis ad vulnus abiectis, ſanguinem Ioui liberatori, ſpectante, imo aduocato Quæſtore, libauerit. Hæc autem virtus tam generoſa, tam maſcula, in quæ tempora incidit? Neroniana: cum videlicet nefaria, omnique caligine tetrior morum colluuies ita mortalium

animos inundauerat, vt Nero princeps, neque ſuæ, neque alienæ pudicitiæ parceret; & amictus nubentium Virginum ſpecie, palam conuocato ſenatu, dote dicta impudentiſſime nuberet. cum publicus Romanæ nobilitatis carnifex, qui tandem ſui, curiam, quam libertate ſpoliauerat pridem, ſenatoribus exhauriret. Cum in alienos thoros, dotali maritorum nobilium ſanguine contaminatus inuolaret. cum è ſicario citharædus, è Cæſare mimus, veras orbi terrarum vniuerſo in ampliſſimo Romæ theatro tragædias daret, non Euripidis, Æſchylique, ſed ſuas, cum aurum non è terræ, ſed è populorum viſceribus effoſſum in retia ad piſcationem efformaret; nulla vt eſſet vſpiam inſanæ voluptatis illecebra, quam pretioſo gentium dolore non emeret. cũ vrbe Roma ad inane ardentis Troiæ ſpectaculum inflammata, ipſe mali ominis præfica, rogo adſidens funeſtiſſimo, næniam caneret, vt extinctæ, quam tamen contemplabatur accenſam. cum humani generis contumelias ferro vltus, viſcera materna transfoderet, nefanda monſtroſi filij fœcunditate nocentia. cum deniq; vicarias impuri ſpadonis manus imploraret ad cædem; vt qui omnes vitæ actus muliebri fœditate corruperat,

ipſum etiam titulum mortis effœmi-naret. Et tu interea mihi ad excuſationem ſcelerum, malignitatem non animi, ſed ætatis obtrudis? tu ad antiqua priſcorum ſæcula intempeſtiuè me reijcis, vt aliquam ſaltem ſpeciem virtutis intuear? quin ego te, diutius inſanire ſi pergas, ad Æſopi fabulatoris ætatem reuocabo, in qua cum beſtijs familiariter inter ſe colloquentibus tranſigas; & quod ſapientum calculo non poſſes, belluarum ſuffragio ex voto conficias. At video quid agat ludio verſipellis. de ſpe, quam in temporis excuſatione collocauerat, paulò ante deiectus, ad publicam Vrbis, Aulæque viuendi conſuetudinem prouocat. Verum vlcus attingit non leuiter, oſcitanterquè tractandum. Erit argumento tam neceſſario locus, poſt dies aliquot peridoneus; ne cum prolixa humanitate veſtra certare pergat prolixitas orationis meæ. Hæc autem pauca de multis, quæ in vniuerſum de excuſationum futilitate delibaui, eo referenda ſunt, ſi neſcitis, vt diſſertationum mearũ expeditior in poſterum materia ſit, iſtiuſmodi, quaſi vinculis abſoluta. De cauſis nimirum perturbationum animi pro inſtituti mei ratione quærendum eſt; quas cum alias alij pro ingenio comminiſcantur, tam longe pere-

peregrinantur à veritate, vt excuſationum potius nomina, quam perturbationum cauſas afferre videantur, fatum videlicet, ſidera, cæli temperiem, climata, corporis conſtitutionem, aliaque ſexcenta, quæ ſingillatim detracta larua in bono lumine collocabimus. Si quid autem hactenus in ſuſcepta cauſa vobis non approbaui, næ ego aduerſarijs præuaricatus ſum, qui excuſationes accuſare, ſine aliqua excuſationis neceſſitate non potui.

Omni reducto excuſationum velo, quanta quanta eſt hominum improbitas in aperto collocatur.

PROLVSIO DECIMA.

DEcennium illud non magis Poetarum carminibus inclytum, quàm Troiæ calamitatibus luctuoſum, tam prodigioſa rerum admirabilitate tranſactum eſt, vt poſterorum animos, poſthuma quidem, ſed magna tamen admiratione percellat. Siue enim Deorum altercationes in cœlo, ſiue Græcorum ad Ilium prælia contempleris, theatrum patet vtrobique actoribus fortaſſe par, omni certè tragædia maius, atque funeſtius. Verùm ergo qui excuſationes ac-

cuſandas altera iam diſſertatione ſuſcepi, præuaricari non videbor in cauſa; ſi cæteris omnibus prætermiſſis ſola aduerſus excuſationes argumenta, ab ipſa Troianæ vrbis obſidione depromam. Anceps igitur, per me, toto decennio æſtuauerit fatum; dum florentiſſimum Aſiæ regnum contrarijs numinum votis aut ſtat, aut cadit: de Grecorum victoria delibauerit per me fortuna diutius, nunc Achillis iracundiæ ſubinfenſa, nunc Hectoris virtute deterrita: excuſationes ego ad inertiæ patrocinium excogitatas in concione traducens, prima Deorum capita in ius vocanda, Homero teſte pronuncio. Et Iupiter quidem, ne quis è numinum plebe, ſtudio partium, aut Græcos foueret, aut Troianos, edixerat; cùm præceps è cœlo in Idæ latebras ſe coniecit: hoc eſt cùm neglecta diuinitatis prouidentia, ad inertiſſimas voluptatis illecebras ſponte prolapſus eſt. Tiberium diceres inceſtuoſum ſenem, ab neceſſarijs Imperij Romani curis, vt in infames Caprearum libidines auerſum. Vſa igitur mariti ſocordia Iuno, Troianorum iampridem exitio imminens; otioſè feriantem ſomno adoritur, mox Veneris cæſto turpiter implicatum, omni humani generis ſollicitudine, & dormiturientem, & vxoriũ

pro-

prorſus abſoluit. Neptunus interea, maturandum ratus, dum Iouis oculus conniueret in ſomnum, Græcorum fortunam iam præcipitem, labantemque reſtituit; & Troianorum res Aiacis præſertim Locri virtute peſſundat. Expergiſcitur tandem bonus ille Iupiter, rerū humanarum procurator egregius, bellumque videt Iunonis, atque Neptuni artibus, inclinata propemodum re Troiana, recrudeſcens. Hic enimuero, vt æquum erat, excanduit: quid autem ageret iniqua Troianorum clade, atque adeò Hectoris ipſius ceſſatione perculſus? Amores opinor ſuos odiſſe iam cœpit, quòd in vltimum penè Phrygum exitium Neptuni odium, atque Iunonis armauerint. voluptates ſuas deteſtatur, quarum pretio tanta immerentum pernicies empta eſt. Somnum exhorreſcit, cuius deceptus lenocinio, extremis Troiæ calamitatibus indormiuit. Creditis? nugæ ſunt: in excuſationes plus nimio pronus (inquit doctiſſimus Homeri ſcholiaſtes Euſthatius) aliò culpam deriuat ſuam; & Iunonem acerbè increpans, verbera illi, ſuſpendium, incudes iam penè obrigenti minatur; hæc autem vt ſe collegit, animumque ferali denuntiatione peregrinatum reuocauit, ne ſuas fateri fraudes videatur, ipſa etiam

Iouis exemplo, excuſationes adornat, omnemque admiſſi ſceleris inuidiam regerit in Neptunum: atq; ita Troiæ periculo mutuis numinum excuſationibus illuſum eſt. Nimirum ingenioſa res eſt amor ſui; qui tum maximè induſtriam explicat, cùm aliquid culpæ prætexendum, ad tuendam innocentiæ famam vel neceſſitas perſuadet, vel vtilitas docet. tunc enimuerò omnibus artis ſuæ machinamentis abutitur, atque vbi vel exēpli vim, vel temporum iniquitatem, ſine conſcij obiurgatione animi, cauſari non poteſt; ad loci ſaltem conditionem excuſatione delabitur. Atque hoc caput erat, quod mihi è veteri argumento ſepoſitum, explicare nunc demum hodierna diſſertatione decreui.

Vide Senec. Epiſt. 50.

Non ego ambitioſus ſum, inquit ad Lucilium Seneca, *ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere: non ego ſumptuoſus ſum, ſed vrbis ipſa magnas impenſas exigit:* adde ſi libet, impurus ego non ſum, ſed Romani cæli hauſtus, & ſpiritus animalis neſcioquid in viſcera peregrini caloris inſinuat, quod pudicos eſſe non ſinit. Quid enim? ea in vrbe, quæ originem reuocat ad Æneam, Veneris ex meritorio cum Anchiſe concubitu filium; quæ creuit beneficio Romuli. inter furtiuos Martis, cum Veſtali quondam Virgine

Vide locum ... *Cypr.*

com-

complexus procreati; quæ ciuium frequentiam Sabinarum ſtupris acceptam refert; quæ matrimonia ſcelere quæſiuit; flagitio contraxit affinitates; libidine ſoceros aſciuit; ſponſalia rapinis obſignauit; vxores adulterijs traduxit verius, quàm duxit, caſtimoniæ partes aliquæ relinquentur? locorum vitia ſunt iſta non hominum. neque enim idē terris omnibus genius, idem ingenium eſt. nam quemadmodum agricolæ ſolertia factum videmus, vt non eadem cuique ſolo ſemina cum fœnore repetenda credamus (quoniam *in omni parte culturæ*, ait Plinius, *valet oraculum illud quid quæque regio patiatur*) ita in excolendis variarum gentium animis vſu cōprobatum eſt, alios alibi fructus ſeri, nec eundem morum, virtutumque prouentum, ab diuerſis terrarum orbis regionibus expectandum. vtrobique videlicet varietatis argumenta, perpetuo naturæ miraculo depromuntur. Quis igitur morum cenſor tam vultuoſus, ac minax, dum à Romano cœlo vel originem vitæ, vel animale pabulum haurio, mihi vitam ad Romanas leges exigenti iure ſuccenſeat? aut enim Veios migrandum Quiritibus eſt, aut è Quiritum conſuetudine, quali quali Vrbis, Aulæque ingenio mores attemperandi. Vidit hoc olim
 faſti-

faſtidioſo ſupercilio Vir Vmbricius, qui Romanarum viuendi artium pertæſus, & vrbis tamen vim, ad animi conſtantiã labefactandam pertimeſcens, maturè ſolum vertit, & Cumis quantumuis vacuis, ſedem fixit, Sybillæ contubernalis.

Quid Romæ faciam? mentiri neſcio; librũ,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere;
motus
Aſtrorum ignoro; funus promittere Patris
Nec volo, nec poſſum; ranarum viſcera
nunquam
Inſpexi; ferre ad nuptã quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alij, &c.

neceſſariò fortaſſe, nedum prudenter Vmbricius, qui vrbanis induendis moribus impar, vrbanas ſaltem curas exuit; & Romanæ multitudinis vitia ſua ipſius deportatione proſcripſit. ea enim quia ablegare ab ſe, atque aliter in exilium mittere non potuit, exulauit. Aſt ego indolis mitioris homuncio, aliam mihi ſemitam inſiſtendam reor. ego ne truci quadam toruitate naturæ, à communi viuendi ratione in priuatas curas abductus, tacita morum obiurgatione exprobrantis ſpeciem induam, vt me inauſpicatum planè animal, obuia Aulicorum turba vel ſummoueat, vel declinet? ego tot procerum, tot amicorum, imo totius Aulæ vultum, vano modeſtiæ obie-

ctu verberabo, vt iuſtiſſimis vapulem plebis imperitæ conuicijs? ego in media vrbis frequentia ſolitarius virtutis cultor, prætereuntium digito ad ludibrium deſignabor, intempeſtiuæ ſcilicet innocentiæ prodigium, Romanis oculis inſuetum? Apage præcocem hanc, imprudentemque prudentiam, humanæ ſocietatis inimicam. egregiè. Tu tamen interea lapides à Cælimontanis, aut Tranſtiberinis Saxellionibus non pertimeſcis! vſque adeò ne in omnem improbitatem Roma degenerauit, vt ſine illius contumelia probus eſſe non poſſis? tua ne pudorem Romanis virtus incutiet, quorum exemplis ſtetit quidquid vbiq; terrarum glorioſum, atque inclytum floruit? Ibi ne virtutis ſolitudinem timeas, vbi virorum virtute præſtantium non magnitudo tantum, ſed multitudo te obruit? tam lippus es in exaggeratæ gloriæ lumine, in quo magnæ illæ priſcorum animæ caligarent? O deplorandam Reginæ Vrbium mendicitatem, ſi vnico nititur tuæ virtutis ærario! ò deſpicatum virtutis imperium, ſi vnis morum tuorum legibus temperatur! Sed ò impudentiſſimam tuæ frontis temeritatem, ſi à via virtutis exorbitas, quia infrequentiam times, & fœdo opinionis errore, turpis mauis eſſe quàm ſolus.

S 6 Ve-

Verùm ne vrbis vnius, aut Aulæ cauſam agere videamur, latiùs oro vos, noſtra ſeſe effundat oratio; vt omnibus, quando licet, telis improbitatem exarmemus. Locorum ais vitia eſſe non hominum. Vetulam Harpaſtem narrat in Epiſtolis Seneca, ridiculam paternæ hæreditatis appendicem, poſtquam vel ætatis, vel fortunæ vitio intelligentiæ lumen amiſiſſet, oculis etiam corporis captam eſſe: quid enim oculis indigeret, cui iam occiderat ſol? hæc autem fatua, cùm in cubiculo deambulans, viam non tam pedibus iniret, quàm manibus prenſaret, ac quæreret, ſuæ tamen cæcitatis ignara, cubiculi tenebras calumniabatur; & pedagogum ſuum ſubinde, vt migraret, orabat, domus ſcilicet, non ſuæ frontis caliginem auerſata. O quoties denſam, quam circumferimus animo, vitiorum noctem, vt accerſitis ad excuſationem loci vmbris extenuemus, intendimus! neque enim mentis caligo loci obſcuritate diſcutitur, ſed augetur. animus verò illuſtribus veræ virtutis radijs imbutus vel inter Cimmerios lucē, quam ſemel imbibit, retinebit. Præclarè apud Plutarchum Thales Mileſium Alexidemum tyranni filium tum maximè ferocientem, oratione compeſcuit. Cùm enim is è cænaculo ſe furioſè proriperet,

riperet, quòd locum non ſatis, vt opinabatur honeſtum, in conuiuio iuſſus eſſet occupare; hominem à turba ſeductum comiter obiurgauit Thales, quòd indignitatem loci ad ſe pertinere ſtultiſſimè iudicaſſet. generosè ſiquidem, ac ſapienter Laconem iuuenem choragi contumeliam declinaſſe, qui poſtremo in chori loco conſtitutus, non modo iniquitatem iudicij ægrè non tulit, ſed præfecto potius bonam mentem ſerio gratulatus eſt, quòd eam potiſſimum abiecti cohoneſtandi loci rationem inijſſet. Nimirum nulla nos ad virtutem loci dignitas trahit; nulla ab virtute loci turpitudo nos reuocat. Hoc vnum nobis, ſed luculentum inter fortunæ deliria ſolatium eſt, quòd benè conſtitutus animus, quamlibet in partem verſari ſe, nullo negotio ſinit, erectus tamen, ſolidus, alacer, ſibi cōſtans, & ſemper excelſus. Quod ergo ancipiti rerum humanarum turbine circumactus, atque humili depoſitus loco, in lubrico Aulæ culmine ſuſpicit immerentes, hoc ille non more vulgi, alienæ ſortis ludibrium putat, ſed ſuæ tyrocinium conſtantiæ, ſed diuinæ conſilium prouidentiæ. Quis enim cum paupertate rediret in gratiā, niſi ſapientiam raro trabeatam, ſæpius pannoſam in ſordibus coluiſſet? Quis

Viro-

Virorum principum aulas, humanæ diuinitatis auguſtale, Perſicis non adoraret obſequijs, niſi animus virtutis ingenio ad omnem magnitudinem effictus, vel Diogenis dolio, vel Anacharſis tuguriolo litandum potius eſſe didiciſſet? Quis pretioſa ambitionis pericula, periculis, angoribuſque non emeret, niſi ſapientiam intellexiſſet expoſitam omnibus, morum innocentia, atque animi demiſſione venalem? Quis denique humanæ gloriæ currum, temerarius aulicæ vitæ Phaeton non optaret, niſi prudentiæ monitu, alieno doctus infortunio (quæ omnium beatiſſima diſciplina eſt) plus timeret calamitatis in lapſu, quàm ſperaret felicitatis in curſu? Nec in Phaetontis rotas imprudenter impegi: inſanus ſiquidem adoleſcens, quam inter mortales diutius traduxiſſet vitam, in ipſo immortalitatis regno immaturè proiecit: & quaſi longè poſitas vitæ metas attingere, niſi ſero ætatis beneficio non poſſet, ipſos ſolis equos votorum importunitate conduxit, quorum pernicitate properaret ad mortem; vectura ſanè miſerabili, quæ aurigante luce incurrit in tenebras: vt hoc etiam caſu erudita mortalitas, non locorum, ſed animi vitia fateatur. Et ſane ita ſe res habet, Auditores, immanes illæ Gi-

gantum ſtatuæ in profundam vallis pla-niciem depreſſæ, à magnitudine non degenerant, quam in ipſo Olympi, aut Caucaſi vertice ſuperbiùs oſtentarent. Stirpium ſint fata iſta, non hominum; vt ex telluris ingenio vel frondeant, vel areſcant; virtus propriæ tantum culturæ patiens, fœcunditatem, quam in alieno ſolo non inuenit, non deſiderabit in ſuo: excoli modo ſe animus patiatur, nec peregrinos imbibat ſuccos. Quid quod ne arboribus ſoli genius ſemper fatalis eſt? regionem narrat in geographicis Strabo, quam combuſtam appellant, exanguem, exſuccam, torridis ſemper vaporibus æſtuantem.

At licet infeſtus terram decoxerit ardor,
Vaſtaritq; amplos peſtis Lipareia tractus;
Vinea combuſtæ ſe ſubtrahit vna ruinæ,
Et læto grauidos extollens vertice ramos
Irrigat ardentes lenæo nectare rupes.

Vt mirandum non ſit, ſi ſterili etiam loco, & contumaci, virtutis germina ſoboleſcunt, dum in ea terræ macie, ſolique proteruia, vitis tamen ramos feliciter explicat. Solem vides, opinor; (quid autem videas ſi cæcutis in ſole?) ſol ergo vtcumque radijs cloacas, cænumque perluſtret, nunquam tamen è ſterquilinio ſordidus, è cæno lutulentus emergit. maior eſt diuinitas ſolis, quam

cuſandas altera iam diſſertatione ſuſcepi, præuaricari non videbor in cauſa; ſi cæteris omnibus prætermiſſis ſola aduerſus excuſationes argumenta, ab ipſa Troianæ vrbis obſidione depromam. Anceps igitur, per me, toto decennio æſtuauerit fatum; dum florentiſſimum Aſiæ regnum contrarijs numinum votis aut ſtat, aut cadit: de Grecorum victoria delibauerit per me fortuna diutius, nunc Achillis iracundiæ ſubinfenſa, nunc Hectoris virtute deterrita: excuſationes ego ad inertiæ patrocinium excogitatas in concione traducens, prima Deorum capita in ius vocanda, Homero teſte pronuncio. Et Iupiter quidem, ne quis è numinum plebe, ſtudio partium, aut Græcos foueret, aut Troianos, edixerat; cùm præceps è cœlo in Idæ latebras ſe coniecit: hoc eſt cùm neglecta diuinitatis prouidentia, ad inertiſſimas voluptatis illecebras ſponte prolapſus eſt. Tiberium diceres inceſtuoſum ſenem, ab neceſſarijs Imperij Romani curis, vt in infames Caprearum libidines auerſum. Vſa igitur mariti ſocordia Iuno, Troianorum iampridem exitio imminens; otioſè feriantem ſomno adoritur, mox Veneris cæſto turpiter implicatum, omni humani generis ſollicitudine, & dormiturientem, & vxoriũ pro-

prorſus abſoluit. Neptunus interea, maturandum ratus, dum Iouis oculus conniueret in ſomnum, Græcorum fortunam iam præcipitem, labantemque reſtituit; & Troianorum res Aiacis præſertim Locri virtute peſſundat. Expergiſcitur tandem bonus ille Iupiter, rerũ humanarum procurator egregius, bellumque videt Iunonis, atque Neptuni artibus, inclinata propemodum re Troiana, recrudeſcens. Hic enimuero, vt æquum erat, excanduit: quid autem ageret iniqua Troianorum clade, atque adeò Hectoris ipſius ceſſatione perculſus? Amores opinor ſuos odiſſe iam cæpit, quòd in vltimum penè Phrygum exitium Neptuni odium, atque Iunonis armauerint. voluptates ſuas deteſtatur, quarum pretio tanta immerentum pernicies empta eſt. Somnum exhorreſcit, cuius deceptus lenocinio, extremis Troiæ calamitatibus indormiuit. Creditis? nugæ ſunt: in excuſationes plus nimio pronus (inquit doctiſſimus Homeri ſcholiaſtes Euſthatius) aliò culpam deriuat ſuam; & Iunonem acerbè increpans, verbera illi, ſuſpendium, incudes iam penè obrigenti minatur; hæc autem vt ſe collegit, animumque ferali denuntiatione peregrinatum reuocauit, ne ſuas fateri fraudes videatur, ipſa etiam

Iouis exemplo, excuſationes adornat, omnemque admiſſi ſceleris inuidiam regerit in Neptunum: atq; ita Troiæ periculo mutuis numinum excuſationibus illuſum eſt. Nimirum ingenioſa res eſt amor ſui, qui tum maximè induſtriam explicat, cùm aliquid culpæ prætexendum, ad tuendam innocentiæ famam vel neceſſitas perſuadet, vel vtilitas docet. tunc enimuerò omnibus artis ſuæ machinamentis abutitur, atque vbi vel exẽpli vim, vel temporum iniquitatem, ſine conſcij obiurgatione animi, cauſari non poteſt; ad loci ſaltem conditionem excuſatione delabitur. Atque hoc caput erat, quod mihi è veteri argumento ſepoſitum, explicare nunc demum hodierna diſſertatione decreui.

Vide Senec. Epiſt. 50. *Non ego ambitioſus ſum*, inquit ad Lucilium Seneca, *ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere: non ego ſumptuoſus ſum, ſed vrbis ipſa magnas impenſas exigit:* adde ſi libet, impurus ego non ſum, ſed Romani cæli hauſtus, & ſpiritus animalis neſcioquid in viſcera peregrini caloris inſinuat, quod pudicos eſſe non ſinit. Quid enim? ea in vrbe, quæ originem reuocat ad Æneam, Veneris ex meritorio cum Anchiſe concubitu filium; quæ creuit beneficio Romuli. inter furtiuos Martis, cum Veſtali quondam Virgine com-

Vide locum S. Cypr.

complexus procreati; quæ ciuium frequentiam Sabinarum ſtupris acceptam refert; quæ matrimonia ſcelere quæſiuit; flagitio contraxit affinitates; libidine ſoceros aſciuit; ſponſalia rapinis obſignauit; vxores adulterijs traduxit verius, quàm duxit, caſtimoniæ partes aliquæ relinquentur? locorum vitia ſunt iſta non hominum. neque enim idē terris omnibus genius, idem ingenium eſt. nam quemadmodum agricolæ ſolertia factum videmus, vt non eadem cuique ſolo ſemina cum fœnore repetenda credamus (quoniam *in omni parte culturæ*, ait Plinius, *valet oraculum illud quid quæque regio patiatur*) ita in excolendis variarum gentium animis vſu cōprobatum eſt, alios alibi fructus ſeri, nec eundem morum, virtutumque prouentum, ab diuerſis terrarum orbis regionibus expectandum. vtrobique videlicet varietatis argumenta, perpetuo naturæ miraculo depromuntur. Quis igitur morum cenſor tam vultuoſus, ac minax, dum à Romano cœlo vel originem vitæ, vel animale pabulum haurio, mihi vitam ad Romanas leges exigenti iure ſuccenſeat? aut enim Veios migrandum Quiritibus eſt, aut è Quiritum conſuetudine, quali quali Vrbis, Aulæque ingenio mores attemperandi. Vidit hoc olim

faſtidioſo ſupercilio Vir Vmbricius, qui Romanarum viuendi artium pertæſus, & vrbis tamen vim, ad animi conſtantiã labefactandam pertimeſcens, maturè ſolum vertit, & Cumis quantumuis vacuis, ſedem fixit, Sybillæ contubernalis.

Quid Romæ faciam? mentiri neſcio; librũ,
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere;
motus
Aſtrorum ignoro; funus promittere Patris
Nec volo, nec poſſum; ranarum viſcera
nunquam
Inſpexi; ferre ad nuptã quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alij, &c.

neceſſariò fortaſſe, nedum prudenter Vmbricius, qui vrbanis induendis moribus impar, vrbanas ſaltem curas exuit; & Romanæ multitudinis vitia ſua ipſius deportatione proſcripſit. ea enim quia ablegare ab ſe, atque aliter in exilium mittere non potuit, exulauit. Aſt ego indolis mitioris homuncio, aliam mihi ſemitam inſiſtendam reor. ego ne truci quadam toruitate naturæ, à communi viuendi ratione in priuatas curas abductus, tacita morum obiurgatione exprobrantis ſpeciem induam, vt me inauſpicatum planè animal, obuia Aulicorum turba vel ſummoueat, vel declinet? ego tot procerum, tot amicorum, imo totius Aulæ vultum, vano modeſtiæ obie-

&tu verberabo, vt iuſtiſſimis vapulem plebis imperitæ conuicijs? ego in media vrbis frequentia ſolitarius virtutis cultor, prætereuntium digito ad ludibrium deſignabor, intempeſtiuæ ſcilicet innocentiæ prodigium, Romanis oculis inſuetum? Apage præcocem hanc, imprudentemque prudentiam, humanæ ſocietatis inimicam. egregiè. Tu tamen interea lapides à Cælimontanis, aut Tranſtiberinis Saxellionibus non pertimeſcis! vſque adeò ne in omnem improbitatem Roma degenerauit, vt ſine illius contumelia probus eſſe non poſſis? tua ne pudorem Romanis virtus incutiet, quorum exemplis ſtetit quidquid vbiq; terrarum glorioſum, atque inclytum floruit? Ibi ne virtutis ſolitudinem timeas, vbi virorum virtute præſtantium non magnitudo tantum, ſed multitudo te obruit? tam lippus es in exaggeratæ gloriæ lumine, in quo magnæ illæ priſcorum animæ caligarent? O deplorandam Reginæ Vrbium mendicitatem, ſi vnico nititur tuæ virtutis ærario! ò deſpicatum virtutis imperium, ſi vnis morum tuorum legibus temperatur! Sed ò impudentiſſimam tuæ frontis temeritatem, ſi à via virtutis exorbitas, quia infrequentiam times, & fœdo opinionis errore, turpis mauis eſſe quàm ſolus.

Verùm ne vrbis vnius, aut Aulæ cauſam agere videamur, latiùs oro vos, noſtra ſeſe effundat oratio; vt omnibus, quando licet, telis improbitatem exarmemus. Locorum ais vitia eſſe non hominum. Vetulam Harpaſtem narrat in Epiſtolis Seneca, ridiculam paternæ hæreditatis appendicem, poſtquam vel ætatis, vel fortunæ vitio intelligentiæ lumen amiſiſſet, oculis etiam corporis captam eſſe: quid enim oculis indigeret, cui iam occiderat ſol? hæc autem fatua, cùm in cubiculo deambulans, viam non tam pedibus iniret, quàm manibus prenſaret, ac quæreret, ſuæ tamen cæcitatis ignara, cubiculi tenebras calumniabatur; & pedagogum ſuum ſubinde, vt migraret, orabat, domus ſcilicet, non ſuæ frontis caliginem auerſata. O quoties denſam, quam circumferimus animo, vitiorum noctem, vt accerſitis ad excuſationem loci vmbris extenuemus, intendimus! neque enim mentis caligo loci obſcuritate diſcutitur, ſed augetur. animus verò illuſtribus veræ virtutis radijs imbutus vel inter Cimmerios lucē, quam ſemel imbibit, retinebit. Præclarè apud Plutarchum Thales Mileſium Alexidemum tyranni filium tum maximè ferocientem, oratione compeſcuit. Cùm enim is è cænaculo ſe furiosè proriperet,

tiperet, quòd locum non ſatis, vt opinabatur honeſtum, in conuiuio iuſſus eſſet occupare; hominem à turba ſeductum comiter obiurgauit Thales, quòd indignitatem loci ad ſe pertinere ſtultiſſimè iudicaſſet. generosè ſiquidem, ac ſapienter Laconem iuuenem choragi contumeliam declinaſſe, qui poſtremo in chori loco conſtitutus, non modo iniquitatem iudicij ægrè non tulit, ſed præfecto potius bonam mentem ſerio gratulatus eſt, quòd eam potiſſimum abiecti cohoneſtandi loci rationem inijſſet. Nimirum nulla nos ad virtutem loci dignitas trahit; nulla ab virtute loci turpitudo nos reuocat. Hoc vnum nobis, ſed luculentum inter fortunæ deliria ſolatium eſt, quòd benè conſtitutus animus, quamlibet in partem verſari ſe, nullo negotio ſinit, erectus tamen, ſolidus, alacer, ſibi cõſtans, & ſemper excelſus. Quod ergo ancipiti rerum humanarum turbine circumactus, atque humili depoſitus loco, in lubrico Aulæ culmine ſuſpicit immerentes, hoc ille non more vulgi, alienæ ſortis ludibrium putat, ſed ſuæ tyrocinium conſtantiæ, ſed diuinæ conſilium prouidentiæ. Quis enim cum paupertate rediret in gratiã, niſi ſapientiam raro trabeatam, ſæpius pannoſam in ſordibus coluiſſet? Quis

Viro-

Virorum principum aulas, humanæ diuinitatis auguſtale, Perſicis non adoraret obſequijs, niſi animus virtutis ingenio ad omnem magnitudinem effictus, vel Diogenis dolio, vel Anacharſis tuguriolo litandum potius eſſe didiciſſet? Quis pretioſa ambitionis pericula, periculis, angoribuſque non emeret, niſi ſapientiam intellexiſſet expoſitam omnibus, morum innocentia, atque animi demiſſione venalem? Quis denique humanæ gloriæ currum, temerarius aulicæ vitæ Phaeton non optaret, niſi prudentiæ monitu, alieno doctus infortunio (quæ omnium beatiſſima diſciplina eſt) plus timeret calamitatis in lapſu, quàm ſperaret felicitatis in curſu? Nec in Phaetontis rotas imprudenter impegi: inſanus ſiquidem adoleſcens, quam inter mortales diutius traduxiſſet vitam, in ipſo immortalitatis regno immaturè proiecit: & quaſi longè poſitas vitæ metas attingere, niſi ſero ætatis beneficio non poſſet, ipſos ſolis equos votorum importunitate conduxit, quorum pernicitate properaret ad mortem; vectura ſanè miſerabili, quæ aurigante luce incurrit in tenebras: vt hoc etiam caſu erudita mortalitas, non locorum, ſed animi vitia fateatur. Et ſane ita ſe res habet, Auditores, immanes illæ Gi-

gan-

gantum ſtatuæ in profundam vallis planiciem depreſſæ, à magnitudine non degenerant, quam in ipſo Olympi, aut Caucaſi vertice ſuperbiùs oſtentarent; Stirpium ſint fata iſta, non hominum; vt ex telluris ingenio vel frondeant, vel areſcant; virtus propriæ tantum culturæ patiens, fœcunditatem, quam in alieno ſolo non inuenit, non deſiderabit in ſuo: excoli modo ſe animus patiatur, nec peregrinos imbibat ſuccos. Quid quod ne arboribus ſoli genius ſemper fatalis eſt? regionem narrat in geographicis Strabo, quam combuſtam appellant, exanguem, exſuccam, torridis ſemper vaporibus æſtuantem.

At licet infeſtus terram decoxerit ardor,
Vaſtaritq; amplos peſtis Liparcia tractus;
Vinea combuſtæ ſe ſubtrahit vna ruinæ,
Et læto grauidos extollens vertice ramos
Irrigat ardentes lenæo nectare rupes.

Vt mirandum non ſit, ſi ſterili etiam loco, & contumaci, virtutis germina ſoboleſcunt, dum in ea terræ macie, ſolique proteruia, vitis tamen ramos feliciter explicat. Solem vides, opinor; (quid autem videas ſi cæcutis in ſole?) ſol ergo vtcumque radijs cloacas, cænumque perluſtret, nunquam tamen è ſterquilinio ſordidus, è cæno lutulentus emergit. maior eſt diuinitas ſolis, quam

vt purgamentis iſtiuſmodi contabeſcat. Et ne ſolis exemplum declines, quia ſolus eſt, illum ego incomitatum ire non patiar. Alphæus Arcadiæ fluuius, & Arethuſæ amoribus, & Poetarum carminibus nobilitatus, cum admirabilior prodigijs fluat, quam auro ſuo Ganges, in eo tamen vim omnem ſtuporis extorquet, quod Adriatico, Siculoque immiſtus pelago, natiuam aquæ dulcedinē nec inficit, nec amittit, vt Philoſtratus autor eſt, ſui videlicet compos animus, & virtutis tenax; quocumque tandem loco illum fortunæ deliramenta conſtituant, nocentibus vitiorum auris afflari fortaſſe poteſt, corrumpi non poteſt: nam ſancto ſapientiæ beneficio ſolidatus, nullis patet vel loci contumelijs, vel voluptatis illecebris, vel hoſtium fraudibus, vel ſortis iniurijs. egrediamur tantiſper, ſi libet, vt Athenas ipſas cogitatione proficiſcamur; non in Pyræo tamen, aut in Areopago vos ſiſtam, ſed ad publicam flagitioſorum cuſtodiam recta contendam; meque in deuotum ſontibus ergaſtulū vobis comitantibus penetrabo: quos autem in omnis turpitudinis receptaculo reperiemus? ſicarios, opinor, parricidas, adulteros, perduelles, morum peſtes, virtutis euerſores. Apage. Seniculum contempla-

plabimur ſeminudum, ſimis naribus, rugoſum, ſine ſucco, & ſanguine, recaluaſtrum; vno verbo Socratem. Socratem dixi? oraculum appellare debueram, cuius ore diuinitatis arcana ſapientia mortalibus propinauit: cuius moribus ſanctitatis leges humano generi virtus edixit: cuius doctrina rectè philoſophantium ingenia ad ſtudium veritatis exarſere: cuius inſtitutione, præclara iuuenum indoles ad omnis laudem honeſtatis effloruit. hunc autem Socratem mortis expectatione geſtientem potius, quam attonitum, compellare ſi liceat, vt tanti nos infortunij cauſas edoceat; quid non tam illum, quam pro illo ſapientiam reſponſuram putatis? bene eſt, ò Iuuenes, à recta virtutis ſemita, dum Socratem quæritis non aberraſtis. Fateor impegiſtis in carcerem, ſed in quo Socratis animus immenſa naturæ ſpatia peruagatus, ſupremam aſſeritur in libertatem. huc illum non ad popularium odia exaturanda Aniti, Melitiq; calumniæ compulerunt, ſed volentem traxerunt fata, vt carceri detraheret ignominiã: vbi enim virtus eſt, carcer eſſe non poteſt; excelſus ſiquidem animus, ac ſui plenus, vbicumque libertatem non inuenit, facit, & ergaſtuli tenebras ſole ſuo virtus illu-

ſtrat.

ſtrat. Infame hoc flagitioſorũ hominum antrum potius, quam domicilium, Socratis conſecrat ſanctimonia, vt templum exinde poſſit eſſe virtutis, quod buſtum iampridem fuerat improbitatis. in hoc magnæ mentis ſacrario ediſcet rerum opinionibus deluſa mortalitas, nullibi amplum exaggeratæ virtuti theatrum deeſſe, quando inter imminentis meditamenta ſupplicij geſtum facit, omni Roſcio maior, atque venuſtior.

Sed quid ego Socratem diutius interpello, cum in ſui me admirationem rapiat Theodora? illa inquam Theodora, quæ, quam à nuperrimo theatro lucem accepit ampliſſimam, eídem theatro reddidit cumulatam? Et tu quidem Virginum fortiſſima, vel in carceris ſqualore, contabeſcens, vel inter ferarum ſæuitiam, Faunorumque dementiam interrita, vel diuitiarum, otij, voluptatis blandimentis inuicta, in tui obſequium mortalium animos miraculo virtutis accendis: at in turpiſſima iſta impuritatis officina quid ages? ecce tibi ex aduerſo neſcioquis, & miles, & adoleſcens, & in lupanari: quò te deprehenſa pudicitia conuertes? audi Virgo iam loquitur;

Parce metu Theodora; trucis tibi militat oris

Aſpe-

Aſperitas mollē quando auerſaris amantē.
Cypria ſi faciles coqueret mihi flammā medullas,
Non ego terrifico duraſſem pectora ferro;
Ferrum horreſcit amor, ferrum indignatur amorem.
Nunc quia virginei cuſtos inuicta pudoris,
Effera blanditijs, ſæuos miteſcis ad enſes,
Vota ſequor, quæ virgo preis: tibi miles amorem
Deuoueo, caſtoque Venus cadit hoſtia Marti.
Sponſor ego non ſponſus ero: Theodora quid hæres?
Nec tamen armatos in colla pudica furores
Exercere iuuat; procul hinc abſiſtite diræ.
Communis me relligio, me numinis ardor,
Me tua virginitas in luſtra infanda volentē
Traxit, vt in Ventos cadat ars deluſa Tyranni.
Quid tibi cum titulis? tibi quid cum fornice Virgo?
Ah fuge pollutas maculoſi carceris auras.
Atque hoſtem validū illecebris, & fraude potentem
Vince dolis, proſterne fuga: fuga vincit amorem.
Nec tamen imbelli generoſi pectoris æſtus
Frango gelu; ſume arma tuis non æqua lacertis,
Virtuti tamen æqua tuæ: ſume arma, necemque

Quam

Quā non expectat fugiens molire Tyranno.
Hinc galea bene tuta, nefas mentire ſubactæ
Virginis, obtutu ſemper defixa cadente:
Ipſe pudor tibi iura dabit, quem conſcia virtus
Adſciſcit ſocium, non quem ſcelus ore colorat.
Obliquos ſic falle oculos, fallentur & ore
Spectantium victrix iuuenum excipiere procaci.
Interea fugies Veneris præda irrita; tecum
Candida purpureis veniet victoria pennis.
Aſt ego non ſceleri, ſed inerti obnoxius iræ
In me fata voco: veniant modo fata, cruore
Fortunam abſoluam, ſacriſque operatus, ad aras
Victima ſeruati dicar cecidiſſe pudoris.

Inter hæc anxia, vt oportuit, nec ſatis militi fidens Theodora, vndequaque circumſpicit. Iuuenem videt, ætate florentem, atque adeo ſi voluptas ſuadeat, amoribus opportunum: ſi autem paranda ſit vis, robore præferocem gladiū in expedito. Locus ipſe omnem libidinis ſcenam obijcit meditanti. Theodora ergo ſuperis, atque conſcientia adhibitis in conſilium, & ad morum ſanctimoniam nihil officere loci turpitudinem gnara, mori certior, quam pec-

care,

care, Didimo in hæc verba reſpondet.

Quicumq; impuris ſuccedis ſedibus hoſpes,
Et geris audaci tela vibranda manu:
Si te virginei ſitis ambitioſa cruoris
Torquet, & emeritus prouocat arma pudor;
Non moror immanes metuendi militis auſus;
Obuia vulneribus pectora prædo feri.
Prædo feri, ſanguiſq; trucem meus imbuat enſem,
Purpura nobilior nulla pudoris erit;
At me terret amor, ſi te Venus vrget amantem,
Iam concreta rigent oſſa peruſta gelu:
Viſcera iā cæco ſaliunt labefacta tumultu,
Iam tremit, inuictus, qui fuit ante, pudor.
Ah tua degeneres non carpant viſcera flammæ,
Turpis erit duro in milite mollis amor.
Ah ne bellaces mala fax effæminet æſtus,
Vince cupidineum pectoris igne rogum.
Quod ſi forte meas optas torrere medullas.
Non tibi me timidus conciliabit amor;
Res odijs peragenda; meos mercaberis ignes,
Si furor iratas pellet in arma manus.
Non amo blanditias ſed amarum in milite vultum;
Forma placet ſtudijs apta placere ſuis.
Non qui complexus, ſed qui ferus expedit enſem,

Qui

Qui vomit indomitas ore flagrante faces,
Gratior ille mihi eſt. Ferrum ergo in pectus adactum,
Si quid amas, primum pignus amoris erit
Ergo feri, noſtramque fidem iam ſauciat enſis,
Munera transfixo in pectore conde tua.
Aut ſi non fallax noſtras vox impulit aures;
Si pia concepto numine corda calent;
Aduoluor genibus Virgo, promiſſa repoſcens
Arma, quibus poſſit tutior eſſe fuga;
Non humilis, ſed caſta fugam meditabor, eunti
Non timor inſternet, ſed pudor ipſe viam.
Dedecus effugio, mortem non deprecor; hoſtis
Sæuiat, expecto vulnera, non abeo.
Ad cædẽ ſi fata vocant, inopina reuertar,
Nec te ſponſorem funeris eſſe volo.
Sanguine te redimam; redimet mihi vita pudorem;
Sanguine gaudebit erubuiſſe pudor.

Has autem maſculę virtutis voces; egregia hæc documenta caſtitatis, ex Veſtæ penetralibus, è conclaui Lucretiæ, ex ..ytis pudicitiæ, an potius è Floræ ſterquilinio, è Thaidis cloaca, ex officina libidinum accepimus, Auditores; & ad excuſandam tamen morum intemperantiam

tiam cauſamur fęditatem loci,& Cumas diſcedit Vmbricius, ciuemque Sybillæ donat, quod in Vrbe ſine vrbis contumelia probus eſſe non poteſt. Infelix. Hominum animus natura immortalis, & ſanctus, cognatione ętiam diuinus,in hoc corporis ergaſtulum Dei conſilio detruſus, an ideo ſordidi contagione diuerſorij corruptus obſoleſcit? Illis fortaſſe, qui proni in ventrem, mera voluptatis mancipia in vitiorum cæno volutantur; non vobis, quorum virtus, atque ſapientia ſuo inuoluta lumine, alienis tenebris inſultat.

De eruditione per ſomnia ad ſomnium Scipionis.

PROLVSIO VNDECIMA.

HOminum vita vigiliæ ne an ſomno potius comparanda videretur, ambiguè hactenus diſputatum eſt, Viri ſapientia, & dignitate clariſſimi. Et perpetuũ ſanè curarum examen, quibus exedimur: mens inquies, omniſq; tranquillitatis impatiens: cogitationum nõ tam viciſſitudo,quam æſtus: inconſtans perturbationum reciprocatio; cupiditatum euripus, argumenta ſunt animi nullam vnquam quietis partem deliban-

tis,& prorſus ex ſomnis. Contrà verò deſidioſum vitæ genus,atque iners, quo mortalium plerique torpeſcunt: inania rerum ſimulachra ambitionis artificio in animis fabrefacta: ingenioſæ phantaſiæ deliramenta, quibus non ſine prudentiæ opinione deſipimus: in conquiſitione virtutis negligētia,cuius culturæ altum quodammodo indormimus, an nō hominem arguunt ſomniculoſum, & continuis ſomniorum ludibrijs opportunum? Vſque adeò natura rerum in hanc nos ſcenam mortalitatis incogitanter abiecit, vt vigilantes ne an dormiturientes geſtum in vitæ fabula faciamus, per diſputationum ambages anquirendum ſit. Hinc præclara illa ſomniorum ciuitas, per proteruam irridendi libidinem à Luciano deſcripta nobis incurrit in oculos: quam ego veris tantummodo ingenioſi nebulonis hiſtorijs digniſſimam arbitrarer, niſi me Dauidis auctoritas in eam ſententiam abduceret, vt in Vrbe ſomniorum, hoc eſt in Principū Aulis,imaginem ipſorum ad nihilum redigendam eſſe ſtatuerem. Verum vtcumque ſe res habeat bene eſt. Illa eadem natura rerum, quam paulò ante, veluti mortalium incurioſam calumniabar,rebus humanis tam prouidè, tam amanter, vno verbo, tam maternè con-

conſuluit, vt ne ſomnia quidem noſtrã ſine fructu, eoque vberrimo euaneſcere patiatur. mentem quæſo vos diligenter aduertite. Mortales, ærumnoſum, & deuotum laboribus genus, neceſſariam collabentis iamiam corporis quietem, diurnæ defatigationis pretio mercantur à ſomno. Tunc enimuerò moleſtias in loco ſeponunt, quando illas omnino deponere, humanitatis iure non licet: & quoniam omnes vitæ calamitates exuere fruſtra conantur, obliuionem è ſomni penetralibus accerſunt, cuius beneficio ſi non mœror, acrior certè mœroris ſenſus hebetatur, atq; retunditur. Hominem ergo vobis ſomno reſolutum fingite (quid autem fingatis? ſi circumſpicitis inueniſtis; ego neminem ne oculis quidẽ deſignabo) fingite tamen, vt libet, ne aliquis orationem meam in crimen vocet. Videbitis laruam hominis deſidiosè proiectam; explicatis temere brachijs, & collabentibus; ore patulo, hiantique, inertibus oculis, & pene rigentibus; atque, vt ſemel dicam, reſupinatum hominis cadauer, cui neſcio quid halitus indultum ſit, vt ſpirabili hoc indicio, & maximè fugitiuo, abſtruſa in viſceribus vita deprehendi poſſet. Huic autem ſimulachro verius quàm homini, tunc potiſſimum per ſomnia

eruditio ſeſe cæleſtis inſinuat, cum lubrico leuis halitus diſcrimine vix diſtat à morte. Sapientia nimirum capaces, quibus ſeſe ingerat, nacta mentes, tam profuſe ſe prodigit, vt etiam per ſomni furtũ iucundiſſimè obrepat incautis; & ne arduam, ac longe poſitam illius conquiſitionem cauſari quis poſſit, ipſa vltro excubat dormientibus, vt inertiſſimam tunc erudiat vitæ partem, cum erudiri ſe ſomniare fortaſſe poteſt, optare certè non poteſt. Atque hoc demũ erit hodiernæ diſſertationis argumentum. Cum enim ſiue caſu, ſiue conſilio in magni Viri ſomnium, hoc eſt Scipionis, offenderim, atque illius explicationem propoſuerim laboribus meis, illud veluti proluſionis loco indagandum puto, ecquid tamen lucis haurire animus ab vmbris poſſit: niſi ſi veritatem à laruis doceri velit, nec illudi ſe à nocturnis mentis ludionibus intelligat, ſed inſtitui. Faceſſant hinc igitur prolixę de ſomnijs diſputationes, ambitioſis philoſophantum vocibus agitatæ: nec portas ſuas (corneã velis, an eburneam tu videris) patere nobis iubeat Homerus; nec præſtigiator Artemidorus ludicra ſomniorum interpretamenta nobis obtrudat. In ſolido labor eſt noſter, & ne ſomnũ quidẽ, quantumuis à

curis vacuum, à vitæ tamen inſtitutione feriatum volumus.

Et ſane vſque adeò conſtans de ſomniorum diuinitate, exactis retro ſæculis, inoleuit opinio, vt oraculis etiam locū fecerit, quibus, vt cum Tertulliano loquar, ſtipatus eſt orbis; Amphiarai ſcilicet ad Oropum; Amphilochi apud Mallum; Sarpedonis in Troade; Trophonij in Bœotia; Mopſi in Cilicia; Hermiones in Macedonia; Phaſiphae in Laconica. apud hæc nimirū, ſomnia, vt alibi reſponſa, petebantur; quorum monitu quid perſequendum ſibi, quid fugiendum vnuſquiſque ſtatueret; eoſdemque haberet, & vitæ magiſtros, & ſomni arbitros, & artifices ſomniorum. Jam verò in captandis ſomnijs quam multiplex ſiue religio, ſiue conſuetudo, quam varia? alicubi ſiquidem Amphiarao, cæſo ariete facientes, vt teſtatur Pauſanias, ſtratis in ipſo templo hoſtiarum pellibus incubabant; ibique per ſomnū obijciendas ſibi diuinitus rerum imagines præſtolabantur: quem deinde morem ad Fauni oraculum, in Albuneæ lucis Virgilius ſapientiſſimè tranſtulit;

—— huc dona ſacerdos
Cum tulit, & cæſarum ouium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſq; petiuit;

Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum Colloquio.

Cùm enim Tibur ab Amphiarai filijs domo profugis, & conditum fuerit, & nomen acceperit, prudenter omnino Virgilius commentus eſt, paternos ſacrificandi ritus eodem à Tiburno meo fuiſſe traductos. Alibi verò Naſamones apud parentum ſepulchra; Celtas apud virorum fortium buſta, ſomnia captare ſolitos docet Tertullianus: Daunios verò, Calabroſque ad Podalirij tumulũ dormire conſueuiſſe tradit Zetzes. Quid quòd vario morborum genere diu multumque vexati, vbi deſperatá Medicorum ope, precariam non traherent animam, ſed agerent, in Æſculapij fanum delati, prænuntia, vt Hieronymus loquitur, quærebant ſomnia; quibus de Medicinæ viribus edocti, certa ſibi, cæteriſque ad morbos abigendos remedia compararent; Et vniuerſam quidem medendi artem ſomniorum beneficio coaluiſſe primùm, non Iamblicus modo; ſed apud Artemidorum permulti, atque adeò iuſtis curationum libris, quas per ſomnium accepere, Geminius Tirius, Demetrius Phaleræus, & Mileſius Artemon oſtendunt. Quod ego explicatiùs ali-

aliquanto pro argumenti neceſſitate declararem, niſi mentem ea ſubiret cogitatio, ne traduci ſe Medici oratione mea ſuſpicarentur. Obuerſantur adhuc animo ex præteritis diſſertationibus offenſiones, cùm valetudinem diligenter curandam non eſſe contenderem. neque is ego ſum, qui adamantina corporis firmitate ſolidatus, Medicæ nationis iracundiam formidare non debeam. quid ſi ergo illorum curationes mera ſomnia eſſe, vel ipſis Medicorum tabulis confiterem? an non verendum mihi eſſet, ne ſi leuis motiuncula, vt homines ſumus, febris ſuſpicionem moueret; explorata per diſſimulationem arteria, elleboro cerebrum peteret Medicus; dum purgandam potiùs bilem morbi ratio ſuaderet? procul igitur inſana hæc auiditas offenſionem; modò illud à Medicorum humanitate mihi licet impetrare, vt meo etiam nomine ſomniare tantiſper velint. Aeoliam quippe in viſceribus rugientẽ circumfero, cuius fremitu, ac violentia eò ſæpe deducor, vt extremum vitæ naufragium, mente non minus æſtuante, quàm corpore, perhorreſcam: nec vllus adhuc Neptunus repertus eſt, qui tumidas præcordiorum iras placare potuerit. Sed ad inſtitutum redeo, nec à Medicis tamen longius aberrabo. eorum

ſiquidem princeps Hippocrates, ſomniorum (de ijs loquor, quæ cum veritate conſentiunt) efformationem vel in Deum, vel in Naturam reijciens, Dæmonum ingenium ab hoc artificio ſemouit: at Gregorius, & doctrina, & dignitate, & vitæ ſanctimonia Magnus, Dæmones etiam inter ſomniorũ architectos enumerat. Hinc celebris extitit apud illuſtres Catholicæ religionis Theologos de ſomniorum veritate ſententia; quorum alia diuina, quædam naturalia, multa dæmoniaca, tripartita, eaque aptiſſima diuiſione nuncuparunt. Nos verò naturalibus, ac dæmoniacis conſultò poſthabitis, ſola diuinorum perueſtigatione, ita definiemus orationem, vt exordiri potiùs tractationẽ rei, quàm cõficere in præſentia videamur. Verùm etiam in argumẽto, quantumuis obuio, opinionum diuortia cæca mortalium ingenia ſomniarunt. Ex Epicureorum ſiquidem grege nonnulli, ſubitarij diuinæ dignitatis aſſertores, è voluptatum cæno proſiliunt, & cæli patrocinium ore impuriſſimo profitentur, dum quæcumque ſomnia diuinitatis poſſeſſione dijciunt. An Deorum immortalium imperturbata tranquillitas, (ſic philoſophicè delirant) omnique celſior faſtigio maieſtas, eò ſe humilitatis, laboriſq;

deij-

deijciet, vt otioſè dormientium lectulos obeat; fœdè ſtertentium ſegnitiem munerum ſuorum diuinitate ſollicitet; animis contagione corporis conſopitis ſapientiæ theſauros obtrudat? Vſq; adeò ne natiuæ beatitatis impatiens aberrationem ſibi diuinitas quærit, vt præclaras rerum imagines ſomniculoſis mortalium mentibus inſcribat? Tantum illi à feliciſſima ſui contemplatione vacat, vt non cum homine, ſed cum inertiſſimo hominis ſimulachro per quietem velit ociari? O proteruam inſaniſſimè philoſophantium diſciplinam! ò capitula inanitate pleniſſima! ò turpia voluptatis mancipia, luctuosè ridicula! Sed bene eſt AA. ijdem nunc aduerſus ſomniorum diuinitatem grunniunt, qui ſemper Dei prouidentiam calumniantur, & rerum humanarum incurioſum illud Numen effingunt, ne tã impudentibus intereſſe delirijs videatur; quibus dum Deum actuoſum negant, ſtipitem faciunt; dum interminabilem illam atque vbique diffuſam diuinæ naturæ amplitudinem, vno cæli ambitu circumſcribunt, cum Diogene in dolioli anguſtias furiosè detrudunt. Ingenioſiùs fortaſſe decipiunt, qui alios ſapere plerumque docuerunt, Plato, atque Ariſtoteles; quorum vterq; nequaquam à Deo ſomnia mortalibus

immitti diſertè pronuncians, in eam curam Dæmonum ſolertiam, artificiumq; tranſcribit. Sed alijs atque alijs argumentis, pro inſita opinionum varietate, rem ſibi conficiendam vterque deſumit. Et Ariſtoteles quidem, cùm perditiſſimós etiam nebulones inter ſomniandum multa didiciſſe compertum haberet; indecorum videlicet, & ab incomprehenſa Dei bonitate alieniſſimum exiſtimabat, ſi nigras illas animas, omnique ſcelerum impuritate maculoſas, puræ candore diuinitatis aſpergeret. Plato verò cùm nullam inter Deum, atque homines intercedere poſſe conſuetudinem opinaretur, per Dæmones, quaſi per internuntios, Deum ſe rebus mortalibus immiſcere, illorumque miniſterio, quæ diuinitùs euentura ſunt hominibus ſignificare ſtatuebat; quæ ſententia ante Platonem Empedocli, atq; Pythagoræ tribuitur à ſapientiſſimis viris; poſt Platonem verò placuit Apuleio, inter Platonis aſſeclas non poſtremo. Verùm Ariſtotelis ratio ipſa rerum experientia facile refellitur, vt in loco dicemus: Platonis verò commentum egregiè ab Auguſtino conuellitur; hoc eſt ab eo, cuius ingenium, atque doctrina naturam rerũ adeò onerauit, vt tot iam ſæculi anxiè ſecum ipſa luctata ſit; nec parem

tamen

tamen Auguſtino dare potuerit.

Illud igitur certò ſtatuendũ eſt, quædam ſomnia mortalium animis diuinitus immitti, ſine vllo probitatis, ſceleriſque diſcrimine. Docere id apertiſſimè poteſt apud antiquæ ſuperſtitionis cultores, oraculorũ multitudo ad ſomnia petentibus immittenda (vt ſub diſſertationis initium diximus) comparata. Quorſum enim tót precibus, ac ſacrificijs poſcerentur à Deo, ſi Morphei neſciocuius arbitrio, per hominum cubilia cum Phantaſo temerè volitarent? neq; hic ego, aut aniles Philoſtrati de Thianæo narrationes, aut ridicula Iamblici myſteria, aut fabuloſũ Sineſij vehiculum, aut deniq; Stoicorum commentationes, & placita commemorabo: cùm enim, Dauide nobis verba præeunte, *omnes Dij gentium Dæmonia* ſint, quæcumq; ſomnia ab ethnicis diuinitate donantur, ea nos in Dæmonum aſtum, ingeniumq; transferimus. Solidiora ergo ex diuini Codicis tabulario teſtimonia repetamus. Et in Numerorum quidem libro Deus proteruam Aaronis, & Mariæ aduerſus Moſen petulantiam retundens: *ſi quis* inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnia loquar ad illum:* quod diuinitatis oraculum vſu ipſo comprobatum fuiſſe,

Abrahami, Abimelechi, Iacobi, Labani, Pharaonis, & ſexcenta alia, tum veteris, tum noui teſtamenti ſomnia, manifeſtè declarant. Quoniam verò, & vſu multiplex, & varietate mirabilis æternæ prouidentiæ vis eò ſemper collineat, vt vndequaq; humani generis felicitas erumpat; hinc factum cum Viris ſapientiſſimis opinor, vt ſomniorum etiam non idem prorſus finis, nec eiuſdem generis fructus videatur; quædam enim ad homines à ſceleribus abſterrendos in mentibus excitantur, quòd Abimelecho, Regi Gerare, & Labano contigiſſe in ſacris literis legimus; alia vt ad præclarum aliquod facinus perpetrandum adhortentur, vt Gedeoni, ac Iudæ, eiuſque copijs accidit; nonnulla ad arcana rerum aperienda, ſeu quæ in lucido illò, humaniſque oculis imperuio diuinitatis latibulo deliteſcunt, ſeu quæ magnas Imperiorum conuerſiones, & Rerumpublicarum viciſſitudines parturiunt, vt Iſraelis, Ægypti, Nabuchodonoſor. Multa denique vt ſomniantes erudiant, quòd felicibus B. Ioſeph, & Magorum exemplis liquidò diſcimus. Atque poſtremũ hoc eſt ſomniorum genus, de quo multa in poſterum dicturi ſumus.

Quomodo Rhetorica Dialecticæ altera ex parte reſpondeat.

Ad primum caput Rhetoricorum Ariſtotelis.

PROLVSIO DECIMASECVNDA.

Athenienſes Athenis non indiſertè, vel ab indiſerto laudari, vox eſt eius, qui cùm omnia ad normam verita- *Plin. l. 7. c. 34.* tis exigeret. nihil ad voluntatem, mor- *& l. 34 c. 6.* talium ſapientiſſimus, Apollinis ipſius teſtimonio dictus eſt. Cùm enim apud Platonem Menexenus de ijs laudationibus mentionem inieciſſet, quæ militibus pro patria fortiter occumbentibus exhibebantur, ſatis vnumquemque præſidij ad eloquentiam allaturum, eo potiſſimum nomine Socrates iudicabat, quòd Athenienſes in Athenienſium panegyri eſſent ab Oratore laudandi; hoc eſt apud eos, qui pronis auribus egregia ſuorum facinora, atque in ijs propriæ commendationem virtutis acciperent. Præclarum viri prope diuini documentum in rem meam transferre ſedulò cogitanti, illud veniebat in mentem facile me, quãtumuis hebetem, & infantem, in ea vrbe de laudibus eloquentiæ copioſè atque

illuminatè dicturum, in qua eo non tanquam peregrina diuerſorium, ad breuis vſuram temporis collocauit, ſed primò domicilium quaſi vernacula, mox etiam imperium veluti dominatrix inſtituit. Verùm dum negotium ſpei plenus aggredior, ſenſi tandem malo meo doctus, quàm malignè vires animo, in ipſa operis aggreſſione, reſpondeant: vt Socratis demum repudiato conſilio, illud apud me feriò, conſtanterque ſtatuerim, eloquentiam Romæ, hoc eſt in ipſo eloquentiæ regno laudare, laborioſum in paucis, aleæque pleniſſimum opus eſſe cenſendum. Quis enim, per Deum immortalem, quis, inquam, tam ſtrenuè, ac nauiter impudens reperiatur, qui ſi modò velit præteritorum memoriam temporum refricare, aut cogitationem in diſiecta paſſim, & collabentia antiquæ Vrbis monumenta conuertat; hiſcere audeat de laudibus eloquentiæ, non vno dicam, aut altero ſpectante Roſcio, ſed ſpectantibus illis priſcæ facundiæ quaſi luminibus in oculos incurrentibus, quorum vel ſola recordatione cuiuſcumque tandem Oratoris alacritas retardatur, deterretur audacia, latera debilitantur, vox deficit, verba denique in ipſo dicentis ore moriuntur? Equidem quoties in veteris Capitolij ruderibus recidiuæ ma-

Cic. 2. de Orat.

maieſtatis argumenta contemplor; quoties inter fori ruinas officij moderatricem curiam accuratè requiro; quoties extra pomærium in Tarquiniorum campo Marti conſecrato, Comitiorum reliquias curioſè perluſtro; quoties roſtra illa ab Antiatum nauibus auulſu, & iuxta curiam prope Comitia collocata recordor, Quirites, continuò ingentes illæ animæ oculis obuerſantur, quæ tam luculentum Vobis eloquentiæ patrimonium pepererunt, vt ſcientiarum omniũ procreatrices Athenas de auito viderimus benedicendi principatu deiectas. Illas ego mecum tacitus admiror, illas quaſi quædam diuinitatis ſimulacra contemplor, illas nutire ſi velim, habere mihi videor non tam infantiæ teſtes, quàm vindices temeritatis. Ego videlicet nouitius declamator, & ſi vnquam aliàs, nunc certè poſt tam diuturna in literarum ſtudijs interualla in Oratorum exedris peregrinus, ab omnibus ingenij, doctrinæque præſidijs deſtitutus, nulla vſque adhuc latinè dicendi exercitatione limatus, illud mihi ambitioſius, an arrogantius ſumam, vt in hac luce populi Quiritium, in hoc ampliſſimo ſapientiæ theatro, vobis videlicet Viris ampliſſimis audientibus, de laudibus eloquentiæ verba faciam? hoc eſt, niſi

Cic. pro Flacc.

De quo Liuius l. 2. & 6.

Liuius Decad. 1. l. 8.

Plin. l. 16. c. 4.

me fallit animus, tam illiberaliter agam, ac ruſticè, vt illius ornamenta dicendi ſimplicitate corrumpam; illius copiam orationis ieiunitate conficiam; illius ſplendorem obſcuritate ſermonis obducam; amplitudinem anguſtijs circumſcribam; lepores aſperitate contaminē; vires elidam tenuitate, acrimoniam ſtupore retundam; tarditate impetum frangam, maieſtatem humilitate debilitem, omnia ſuſque deque permiſceam; atque ibi demum exſibilandam omnibus exponam ingenij mei ſterilitatem, vbi triumphare non inepti Oratoris debuiſſet oratio? Non vſque adeò iratos ſuperos habeo, Quirites, mihi credite, non habeo. Quoniam verò dum Vrbani doctiſſimi ſimul, atque ſanctiſſimi Principis imperio, non tam ab Aula detrudor in Academiam, quàm ipſam Academiam iubeor in Aulam traducere; labores meos auſpicari ab eloquentia ſtatui, ne aut turpiter aberremus à ianua, aut laudationibus, quod aiebat Horatius, merces extrudere velle videamur, age, ac nouo prorſus exemplo, quid potius in eloquentia reprehendi meritò poſſit, ipſo Ariſtotele duce, proluſionis loco breuiter attingamus: atque ita fiet, vt ego paulò ante commemoratum inſcitiæ, impudentiæque periculum modeſtè de-

cli-

clinem,nec tamen ab inſtituti mei rationibus, in prima ſtatim congreſſione diſcedam.

Dialecticæ ἀντίστροφον Rhetoricam Ariſtoteles appellauit,ideſt, vt M. Tullius interpretatur, ex altera parte reſpondentem, finitimam, atque cognatam. Verè mea quidem ſententia, atque præclarè. Communis ſiquidem vtrique facultati campus excurritur; vtraque de rebus omnibus in contrarias partes cōmuniter diſſerit; idem genus vtramque complectitur; ab eodem quaſi trunco ambæ proficiſcuntur. Non libet hic in ſingulis immorari; illud tamen animaduerto, Quirites, eodem planè loco Dialecticam, ac Rhetoricam ea potiſſimùm de cauſa habendas eſſe, quod ex vtraque Sophiſtæ infeliciter orti ſunt, genus hominum turbulentum, ac fallax, ad perdendam veritatem,atque animos prauis opinionibus imbuendos, infelici ſidere proſeminatum. Neque aliter hæc accipiantur à vobis, atque à me dicuntur, Auditores. Intelligo ſiquidem Sophiſtæ nomen dignitatis olim, honoriſque pleniſſimum fuiſſe; nam & apud Athenæum artis Muſicæ moderatores, & apud Suidam Medici, & in Clemente Alexandrino Poetæ ſingulari hac Sophiſtæ appellatione cenſentur. Scio cele-

bres

bres illos Aeolum, Siſiphum, Herculem, Protheum, omnes demum, qui ex Platonis definitione Heroes dici meritò poſſunt, eoſdem etiam Sophiſtas honoris gratia, nuncupari: vt taceam interim quòd de Solone ſapientiſſimo ſene Iſocrates, atque Themiſtius; de Pythagora terreſtri illo oraculo, Tertullianus memoriæ prodidere. Noui Sophiſtas, vt viros è cœlo delapſos admirabili hominum concurſu, & pompa exceptos; publicè ciuitate donatos, tribubus inſcriptos; legationibus honeſtatos: eorum imagines in priuatis Bibliothecis aſſeruari ſolitas legi: illos tanquam genios, & formæ anguſtioris Indigites vbique gentium cultos apud Libanium obſeruaui: illis ſtatuas coloſſeas, vt hominum præſtantiſſimorum memoria interiret, celeberrimo in loco poſitas cum magnificentiſſimis elogijs didici: apud Platonem denique Deos ipſos, & quidem maiorum gentium Deos, Iouem in Minoe, Plutonem in Cratylo, Amorem in Conuiuio, Sophiſtas dictos eſſe comperio. Atqui ego non de excellentibus illis viris hodiernam diſputationem inſtituo, Quirites. Sophiſtam cùm, dico hominem intelligo ita omnibus inſtructum dolis, vt ſiue tortuoſo diſputandi genere mentes adoriatur, & pungat; ſiue fuſo, ex-

Tertul. lib. de anim. c. 24. in apologet. c. 47. Chryſoſt. in Ep. Ap. ad Eph. Philoſt. in Hippia. Lucian in Biſacc. Diod l. 12. Philoſtr. in Scopeliane. Declamat. 29 Philoſt. in Ariſtid. Eunap. in Proeneſio Ariſtid. oratione 2. Plat.

explicatoq; ſermone ad animos ſuauiter affluat, atq; illabatur, ſemper tamen, vel dialecticis captionibus eludat hominum intelligentiam, vel perturbationibus animi auditorum ſollicitet voluntates. Neque id à me temerè excogitari, teſtis erit ſatis opinor locuples Græcorum Patrum diſertiſſimus Clemens Alexandrinus, qui vniuerſam Sophiſtarum diſciplinam duplici hoc fallendi artificio potiſſimum contineri, & quodammodo coaleſcere affirmatè pronuntiat: quod fortaſſe hauſerat à Platone in extrema illa diſſertatione, quæ Sophiſta inſcribitur, ſiue de Ente. Cui ergo mira videri iam debeat Rhetorices, ac Dialecticæ affinitas, atque conſenſio, ab Ariſtotele initio operis indicata, cum vtraque ad labefactandum genus humanũ ſtudioſè conſpiret, licet vnaquæque diuerſa graſſetur via; in Sophiſtam vtraque artis ſuæ theſauros non tam liberaliter conferat, quam prodigat impudenter, quibus ad communem omnium perniciem infeliciter abutatur? Neque ille ſe deſerit, Auditores, ſed ſtrenuè, atque conſtanter demandatas ſibi partes ſtolidè ingenioſus exequitur. Hinc illæ inſidioſi, vibratique ſermonis argutiæ ad ſimpliciorum animos implicandos; hinc genus illud præſtigiarum cauillatio-

Niſſen. con. Eunom. li. 12. Iulian. in Cæſar. Eunap. in Maximo Luciã. in fugitiu. Ep. 117.

tio-

tionibus, verſutijſque conflatum; hinc verborum aucupia, & tendiculæ literarum; hinc labyrinti, nexus, effugia, ludificationes; hinc contorta, & aculeata ſophiſmata; hinc denique, vt cum Seneca loquar, ſolertiſſimæ nugæ, quibus ruſticorum, aut iuuenum mentibus, callidiſſimi ineptiarum artifices imponant. Quorum aliquem ſi lubrica huiuſmodi, atque implicata argumentatione deceperint, tum demum quaſi cum Perſarũ Rege manus conſeruerint, aut de Mithridate triumpharint, ſtatuã ſibi è pario credo marmore, aut ex ære Corinthio ponendam in Curia poſtulabunt. Huccine tandem recidit egregius ille calor animorum hauſtus è cœlo? huccine ingenij vigor à Deo conditore mortalibus inditus? huccine volucres intelligentiæ motus, ipſa naturæ deſtinatione felices? An tanti eſt tormenta quædam cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis excogitare, quod alicubi dixit Tertullianus, vt eorum inſolentia victus neſcioquis de triuio bardus frontem manibus tentet ſuam; exploraturus ſcilicet vtrum cornua fruticentur, quæ non illi natura rerum procreatrix inſeuit, ſed in eius caput ſcurrilis Sophiſtæ garrulitas impegit? Ita enim apud Laertium, & Senecam iſto-

Plato in Eutidemo.

iſtorum de grege feſtiuus, & dicax, ingenioſè nugatur, vt vnumquemque primo dicat habere, quod non amiſit, mox neſcio quem habere cornua, quod ea non amiſerit planè conficiat. O ſubtilem non infaceti nebulonis collectionem! ò prædicanda operoſe delirantium meditamenta! Flauium Domitianum, portentum illud Cæſarum dementiſſimum, contumelijs veterum monumenta proſcindunt, quod ſumpto ſibi horario ſecretò muſcas ſummo ſtudio captaret, captas muſcarius carnifex acuto ſtilo configeret. Cæſaream plane curam, cladem imperatoria virtute digniſſimam. At oro vos, Quirites, quid tandem grauius, quid ſeuerius, quid ſanctius agitant ingenia Sophiſtarum, dum plagas neſcio quas verborum perplexitate contexunt, inde fallacibus concluſiunculis, quaſi punctim feriunt imprudentes? Scepticorum ſane princeps Ariſto, ignauum, atque iners hoc diſputandi genus aranearum telis ait eſſe perſimile, quæ licet artificioſum quid indicare videantur, inutiles tamen eas, & ad ſolam muſcarum venationem opportunas experimur.

Sueton. in Domit.

Ita Cic. 4. Academ.

Cic. l. 4. de finibus ita Cic. lib. de fato. Diog. Laert.

Atqui ſi leuia ſunt, ſi vana, ſi deſpicata hæc ludicra philoſophantium ſomnia; ſi dum ſapienter, & cogitatè deſipiunt,

piunt, nihil afferunt præter ludibria ingeniorum, & nugatorium gloriæ cito contabeſcentis aucupium, næ tu dum illos prolixius inſectaris (inquit non nemo) vmbras ſequeris fugientes, & vaneſcentia rerum ſimulachra comple-cteris. Audio. Non abiectum tamen atque humile apud vos erit, opinor, Platonis nomen. at ille nihil habet antiquius, quam verſipelle hoc philoſophiæ monſtrum Socratis manibus iugulare. hinc omnes differendi formas pari fælicitate perſequitur, vt veteratorium animal eleganter in Gorgia, ingenioſè in Eutidemo, facetè in vtroque Hippia, acutè in Sophiſta, in Protagora artificioſè confodiat. Atque vtinam, Quirites, nihil eſſet nobis magnopere formidandum ab ijs, præter fallaces importunæ loquacitatis illecebras; eſſet cur nobis iure gratularemur, quicumque bonarum artium ſtudia, morum inſtitutione, cultuque animi definimus. At eſt aliquid maius, quod bonarũ animos vehementer commoueat, eſt quod in improbiſſimos cauillatores diſertorum hominum doctrinam extimulet, prouocet eloquentiam, irritet ingenia; eſt quod viri ſapientiſſimi, hoc eſt veſtri ſimiles, auerſentur, oderint, perhorreſcant. Poſtquam enim capitula illa lu-

De hac re viden. Se nec. ep. 45. 49. 82. 83. 85. & 111.

luctuosè ridicula, male in veritatem animata, leuioribus verſutijs, quaſi quadā velitatione proluſerint, & prima mendacij rudimenta poſuerint, tum demum veluti tentatis viribus, exactoq; tyrocinio ferociores, infeſtius inſurgunt impreſſionem faciunt, arcem ipſam probitatis inuadunt. Tunc enimuero quæ cernuntur paſſim vulnera ſimplicitatis? quæ ſapientiæ clades? quæ ſtrages animorum? quæ funera veritatis? quæ buſta virtutis? Nec iam indoctas gregariorum animas artibus dignantur ſuis, ſuperbiſſimi ludiones, ſed in ipſa conſularia, & prætoria ſapientum capita debacchantur. Vidit hoc Stoicæ diſciplinæ anteſignanus Epitectus, dum æquè hominum ingenia contra Sophiſtarum temeritatem præmunienda, atque cuſtodiendum animum aduerſus fortunæ licentiam dixit. Vidit Ariſtoteles illud naturæ miraculum, qui vim ab iſtiuſmodi peſtibus etiam ſapientioribus imminentem, doctiſſimis editis libris anteuertit, debilitauit, infregit. Vidit Socrates, qui, Plutarcho teſte, eam diſputandi inijt rationem, ſibi vnicè propriā, quam ὥσπερ καθαρκτικὸν φάρμακον adhiberet, ad inutiles Sophiſtarum contentiones, & ſordes eleuanda. Viderunt inter Chriſtianæ religionis antiſtites longè

Luciā. in Ioue confuta to Arſtoph. in nubibus.

S. Aug. l. 2. de doctr. Chriſt.

Ariſtot. lib. 1. Elench. c. 8. Arrian. l. 3. c. 3. initio Vide etiam Clem. Alex. Strom. lib. 1. Plotin. Ennea. 1. lib. 3. videndus omnino.

gè doctiſſimi Nazianzenus Baſilius, & Rupertus, qui malum dæmonem, vaferrimum primorum Parentum deceptorem, Sophiſtam per contumeliam nuncuparunt, At nullus opinor hoc vidit, ſiue ad intelligentiam acutius, ſiue ad experimentum efficacius, ſiue ad vtilitatem opportunius, ſiue ad opportunitatem fructuoſius Catone Cenſorio; cuius ergo ſententiæ dum recordor, ſi non animus alienatur à ſenſibus, diuturna ſaltem rei admiratione defigitur. Audite quæſo diligenter Quirites, Romam Carneades ab Athenienſibus miſſus eſt, de mulcta deprecanda legatus. Is ad redarguendas Chryſippi ſubtilitates, elleboro caput iampridē ſolitus præparare, tunc totus ad pompam fictus, neſcio quos famæ rumuſculos, inani ſapientiæ oſtentatione nundinabatur. Eo igitur deuentum eſt, vt de iuſtitia primo, inde contra iuſtitiam pari animi contentione diſſereret, Hæſit nimirum Cato veritatis cultor, & cuſtos eximius; alioque malè feriati Sophiſtæ verſutiam transferens, de legatione ab Vrbe pellenda retulit ad Senatum: veritus ſcilicet, ne Romana Reſpublica, quantumuis, vt cum Plauto loquar, oculata, in argumento tam graui, verſatilis ingenij laqueis caperetur, & præ-

Gell. li. 17. cap. 18.

Plin li. 25. cap. 5.

Val. Max. l. 8. ca. 6.

Plutar. in Catone.

poſterum aliquid, atque peruerſum de iuſtitia nolens, volens, aut ſtatueret, aut ſentiret. Proh tuam, Cato, nimis humilem, nimis abiectam de Populo Romano ſententiam! Quid enim? ſemigræculi neſciocuius loquacitatem Senatus, Populuſq; Romanus ſibi timendam putaret? nefarij, & propè inſanientis declamatoris calliditatem nō depræhenderet Senatus Populuſq; Romanus? ille ille Senatus, qui terrarum orbem vniuerſum incredibili ſapientiæ ſuæ admiratione compleuit; ille qui remotiſſimis diſſitas interuallis, & toto diuiſas orbe regiones doctrinæ fama copulauit; ille qui ampliſſimorū Regum conſeſſus legatis hoſtium viſus, imminentem Reipublicæ iugulo ſuperbiſſimū Principem prudentiæ opinione deterruit; ille qui victricibus armis intima Græciæ peruagatus, non tam Capitolium victarum gentium manubijs, quam Vrbem doctrinarum ſpolijs locupletauit; ille qui non rarius de vitijs, quā de hoſtibus triumphator, & arma repreſſit armis, copias copijs fudit, victorias victorijs obſcurauit, & audaciam conſilio, ſapientia temeritatem, fraudes prudentia, conſtantia leuitatem, fide perfidiam profligauit; ille qui tanquam cæleſte oraculū iura gentibus, populis ſanctiones, leges

Flor. l. 1. c. 18. Plutar. in Pyrrho Liuius l. 9. Cic. 1 Tuſcu. quæſt. initio & 2. de finibus. Valer. Max l. 7. c. 2. & l. 6. c. 6. Liuius li. 15. Florus l. 2.

c.2. Valer. l.2. c.2. Liu. li. 42. c.8. Claud. in Stili. paneg. 3. Ruti. Numa. in Itinerar. lib. 1. Hor. carm. l. 3. od. 3. Dionyſ. Halicarn. in Præfat. Rom. Liu. li. 26.

imperijs, decreta Principibus ſcripſit: ille cuius penè lactentis incunabula latinæ eloquentiæ communia rerum natura cõſtituit; cuius adoleſcentis in ſinu ipſa etiam adoleuit; quo iam ætate integro ipſa maturuit; quo ſeneſcente conſenuit; quo decumbente decubuit: ille qui vt fines Imperij ſola orientis, & occidentis ſolis peregrinatione definiuit ita cælo animos, ſideribus gloriam, rectè factorum commemorationem immenſis propè voluminibus circumſcripſit: ille inquam Carneadis neſciocuius delirantis inſidias pertimeſceret? mali aliquid ſibi ab impuri Sophiſtæ declamatione metueret? Reipublicæ ſalutem iſtiuſmodi præſtigijs in diſcrimen adducendã crederet? Potuit armatus Annibal, & ſæpe victor, & Vrbis ipſius mœnibus applicitus, ad portam Collinam licenter obequitans à Populo Romano contemni; & inermis in media vrbe Carneades otioſè declamitans, à Populo Romano timebitur? Poſt Traſimenum, poſt Alliam, poſt Cannas, execrata Quiritibus nomina, toties funeſtis populorũ cladibus impetitum Romanum ſtetit imperium, & vnius eiuſdemque mendaciſſimi nugatoris voce labefactatum ſemel Romanũ cadet Imperium? Vidit Roma iam ciuibus propemodũ exhauſta

Claud. in Stili. l. 3. Florus lib. 2. cap. 6 Liuius li. 26.

ad

ād Anienem fluuium poſita hoſtium caſtra, nec timuit; imo tunc potiſſimum milites ſub vexillis in Hiſpaniam tranſmiſit; & ad inania Græculi cauillatoris mendacia exterrebitur Roma? Nimirū ita eſt AA. ſi per otium libet annalium monumenta reuoluere, atque pacatas, & liberas ciuitates cogitatione metiri, quos concionum fluctus, quas inſanæ multitudinis tempeſtates, quæ naufragia Rerumpublicarum non reperiemus Sophiſtarum artibus excitata? Vt enim parum ſyllogyſmis, atque argumentatione aliquando profecerint, concitato certè, ac vehementi dicendi genere (quod alterum erat caput proluſionis meæ) tumultu, ac trepidatione in animis excitata, eo apertis Rhetoricæ viribus Auditores ſępius impulerunt, quo latentibus Dialecticæ cuniculis non potuiſſent fortaſſe protrahere. Quod ne mirū alicui videatur, huius ego victoriæ cauſas, Vobis, vti ſpero, non improbantibus, breuiſſimo orationis ambitu comprehendam.

Hominum animis, ab ipſo ſtatim humani generis exortu, affectiones quaſdam à Deo inditas fuiſſe, nemo ex ſapientioribus ambigit, ſi modò Stoicorum nationem excipias, qui eas arbitrantur voluntate ſuſceptas. Harum

verò affectionum ea vis eſt, atque præſtantia, vt ſi ad rectam vitæ inſtitutionem cum Ratione conſpirent, perfecta tranquillæ Reipublicæ forma in nobis exiſtat. Ratio ſiquidē à Deo mortalibus tanquam legum latrix impoſita, intelligentiæ, ac voluntatis veluti conſulum miniſterio, in ariſtocratico vtitur principatu: affectiones autem animi, ac ſenſus corporis, plebem videlicet imperitam, habet in poteſtate. Verum ſi forte imperanti facultati ſentientis animæ ſatellitium obſtrepat, & incaleſcente affectionum ſeditione, populari libidini ſeruire miſerandum in modum Ratio cogatur; tunc enimuerò intoleranda rerum peruerſitate (quod Tyrius Maximus Platonicorum elegantiſſimus dixit) Pericles abit, exulat Ariſtides, moritur Socrates, Nicias amandatur, prouincias cupiditatibus ſuis deſtinant Sphacteriam Cleo, Traſillus Ioniam, Siciliam Alcibiades: hoc eſt animus legitimo Rationis imperio ſubductus, in voluptatibus diſcinctus, in iracundia præceps, in ambiendis honoribus immodicus, impotens in gerendis, in ſecunda fortuna elatus ſine modo, in aduerſa deiectus ſine ſpe; tyrannidem inuehit virtutum omnium exilio deplorandam. Atque hæc eſt illa tyrannis,

quam

quam in Platonis Gorgia Oratoribus adſcripſit Polus. Cum enim imperium in animi perturbationes, & in Philæbo Plato, & in Rhetoricis Ariſtoteles Oratoribus adiudicarint; viribus illi tribunitiæ poteſtatis abutentes, cæcam affectionum multitudinem verſant, atque agunt arbitrio ſuo. Quoniam autem huiuſmodi motiones eorum ſententiam mutant, vt docuit Ariſtoteles, quorum in animis commouentur, hinc tandem fit, vt Oratores perturbatos ſemel, atque efferueſcentes auditores, vel adducant quo velint, vel vnde velint abducant, & in ſua vota, libera parendi neceſſitate compellant. Vos ego teſtes diſputationis meæ, vos ad ſtipulatores appello Athenienſes, Argiui, Romani, Megarenſes, Oratorum artibus de imperio deturbati, libertate ſpoliati, mutua ciuium ſtrage confoſſi, vltima penè internecione deleti. Vos Piſiſtrati, Pericles, Alcibiades, Gracchi, magna vtique procerum nomina, magna eloquentiæ numina, ſed funeſta Patriæ, ſed ciuibus luctuoſa. Vos Egeſiæ, Cineæ, & quocumque tandem nomine dictus es, Bizantiæ declamator legũ hoſtes, Vrbium euerſores, oſores vitæ, vos inquam exemplo opportunè docebitis, Oratorũ vi mortalium corda percelli, conſtan-

Plutar. in Grac ch.

Diod. l. 2 Plut. in qu. Græca & in Solone.

Iuſt. li. 2. Cic. 3. de Orat. & in Bruto.

tiam labefactari, ingenia præſtringi, voluntates illigari; vbi præſertim non per aures tantum, ſed etiam per oculos traiectæ rerum imagines, audientes ſtolida quadam admiratione defigunt. Quis enim animus ita ferreus eſt, quæ viſcera tam lapidea, vt illa non expugnet acerrimus vigor oculorum, terribile vultus pondus, accommodatus ſingulis verbis vocis ſonus, efficaciſſimus corporis motus, cum oratio pronuntiantis affectibus exardeſcens, tanquam amentata vehementius intorquetur? Adeſte quæſo animis, Quirites, quotquot adeſtis corporibus, adeſte diligenter, vt humanitas veſtra poſtulat, reique præſtantia: narrabo facinus, non à maiorum annalibus, monumentiſque petitum, ſed nouum omnino admiratione plenum, expectatione maius, paucis admodum cognitum, multis fortaſſe penitus inauditum.

Val. Max. l. 8. cap. 10.

Fuit ſuperioribus annis in ipſo Italiæ corde non nemo (cuius nomini parcitur, vt pudori parcatur) religioſus in paucis, & rebus & diuini nominis cultum ſpectantibus mirificè addictus. Verum is, vt fert humanarum rerum viciſſitudo, ſanctimoniȩ calore paulatim intepeſcente, illatam domeſticis ſuis cladem vlturus, in apertum penè latroci-

ci-

cinium deſcendit. Coacta ſiquidem deſperatorum exulum manu, noua quotidie incredibilis edebat documenta feritatis: atq; vt eſt vberrima fœcunditas ſcelerum, eo improbitatis, dementiæq; proceſſit, vt non raro dira, ac deteſtanda impuri capitis flagitia ipſi etiam ſcelerum adminiſtri obſtinatiſſimè auerſarentur. Hoc perditæ crudelitatis impedimentum, vt qua poſſet arte remoueret, contaminatos latrocinij ſui ſocios diſſimulato conſilio conuocabat: atque ex editiori collis clementer aſſurgentis cliuo totus ad modeſtiam, pietatemque compoſitus, oculis lacrymis tumeſcentibus, de Chriſti Domini cruciatibus diſputationem inſtituebat. Et quamuis ad ferrea etiam pectora confringenda, ſufficere potuiſſet qualis qualis atrocitatis tantæ commemoratio, dolores tamen illos omni cogitatione diriores non ſolum ſingillatim enumerare, ſed acri etiam, & queribunda oratione amplificare: diſciſſum verberibus corpus, rigida ſpinarum corona traiectū caput, manus, pedeſque acuminato ferro confixos, prodigioſos imbres ſanguinis, nouercale fellis, & aceti poculum, omnia denique ad ſenſum commiſerationis exprimendum, lacrimis profuſè manantibus, admirabili animi ardore, acer-

rimo geſtu corporis recenſere; donec ingens ſociorum conſecuta collacrimatio emollitos iam animos, atque flexibiles lamentabili teſtificatione patefaceret. Verum enimuero quid expectatis, Quirites? vt homines profligatos, ac truces in Chriſti Domini commiſerationem inflammet? vt vitam per omne nefariorum facinorum dedecus decurrentem aliò deflectendam maturè commoneat? vt ætatis anteactæ piacula lacrimis eluenda proponat? vt ſanguinem pro ſanguine reddendum prædicet? nimis religioſa ſunt hæc, atque ab immaniſſimo omnis ſceleris architecto prorſus aliena. at effuſam erga nos Seruatoris munificentiam ſimulatis lacrimis deridebat? charitatem eleuabat? pietatem eludebat? Dei hominis mortẽ acerbiſſimam miſericordiæ ſimulatione inhumanè facetus excipiebat? Vulgaria iſta ſunt, atque impijs vſitata. Atrox nefarij declamatoris ingenium, funeſta infamiſſimi prædonis eloquentia nihil niſi nouum, inauditum, turbulentum, impium meditatur. Quid igitur, dicat aliquis, quid interpuncta gemitibus verba, quid oratio crebris agitata ſuſpirijs agebat? fingite vobis quã vultis tetrum, execrandumque facinus, Quirites, horribilius erit quod dicam, ſi

tamen

tamen dicam, atque omnium opinione funeſtius. Animos nactus miſerabili dolorum commemoratione delinitos, ac faciles, quique iam quamlibet in partem verſari poſſent, tum demum totis eloquentiæ viribus effuſis, quo inexpiabilis libido ſuaderet, cæcos, ac perturbatos impellebat. Vidiſſes in oculis ardere ſæuitiam, tumultuari in pectore crudelitatis incendia, quorum veſtigia in truci quodam frontis horrore legiſſes. Frendebat dementiſſima ſicariorũ manus, & arcanis quodammodo furijs agitata, in quodlibet inauſum, ac paulo ante votis omnibus deteſtatum facinus ferebatur. Ita ne verò? cruor ille delicatus, ac regius, qui de innocentis Agni corpore lacero, fixoque ſcaturijt, ad hominum voluntates in omnem improbitatem compellendas fuit adhibendus? Tu ne inquam purpura ſalutaris, ac ſancta, quæ vt mortalium animos, quotidiana criminum contagione decolores in priſtinã lucem reuocares, è diuini pectoris concha vulneris atrocitate confracta, die illo funeſtiſſimo emicaſti, ac ſcena rerum, hac fæce temporũ in memoriam reuocari debuiſti, vt flagitioſi latrones tuis facibus inflammati manus extremis ſceleribus inquinarent? Tu ne auguſtum Dei hominis caput ſacrarium Diuini-

tatis, ſed ſanguine, ſpinis, crinibuſque conuulſis dehonoratum, in humani generis ſalutem Deo parenti deuotum, proponendum fuiſti mentibus poſterorum, vt in tui commemoratione nominis nefariorum hominum feritas recrudeſceret,& deſperati declamatoris exultaret oratio? Tantum peruerſitatis, tantum dementiæ, tantum temeritatis? O tempora portentis iſtiuſmodi planè funeſta! ò mores teterrimis iſtis peſtibus planè corruptos!

Atque hæc ferè ſunt, quæ de duplici Sophiſtarum artificio dicenda ſuſceperam, ad Rhetorices cum Dialectica cognationem, ex Ariſtotelis opinione cognoſcendam; quæ licet exaggerata, ac propè tragicè ferali oratione incogitanter amplificarim, non eo tamen conſilia retuli mea, vt nobiliſſimas diſciplinas, veræ ſapientiæ ſuis artibus ancillantes malignè traducerem. Verum quemadmodum in Gorgia Socrates, facultatibus, quæ tum ad corporis valetudinem, cum ad inſtitutionem animi à Viris ſapientibus adhibentur, enumeratis,earum ſtatim aſſentatrices copiosè declarat, ita ego monſtra hæc diſciplinarum, humanæ inertiæ vitio, ad germanæ doctrinæ ſimulationem efficta, ipſo ſtatim initio in bono lumine col-

Pl.t.in Gorg. vide Q. inſtil. l.1. cap.16. Idem præſtat Max. Tyrius diſſert. 10.

locaui; ne quorumdam ingenia lubrico artium confinio, & indiſcreto, quod aiunt, rerum colore fallantur. Quam in ſententiam cum me non amor partium, ſed ſtudium veritatis impulerit, ne fucum facere prudentiſſimis iudicibus videar, ex Areopagi legibus ſine peroratione perorabo.

De memoriæ præſtantia ſimul ac fragilitate.

PROLVSIO DECIMATERTIA.

NEſcio quonam hominum generis infortunio factum ſit, vt quæ mortalibus, vel ad ornamentum præclara, vel ad præſidium neceſſaria diuinitus obtigere, ea incertis obiecta caſibus, certis iniurijs opportuna nobilitatem imbecillitate compenſent, fructum fragilitate corrumpant. Non immorabor in ſingulis, ne ambitioſè videar mœroris alimenta conquirere. Verùm (vt de vitæ breuitate cũ Hippocrate, ac Theophraſto non querar) eximia illa humanæ pulchritudinis dignitas, atque maieſtas, nonne tanta humanæ infirmitatis humilitate deprimitur, vt non tam de illius præſtantia gloriari, quàm lugere pro huius debilitate poſſimus? illuſtris

planè res eſt, ſingularis, ac propè diuina bene compacti corporis pulchritudo, & quæ non ſolemnia tantum in Græcorum ludis certamina, quod legimus in Atheneo; ſed (ſi Poetarum more fabulari licet) iuſtiſſima Dearum quoque iurgia prouocarit, regij paſtoris, eiuſdemque iudicis arbitrio dirimenda. Atque vtinam ſemina illa offenſionum, atque rixarum, in Idæ verticæ Paridis ſententia praſocata, in cæli ortos infelici ſatione translata non eſſent; non haberet cur tantopere in libris de Republica Plato Homericas Deorum pugnas exagitaret, ſtyloque confoderet. Verùm ita contigit Auditores, Æterna illa numina, admirabili ſemper animorum conſenſione, in terrarum orbis adminiſtratione conſtantia, vbi ſemel Græci de pulchritudine repetenda litem Troianis conteſtati ſunt, (quæ integro decennio vtrimque ferociter agitata, Troiani tandem imperij excidio perorata eſt) illico diſtracta partium ſtudijs exarſere: ijdemque cæleſtis Reipublicæ Senatores, qui, vt in Charidemo Lucianus animaduertit, in Titanum temeritatem conſentientibus animis, armiſque ſæuierant, mox Helenæ pulchritudine de mentis ſanitate deiecti, odijs inter ſe pluſquam ciuilibus tranſegere: & quamuis in pertinaci illa,

& maximè luctuoſa Troianæ vrbis obſidione, filios ſuos certò perituros, Deorum plerique cognoſcerent, tanti tamen fuit vnius ſibi, fæminæ pulchritudinem vindicare. Marti ſimul, ac Veneri vulnere ſtetit Helenæ forma, vt Homerus eſt auctor. Sed delirantium ſunt hæc ſomnia, vocibus fuſa Poetarum atque ipſa ſuauitate nocentia, vt alicubi queritur Tullius. Non inficior. Sapientum tamen ſomnia imperitorum vigilijs prudentiora eſſe non ambigo. licet enim veritas à Poetis tanquam à teſtibus exigenda non ſit, eam tamen Fabularum inuolucris doctrinæ ſpeciem præſeferunt, atque ſapientiæ, vt morum, vitæque magiſtri à prudentioribus audiant. Neque aliud vel Paridis iudicio, vel Deorum digladiatione voluerunt, quàm vt ingenio, diuitijs, imperio, cæteriſque fortunæ bonis vnam corporis pulchritudinem, eorum exemplo anteferendam intelligamus. Hinc minus iam eorum admiratione, ſeu potius ſtupore commoueor, qui apud Pauſaniam præſtantiſſima Meduſæ forma prope dixerim exanimati, decantatæ ſæpius fabulæ locum fecere, vt Gorgonis aſpectu in lapides degeneraſſe credantur. Qui enim auſpicatiſſima inter omnia formoſorum occurſum retulere, næ illi diuini vultus ſiue radiū,

ſiue ſimulachrum in elegantia formæ quodammodo coruſcare, cum Platonicorum elegantiſſimis opinabãtur; cuius illicio hominum animi violẽter abrepti, corporiſque diuerſorium peroſi, in extraria, vt ita dicam, pulchritudine conquieſcerent. Et meritò quidem animos aucupatur formæ venuſtas, quæ ab animis oritur, eorumque beneficio, Plutarcho teſte, in corpora deriuatur. Cùm ſint ergo munera pulchritudinis, & genere maxima,& numero infinita, & ſpecie præclara, & efficacitate mirifica, & ipſa commemoratione iucundiſſima; an non eadem eſſe oportuit, & ſtabilitate, conſtantia,& viriditate florentia,& ſoliditate perpetua, & viribus incorrupta, & diuturnitate immortalia? ſi pulchritudo ad ornatum, & pompam corporis diuinitus eſt oblata mortalibus, an non eam ſaltem decuit ſimul interire cum corpore? & ſibi tamen, heu quàm celeriter infelix immoritur! momento temporis elegans illud,non iam ludentis,aut ſeſe tentantis, ſed ſerio ſuis honoribus blandientis naturæ machinamentum, ipſa dixerim natura nouercante,diſſipatur,diſſoluitur, euaneſcit, Nimirum flos eſt corporis pulchritudo, flos ſanitatis indelibatæ, flos animæ pulchro innatus corpori futuræ flos virtutis, & maioris

præ-

præludium pulchritudinis: ita diſertè Græcorum diſertiſſimi docuerunt; vt genus humanum dum ſapientiſſima floris appellatione venuſtatem ſibi fingit in animo, ſimul tamen formæ fragilitatem, pulchritudinis fugam, oris ſpeciem defloreſcentis intelligat. Lubrica quippè res eſt, Auditores, caduca, prope diurna, atque adeò continuò contabeſcens, vno verbo, florea elegantia vultus humani; vt appoſitè impauidus ſacrarum literarum philoſophus Iobus pronunciarit aliquando de homine, *qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.* Auream quamdam virgam mirabilium operum molitricem, Mineruæ ſuæ affinxit Poetarum Plato: qua cùm Vlyſſem leuiter attigiſſet, omnium opinione celeriùs ora pulcherrimi principis occupauit ſitus; honeſtiſſimi capitis crines effluxere; nitida cutis exaruit, elanguit vigor oculorum, flos maſculæ, atque vt ita dicam, heroicæ pulchritudinis prorſus extabuit. Nimis operosè diuina ſe Mineruæ virtus exeruit in re leuiſſima, & quæ numen, quod aiunt, è machina non requireret: ſatis erat, vt exiſtimat Phauorinus, inclyti Ducis corpus vel triduum fame conficere; vel ſi libebat febricula pertentare, aut rem arbitrio temporis permittere, aut animum

im-

importuni ſpiritu mœroris afflari: tam obuia, tam parata, tam multiplex pulchritudinis iactura eſt. Hinc non minus verè, quàm tragicè, in ea fabula, quæ ab Hippolyto nomen accepit, conſeneſcentem formam Seneca lamentatur.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis.

Et ſi liceret per parodiam Poetarum maximi verſus vſurpare, an in formam, quæ ille de fama cecinit, opportunè non caderent?

Vide Virg. 4. Aenei. *Forma bonum, quo non aliud velocius vllũ*
Mobilitate perit, vireſque amittit eundo.

Vt ignoſcendum propemodum impijs Petronij vocibus dixerim, qui pulchritudinis vitream, hoc eſt in ipſo ſplendore pereuntem maieſtatẽ deplorans ait,

Petron. Satyr. p. 63. *O fallax natura Deum, quæ prima dediſti*
Ætati noſtræ gaudia, prima rapis.

Hæc omnia cùm apud me ſerio meditarer, non ideò facturum me operæ pretiũ exiſtimaui, ſi mortalium quærimonijs intermiſcens meas, morienti pulchritudini communi veluti funere parentarem, Verùm id vnum potius ago diligenter, vt æquioribus animis me de memoria differentem audire, pro veſtra facilitate velitis. Quod vt confidentiſſimè ſperem facit humanitas veſtra, ar-

gu-

gumenti magnitudini par, atque in dicentis ingenium omnium opinione prolixiori. Si enim detrimenta pulchritudinis, (quod caducum ſummæ cutis integumentum, ad implendam præcipuè adoleſcentiæ ſcenam conceſſum eſt) vſque adeò moleſtè ferunt plerique mortalium, vt quotidiano penè conuicio cum rerum natura rixentur; an non æquiùs ego illius malignitatem in honeſtiſſima concione traducam, quæ cùm inter præclaras animæ dotes, memoriam hominum generi largita ſit (quo præſidio nihil bonarum artium ſtudijs præſtabilius accidit) illam tamen ijs periculis obiecit, ſeu intemperijs potius agendam permiſit, vt vel odiſſe muneris ſui dignitatem, vel inuidia humanæ fœlicitatis laborare videatur? Quod vt probaturum me non longa diſſertatione recipio, ita fidem meam facile liberabo, ſi primo loco memoriæ laudibus curſim enumeratis, illius imbecillitatem, qua par eſt animi commotione defleuero: mox quid à maioribus acceptum, per manus nobis poſteritas, ad iacturam ſarciendam tradiderit, continenti quodam tractu orationis aperuero.

Et argumentum ſanè ad dicendum nactus ampliſſimum, non tamen Poetarum more, ad Muſas in ipſo diſſertationis

nis exordio prouocabo, vt per eas mihi liceat in earum ſacraria pedem inferre; ſed Critiæ apud Platonem monitis excitatus, ipſam potius Mnemoſynem obſecrabo, vt abditos, ac retruſos imperij ſui theſauros, vobis in oratione mea per otium contemplandos exponat: atque ita fiet, vt luculentum apud vos extet pignus diuinitatis, qua memoriam olim à priſcis ſapientibus decoratam ſcriptorum monumenta teſtantur. Multa quondam, & poteſtate diſparia, & munere diſſimilia, & appellatione diuerſa, & forma contraria numina fuiſſe comperio. Priſca ſiquidem mortalium gens, in decernenda hominibus immortalitate vſq; ad prodigium liberalis, Deorum magis, quàm hominum cenſum auxit; pluresque cœlo mortales intulit, quàm peregrinos ciuitate donauit. Nec Ægypti portenta commemoro, hortenſia videlicet numina, ſerenis, vt ille ait, Nili imbribus irrigata; latrantes item Deos hoc loco prætereo: illorum potius rationem habendam Deorum, ſine vlla veræ religionis iniuria ſtatuo, quæ cùm à virtutibus & appellationem ſimul, & munus acceperint, tanquam admirabile mortalium bonum, ſpecie diuinitatis à ſapientibus iure coluntur. Hos autem cùm dico, Mentem intelligo, Amorem, Fidem,

Concordiam, Honorem, Virtutem, & huiuſmodi multa Auguſtini viri ſanctiſſimi æternis literis conſignata; eleganti M. Tullij ſtilo poſteritati tranſmiſſa. Inter quæ nomina, dignitatis, venerationiſque pleniſſima, cùm Memoria Mnemoſynes vocabulo, apud antiquiſſimos deſignata meritò veniat, nonne illa ſatis ad immortalitatem, ac laudem præſidij à tam illuſtri notione mutuabitur? Et decuit omnino, ſi auguſtiſſimum Dei templum à Demoſthene mortalium pectus appellatur,eas potiſsimum humani animi dotes diuinitatis elogio cohoneſtare,quæ cùm ſint nobis diuinitus datæ, multum de cæleſti cognatione trahunt, atque originem ſuam cum dignitate repræſentant. Verùm vt hoc de reliquis animi quaſi numinibus dicatur idoneè; Memoria ſanè quemadmodum reliqua dignitate, ac viribus antecellit, ita loco, atque honorifica ſedis appellatione, à cæteris quaſi à minorum numinum plebe, ſecernitur: nec in homine templi adyta, in quibus colatur, vt reliqua, ſed cæli prætorium,in quo cum Ratione imperet,occupauit: quod vt planiſſimè intelligatis aduertite.

Humani corporis formam, & quandam quaſi ſtructuram diſtributè diſpertiens in Timæo Plato, medullam capitis

glo-

globoſam, ac teretem, quam cerebrum nominamus, agrum fœliciter excultum, atque ſubactum, ad diuinum ſemen, hoc eſt Rationem, excipiendum dixit. Appoſitè, vt ego quidem arbitror, atque ſapienter. At non minus aptè, & procul dubio magnificè magis Homerus eundem cerebrum cæli nomine definiuit: in quo videlicet præclara illa numina, de quibus paulò ante diſſerebam, Ratio, atque, Memoria, tanquam in diuinitatis auguſtali, communicatis vtrinque faſcibus dominantur. Quod aut excogitatum temerè, aut ſtultè pronunciatum, affirmabit nemo, qui calamitoſus ſponte non ſit, & ambitiosè infelicitatem aduletur ſuam. Si enim hominum corpora animorum carcerem eſſe tenebricoſum, ac fœdum opinabantur philoſophantiū antiquiſſimi, in quem illa omnia confluxiſſent, quæ apud inferos Poetarum excogitauit ingenium, Cocytus, Acheron, Styx, Prometheæ volucres, Tantali epulæ fameſcentes, & huiuſmodi deliramenta quamplurima; cur tàm miſeri conſultò ſimus, vt cæli etiam beatitatem, atq; delicias non agnoſcamus in nobis, & lethæo obliuionis fluuio Memoriæ diuinitatem non opponamus? In Trophonij certè templum ad vota nuncupanda, & oraculum conſulendum deſcen-

ſcen-

ſcenſuri, epotis primò obliuionis liquoribus, ſtatim Memoriæ vndas hauriebant; vtriuſque ſiquidem fontem propè templum Pauſanias in Bœoticis collocauit. At video, niſi me fallit animus, quid negotium faceſſat ijs, qui cùm eruditos Mythologorum libros accuratè peruolutarint, ægrè admodum ferunt, in cerebro à me conſtitutam eſſe memoriam, quæ in auribus ſedem fixit. cùm enim frontem Genio, Iunoni brachia, pectus Neptuno, cingulum Marti, Veneri renes, Mercurio pedes, Mineruæ digitos dicata fuiſſe annalium monumenta tradiderint, aures eaſdem Mnemóſyne, ſiue Memoriæ conſecratas prodidere. hinc illud elegantiſſimi paſtoris

—— Cinthius aurem
Vellit, & admonuit.

Hinc Plinij verba, *eſt in aure ima memoriæ locus*: immo (vt qui ſapientiam profitentur aliquando deſipiant) in Citharædi digitis emicare Memoriam quidam putant: dum aliud agens, & audientibus obuerſus, ad numerum tamen, atque concinnè citharam pulſat; erunt etiam ſi Deo placet, qui memorioſos, vt cum Frontone loquar, pedes exiſtimabunt, dum incogitantes reuertimur domum. Verum faceſſant hæc ſomnia. Humana Anima, immortalis, indiuidua, ſimplex,

nec

nec in ſingulorum partes diſtracta membrorum, nec vniuerſa corporis mole confuſa, ſemper ſibi præſens, nunquam non actuoſa, ſuis vndique poteſtatibus, quaſi ſatellitio circumſepta, & videt in oculo, & mouetur in pedibus, & ratiocinatur in capite, & tangit in manibus, & recordatur in cerebro: eadem tamen recordaretur in pedibus, ſi memoriæ conditoria, quæ in cerebro illi rerum natura compoſuit, in pedibus inueniret. Nimirum inſtrumentis, iiſque corporatis operatio animæ definitur, dum adhuc peregrinatur in corpore. Fixum igitur apud nos ſit, Quirites, memoriæ numen in cerebro, hoc eſt in Homerico cœlo, amplitudinis ſuæ regiam collocaſſe. Et quoniā ſemper fœta, nunquam eſt effœta fœcunditas diuinitatis, Memoria non ſolitarium, ac deſidioſum numen, vt Epicureorum Deus, feriatur, aut torpet; ſed cum multa humani generis bono molitur ipſa per ſeſe, tum partus enititur, vel ipſo nomine venerabiles. Muſarum mater ab Heſiodo, ſapientiæ parens ab Afranio, Poetis non minus eruditione, quam vetuſtate nobilibus audit. O familiam integro populo multitudine penè parem, virtute maiorem! ò ſtirpem cœlo dignam, mortalibus admirandam, inuidioſam regibus,

bus, atque Cæſaribus! ò tuam mater Memoria glorioſam, ex natarum indole fèlicitatum! Nunc demũ amo ſororium Muſaru m cum ſapientia nexum, à Platonico Tyrio integra diſſertatione coactum: nunc philoſophicam Empedoclis poeticam ab Alexandrino Clemente memoratam exoſculor, & admiror: nunc eorum conſilium vehementer probo, qui aras Muſis ſimul, ac Mineruæ in eadem Academia poſuerunt: nunc inimicitias, & iurgia, quæ inter Sapientiam, ac Muſas Boetius olim ſæuit, auerſor penitus, atque deteſtor. Sorores ſunt Sapientia, & Muſæ, Quirites; vno Memoriæ ventre proſeminatæ, vno Mnemoſynes paſtæ lacte, communia ſibi incunabula recognoſcunt, eodem genere, licet diuerſa temporibus. Quid enim aliud eſt poeticè, vt Tyrius arbitratur, quam philoſophia vetuſtate nobilis, argumento fabuloſa, numeris implicata? quid philoſophia niſi poetica ætate vegetior, argumento perſpicua, numeris expedita? Præclarum omnino eruditæ cognationis vinculum, atque omnibus ſalutare: quo coniunctis vtrinque viribus Memoriæ pignora in humani generis beneficium, mutua charitate, neceſſaria conſociatione conſpirant. Sapientia ſiquidem hærentem

in biuio Herculem ad præruptas virtutis rupes impellit, Muſæ laborioſi comites itineris ſub pondere fatiſcentẽ recreant, atque confirmant: illa perpetua belluarum venatione, ac ſanguine Achillem adhuc impuberem exercet, vt iræ præludat Troiano imperio fatali; hæ reuertenti citharã adornant, ſudoremq; detergunt; illa ne diffluat voluptatibus animus, ſeueritate laſciuientem coercet; hæ curis defatigatum, & calamitatibus obrutũ demulcent: illa perturbationes tanquam bruta ratione carentia flagello domat; hæ Pythagoræorum more eaſdem cantus ſuauitate componunt; mortalibus illa vitiorum contagione tabeſcentibus abſynthio medetur; amariſſimum hæ, ac tetrum poculum melle contingunt: fortunæ illa ſecundæ moderatrix inijcit fœlicitati frœnum, ne animus efferatur; aduerſantem hæ deliniunt, ne ſuccumbat: pugnat illa contra vitiorum monſtra fœliciter, epinicia hæ triumphanti modulantur: immortalitatem illa meretur; hæ donant: informat illa animos; hæ oblectant: illa munit, hæ ornant; ſanitatem illa, hæ pulchritudinẽ curant; illa cœlo inhiat, in cœlum hæ inuehunt. quid multa? Quidquid vel ad animorum oblectationem eruditione iucundum, vel ad mentis

ala-

alacritatem hilaritate conditum, vel ad acumen ingenij ſolertia perpolitum, vel ad exercitationem ſtili diligentia excultum: quidquid ad mores componendos excogitatur idoneè, ad virtutem conſequendam perficitur ſtudioſè; ad ægritudines perſanandas conquiritur opportunè, ad æternitatem nominis glorioſè confertur, id demum quantum quantum eſt, Memoriæ filijs Muſis, atque Sapientiæ debet natio literatorũ. Habent ne aliquod monumenta Poetarum ingenioſum in fabula, in Epiſodijs multiplex, in deſcriptionibus accuratũ, accommodatum in moribus, in perturbationibus vehemens, in cogitatis acutum, in elocutione magnificum, ſplendidum in figuris? inuenis ne apud veræ philoſophiæ ſectatores in iudicando conſtantiam, prudentiam in agendo, in loquendo moderationem, ſoliditatem in docendo, in conſulendo maturitatem, in inueſtigando iudiciũ, in omni deniq; vitæ ratione abſolutam virtutis imaginem? id omne, velis, nolis, acceptum referas neceſſe eſt Memoriæ filijs Muſis, atque Sapientiæ. Et quæ in Romana Republica Gracchorũ parens Cornelia; quæ inter lacænarum præſtantiſſimas Mater tàm fortunata, de natorum virtute, atque indole gloriata eſt, quæ ſi

cum

cum Memoria componatur, aut ſterilem ſe non optet, aut fœcunditatem ſuam, filiorum numero magis, quam pretio commendatam, nõ auerſetur, ac defleat? Verum ſentio me vſque adhuc in Memoriæ laudibus ita fuiſſe verſatum, vt omnia potius alia prædicauerim præter ipſam. Licet enim, quæ de filijs honorifica dicuntur, in parentes ſoleant iuſtè transferri, vbi tamen vnuſquiſque cenſu ſuo diues eſt, alienæ ſuffragium commendationis præſtolari non debet. Age igitur, & quid ipſa Memoria ſit, quibuſque viribus polleat, perſequamur. Animam hominis, quæ rerum ſimulachra recipit, per corporis ſenſus in ſe, veluti per traduces deriuata, tabulæ cereæ, in Teætheto Plato aiebat eſſe perſimilem. In hanc autẽ ceram (quam ex Socratis interpretatione cor animi Homerus appellauit) dum rerum imagines, quaſi quædam annulorum ſigilla, altius imprimuntur, pro ceræ temperatione, ac modo, vel perturbata, vel illuſtria ſimulachra nobis occurrunt. Nec à Platonis ſententia diſcedit Ariſtoteles, dum in libello de Memoria, eandem ſignatorij annuli comparationem non ineleganter vſurpat. Verum quia plauſibiliter magis hæc dicuntur, ac ſplendidè, quam ad rerum naturas reli-

religioſius indagandas acommodatè; videamus, oro vos, vtrum ex eiuſdem Ariſtotelis documentis eruere aliquid in rem noſtram, ac delibare poſſimus. Hominis anima corporis adſtricta vinculis, ita illius vtitur miniſterio, vt ne intelligere quidem poſſit, quin ab ipſo rerum notiones accipiat. Traiectæ igitur per ſenſus ad animam rerum imagines, in eam primò facultatem incurrunt, quæ ab ſenſibus nominata, communis dicitur qua de re diſſerit etiam Plato tum in Teætheto, tum alibi, Galenus exiſtimat. Hæc autem rerum ſimulachra ab imaginatrice (quam recepto iam à Græcis vocabulo Phantaſiam philoſophantes appellarunt) collecta, atque in ordinem digeſta, Memoriæ in theſauris aſſeruanda traduntur: quæ bonæ fidei cuſtos, quotieſcumque leuiter icta, animo iubente percellitur, vniuerſa ſtatim habet in numerato. Hinc rerum omnium theſaurus à Marco Tullio dicta eſt. Et ſane dum illius ſinus, ac latebras, in quibus tota rerum vniuerſitas deliteſcit, admiror, Iliadas illas Homericas nucleo concluſas; Myrmecidis, ac Theodori quadrigas muſcæ alis obtectas, atque alia artis prodigia, ideo maxima, quia minima confidenter irrideo. Quid enim, Deus immortalis! hæc omnia ad im-

menſam Memoriæ capacitatem? Hæc interminatam Oceani vaſtitatem; hæc indefinitam magnitudinem regionum; hęc minacem montium altitudinem; hęc latiſſimum æquor agrorum; hæc cæleſtium orbium ambitum; hæc naturæ miracula; hæc artis machinamenta; hæc myſteria doctrinarum; hæc diuinitatis arcana exiguo loculamento complectitur. Nihil eſt in Hiſtoricorum monumentis tam reconditum; nihil in Poetarum fabulis tam nouum; nihil in officinis Rhetorum tam ſepoſitum; nihil in Philoſophantiū exedris tam retruſum; nihil in gymnaſijs Theologorū tam inuolutum, quod hæc per otium in ſinu ſuo non complectatur, ac videat. Qui gentium ritus, quæ prouinciarum conſuetudines, quæ præcepta regnandi, quæ iura regnorum, quæ ſacrorum ceremoniæ, quæ priuilegia ſacerdotum, quæ inſignia Magiſtratuum, quæ ſcita populorum, qui bellorum euentus, quæ documenta bellandi, quæ decora triumphorum, quæ facinora triumphantium ab huius conditorijs excluduntur? Eſt ne natio aliqua, vel origine barbara, vel moribus efferata, vel longinquitate diſſita, vel legibus inculta, vel ſuperſtitione impia, quæ huius amplexus effugiat? eſt ne aliquis terræ tractus, cuius

fœ-

fœcunditas cum amœnitate contendat, ſalubritas cum opulentia certet, ſitus cum munitione confligat, emporijs nobilis, metallorum foſſionibus inclytus, ędificiorum magnificentia prędicandus, admirabilis numero populorum, cuius multitudinem, ſubſtructiones, emporia, ſalubritatem, opulentiam, amœnitatem, illa non teneat? Hæc autem omnia quam celeriter, quam ſubito, quam ſine mora, vnico veluti obtutu videt? Nunc terræ viſceribus excepta, in ſcaturientium vndis fluminum, aut natat, aut nauigat; euerſis auri fodinis inauratur; lapidibus turgeſcit, quibus auaritia mortalium pretium fecit; ſpiritu, quo terra concutitur, agitatur; nunc eodem veluti abrepta ſpiritu, in cælum vſque conſcendit, ſiſtitur ad ſolium diuinitatis, beatarum mentium ordines enumerat, orbium conuerſiones, atque vertigines, ſtellarum lapſus, exortus, & occaſus ſpeculatur; nunc ad orientem ſolem conuerſa, nunc ad occidentem regreſſa, alieni cæli ſidera, nouas telluris fruges, inuſitatas populorum conſuetudines, peregrina gentium ſacra, incredibilia ignotarum artium inuenta nobis oſtentat; nunc per ſepulchreta licenter oberrans eruta è cadaueribus intermortua penè facinora, iacentia Principum

nomina; ſqualentes doctorum hominum lucubrationes immortalitati redonat; nunc in ſe ipſam conuerſa, ac familiam ſuam, abdita in theſauris ſimulachra, vel vnum quodque ſeparatim, vel vniuerſa confertim, vel ordinatim ſingula vocat in lucem: laceſſita protinus adſunt, illa veluti imperatrix militiam in inſidijs collocatam educit in aciem, vniuſcuiuſq; nomen, vt olim Cyrus, vſurpat, mox vt agmina circumſpexit, admirabili celeritate colligit diſſipata, diſtracta conſociat, remota pertingit, propinqua diſponit, vaſta contrahit, diuiſa coniungit; præterita reprehendit; integrat obliterata; infinita metitur; comprehendit æterna. Et quæ nam fuit vel naturæ ſæuientis iniquitas, vel miſeræ mortalitatis iniuria, quæ tam luculentum, tam efficax, tam diuinum nobis patrimonium extenuauit, diripuit, exhauſit? quæ peſtis adeo nefaria, atque atrox, nobiliſſimam animæ partem infecit, debilitauit, infregit? Vſque adeo ne ſuæ dignitatis rerum naturam pœnituit, vt in ſe ipſam ferox, maximè actuoſam, atque omnium ſtupore digniſſimam in homine partem ſui, ſpontè omnibus iniurijs expoſuerit? An tanti erat eiectamenta terrarum gemmas, ea duritie ſolidare, vt earum aliqua nec vſu

de-

deteratur, nec ferro dometur, nec igne corrumpatur, nec vetuſtate deficiat, vt memoria interim, neceſſarium generis humani bonum, in molliſſima capitis medulla nobis nec ſentientibus contabeſcat? ferendum quodammodo videretur, ſi ætatis tantum vitio laboraret, quod ſibi cõtigiſſe Seneca quærebatur; licet enim muta, nedum tacita temporis fuga ſit, non inuſitata tamen nobis memoriæ ſenectus accideret, qui oculos, aures cogitationes, cupiditates, omnia denique in nobis conſeneſcentia experimur in dies. Nunc autem quot, quantiſq; præter ætatem periculis patet? Curioni incantationes, ac veneficia; Meſſalæ Coruino morbus; Maximino Cæſari vini hauſtus paulò liberalior; lapidis ictus alijs; alijs è tecto, vel ex aſino caſus; metus quamplurimis, & quod commemorare ſine ingenti animi dolore non poſſum, labor ipſe, atque vigiliæ in ſtudijs literarum Memoriam labefactarunt. Adeo vias omnes, quibus interire, ac profligari Memoria poſſet, malus quidã naturæ genius aut inuenit, aut reperit. Et mirabitur quiſpiam, ſi dum multi leuiſſimam pulchritudinis iacturam acceſſito quodammodo, ac ſtudioſo dolore qnæruntur, natiuis nos, ac ſpontè erumpentibus quærimonijs, literatæ

Reipublicæ calamitatem, ac funeſtum literarum iuſtitium, in tot Memoriæ cladibus proſequemur?

Sed animos veſtros non exulcerabo tam luctuoſa commemoratione diutiùs. Bene habet, Quirites, etiam naturæ vitijs alacriter vir fortis obſiſtit; quæ vt nulla aliquando arte vincantur, maxima tamen ex parte leniuntur. in rebus arduis, ac vires humanas ſupergreſſis, vt nos euentus deſtituat, ſummam tamen laudem in ipſo conatu viri ſapientes poſuere. Ad reparandas igitur Memoriæ ruinas multa legimus à priſcis adhibita ſiue conſilio, ſiue caſu, quæ ſingillatim libenter enumerarem, & fortaſſe cum fructu, niſi me opinione mea longiùs prætervectum, alteram hanc diſſertationis partem obuoluere potiùs, quàm explicare, & audientium auctoritas cogeret, & modeſtiæ in dicente ratio ſuaderet. Prætereo igitur pharmaca, venarum ſectiones, aliaſque corporis exercitationes, ſeu veriùs cruciatus, ex Medicorum placitis repetitos, quorum ego comparatione Memoriam tanti non facio, vt longè acerbiora obliuionis remedia, quàm malum non exiſtimem. Omitto ſingulare apud Petrarcham fortunæ ludentis, & illudentis inuentum, quo factum eſt vt admirabilis Clementis

Sexti

Sexti Pontificis memoria, ex vulnere capiti altè impreſſo, tanquam armata ex Iouis cerebro Pallas exilierit: neq; enim Memoriæ debilitatem capite luendam cenſeo, aut præſidia à ſupplicijs expecto. Sileo ſtolidam Caluiſij Sabini diligentiam à Seneca otiosè deſcriptam, qui ſeruis, & quidem magno coemptis, Homerum huic, illi Heſiodum, Lyricos nouem reliquis aſſignauit, vt vnuſquiſq; Poetæ ſui verſus (quoties eum venditandæ eruditionis libido cepiſſet) cum fide repræſentaret; nam & Memoriam inſitiuam nunquam putaui, nec ideo multa ſcire me arbitror, quod ea familiares mei probè didicerunt. Prætermitto memoratricem Simonidis artem, quæ tantopere apud dicendi Magiſtros inualuit, vt præceptiones de ea luculentas Quintilianus, & M. Tullius ſumma cum laude tradiderint; nam ego qui meoptè ingenio tardus, ac bardus ſum, ex multiplici locorum deſignatione exoriri in me multiplicis etiam Memoriæ neceſſitatem ſentio, ridiculo ſanè artis inuſitatæ compendio. Vnum igitur candidè, atq; ſimpliciter more Romano in mediũ affero, illudque præſentiſſimum vacillantis Memoriæ præſidium, hæc videlicet folia, nõ vtique Sybillina; quorum artificio ſatis hactenus explorato, ac

fido, quicquid memoriam præteruolat incurrit in oculos, & quod cæca rapiebat obliuio, oculata ſagacitas repetit. Videtis, opinor, Auditores, quorſum euadat oratio mea, quæ tota quanta eſt (quid enim diſſimulem diutius?) non ad Memoriæ ſiue laudes amplificandas, ſiue fragilitatem deplorandam à me eſt inſtituta cum cœpi; ſed pro domo mea, hoc eſt ad tuendam eam recitandi conſuetudinem, quam huc à me, vt aiunt, inuectam indignè ferunt, qui nodum in ſcirpo quærunt. Vellem equidem feciſſet Deus immortalis, vt Cyros, Hortenſios Temiſtocles, Mithridates, Senecas, Portios Latrones, aut iuuenem illum ex inſula Corſica à Mureto laudatum, memoria ſuperarem, Oratorem haberetis, Quirites, non paulò diſertiorem. Sed quoniam ita natura comparatus ſum, vt lubrica ſemper fide apud ſe depoſitas rerum imagines memoria mihi reſtituat ignoſcet mihi genius humanitatis veſtrę ſi commentarios identidem intuebor, tanquam oracula, ex quibus anxiè, timideque numinum reſponſa petuntur. Scio memoria deficiente, perſonam me, vt quidam putant, Oratoris abſoluti ſuſtinere non poſſe. Verum cum, & ab alijs ad munus ampliſſimum præſidijs deſtituar, quoniam primas eloquentiæ

par-

partes occupare nõ licet, hærere ſaltem per vos liceat in ſecundis. Expeditam illam, ac ſubitariam limatè loquendi copiam, nec ars mihi, quod ſciam, nec natura ſuppeditat. neque enim in medio Latio natus, aureis Romanæ Reipublicę temporibus ad elegantiam ſermonis adoleui; vt etiam ſi dicere ex tempore vehementer cupiam, vt vellem profectò non poſſum, vt poſſim iuſtiſſimè nolim. Non tam abiectè de eruditiſſimis auditoribus ſentio; nec me, ac mea tam arroganter, ac temerè circumſpicio. Dicã igitur in poſterum ex commentario, & ſi vſus ita poſtulauerit, legam. Præſtitere hoc olim florentibus eloquentiæ ſæculis Poetæ, Hiſtorici, Oratores omnes: ex quo tam crebra apud Martialem, Iuuenalem, Perſium, iuniorem Plinium de recitatoribus mentio. Præſtitit Seuerus Caſſius, qui habiturus orationem, non commiſit, vt commentarius ſibi extorqueretur è manibus. Præſtitere Cæſarum multi, atque inter eos, vt rerum geſtarum gloria, ita doctrinæ opinione clariſſimus Auguſtus, qui non orationes modo ad Populum, in Senatu, ad milites ex ſcripto habuit; ſed priuata etiam cũ Liuia vxore colloquia retulit in commentarios. Præſtitit ipſe M. Tullius, qui P. Sextij defenſionem

ex libello recitauit. Hinc Oratores Quintilianus, cauſarum Patrones Ægineta læuâ manu libellos habuiſſe commemorant. Quæ res licet Memoriæ diffidentiam, vt ait idem, bene dicendi artifex profiteretur, cōſuetudinem tamen recitandi per ea tempora inoleuiſſe teſtatur. Cauſam igitur, ſi vobis ita videtur, perorauì; ſed quoniam hodiernā diſſertationem à pulchritudine auſpicatus, in Memoriæ mentionem ſenſim delapſus ſum, vt primis extrema reſpondeant, illud vnum coronidis loco addo. Græcus neſcio quis ad petulantiam adoleſcentis, quam ex formæ conſcientia collegerat, infringendam, ſenectutem, morbum, dolores, inſcripturum ſe tabulæ deierauit; vt ea de ſuperbiſſimi iuuenculi collo tanquā amuleta ſuſpenderet, aut illius ianuæ, monimentum lubricæ, ac fugientis fœlicitatis affigeret. Grauiter ille, & in rem ſuam ingenioſè. Ego vero Memoriæ obſequijs mancipatus, commentarios hoſce meos, tanquā profligatæ opinionis manubias, in ampliſſimo hoc Mnemoſynes templo ſuſpendo; cum Iudithæ viduæ ſanctiſſimæ, ac tum præſertim obtruncati Holophernis ſpolijs ferculum adornantis, Epigrammate, Anathema obliuionis.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
quæ in Romanis diſertationibus continentur.

A

ACademicorum opinio de animabus pag. 37
Academici ſcelerum cauſam in corpus conijciebant. 38
Achillem muliebris habitus corrupit. 212. 213. 214.
Achillis cæſaries Sperchio flumini conſecrata. 168
Adoleſcentis luxuriantis deſcriptio. 194. 195. cum ſeq.
Ægyptus prodigiorum mater. 197
Ægyptiorum templorũ deſcriptio. 197. & 198
Ægyptij Serapidis ſimulacro cęlum capitis loco imponebant. 64
Ægyptij linguam ſubtuſq; manum pingebant ad ſermonem innuendum. 126
Ægyptus quidnam ſignificet. 26
Æolus ventis imperans, rationem appetitibus imperantem repræſentat. 13. 14
Affectiones cur belluæ dicantur. 14
Ambitioſum hominum genus quale ſit. 184
Ambitionis nouum genus quale ſit. 186
Ammianus epigrammatum author quomodo promiſſam barbam appellarit. 161
Amor ſophiſta appellatus. 4. & 5
Amor philoſophus dictus à Diotima. 4
Animæ imperium in corpus. 37
Animæ alæ à Platone attributæ. 42
Anima mores proprios corpori inducit. 42
Animæ cum ſole comparatio. 42. 43
Animæ in virtute exercenda corpus non obeſt. 43
Animorum propenſiones è corporis inſpectio-

X 6

ctione indagari. 57
Animi hominum in friuolis quam in magni momenti rebus ſunt perſpicaciores. 1
Animus duplex, bonus & malus. 5
Animæ ſimplicis duplex appetitus. 6
Anima diuerſis poteſtatibus inſtructa, varia illa hominum multitudine in equo Durio incluſorum ſignificatur. 9.& 10
Animæ facultas triplex. pag. 12
Anima vas appellata. pag. 14
Anima quomodo à belluis habitetur. 14.& 15
Animus ſolis inſtar in corpore eſt. 71
Animi hominum in dæmonum ordinem à quibuſdam coptati. 20
Animi perturbationes quidnam ſint. 23
Animi perturbationum ſumma duo capita. 23
Anima mare appellata. 28. hortus deliciarum. pag. 31
Antiſthenis vanitas ex palijs cognita. 184
Apollonius Thianæus è paſſeris voce caſum aſelli præſcijt. 109. 110
Angerona quidnā ſit. 25
Aquarum genus duplex in Ægypto. 25.& 26
Arrij mores ex ſcribendi genere deprehēſi. 128
Artis cum natura comparatio. 65.66
Artemidorus ſomniator pag. 90.91
Aſini deſcriptio. 229
Auguſtus Cæſar veſte mediocri & domeſtica vſus eſt. 200

B

Balbuties primum temulentiæ ſpecimen 105. in delicijs habetur. 106
Balbuties decora in Alcibiade. ibid.
Bacchum quandonam oporteat nymphis edomari. 208
Barba quænam commoda viris afferat. 158. officij hominem admonet. ibid.
Barbæ variam compoſitionem varias animorum propenſiones ſignificare. 160
Barba promiſſa & inculta cuiuſnam rei ſit indicium. 160.161

Brutis animantibus præſenſiones quædam tempeſtatum à natura inditæ. 83.& 84

C

CAput humanum cur cæli nomine inſignitum. 63
Caput animi ſimulacrum. 64
Caligulæ inuſitatus corporis cultus. 208. ipſius Caligulæ habitus & formæ deſcriptio. 209 animi illius vitia & turpitudo. ibid. & 210
Calpurnius Siculus poeta. 165
Carmolai Megarenſis oſculum duobus talentis conſtitiſſe. 167
Captatores teſtamentorum crebra multa tuſſi decipi. 240. & 241
Capillorum tinctura deteſtanda. 147
Capillorum varia diſpoſitio; & cura quid indicet. 141
Capillus impexus efferatorum nota. 164
Cato virtutis infractæ ſimulacrum. 134. quænam illius eloquentia fuerit. ibid.
Cæſaris ſtylus acutus & concitatus. 136
Centaurorum natura duplex duplicem animæ appetitum ſignificat. 7
Carneades Philoſophus vocalis fuiſſe proditur. 97
Chiromantia quidnam ſit. 83
Chiromantes ad ſyderũ vim omnia referũt. 87
Chiromantum inconſtantia. 87
Chiromantiæ quotnam ſint genera. 86
Characteres quoſdam eſſe in anima quibus corporis ſigna reſpondeant. 13
Clamor inconditus quid indicet. 96. iracundiæ equus dicitur. 100
Cleantem philoſophum ex ſternutamento de hominis moribus iudicaſſe. 236
Comæ laus. 141. 142
Comæ componẽdæ cura apud Lacedæmonios. 142. Quænam in ea ſint vituperanda. 144
Corporis ornatum animi indiciũ eſſe poſſe. 139. eius cultus quidnam ſit. 140

Corporis habitum ad animi habitudinem facilè tranſire. 210. 211
Corporis ornatum, contrariam animi diſpoſitionem nonnunquam occultare. 199
Corpus peregrinantis animæ diuerſoriū. 18
Corporis doloribus animam quoque ſauciari. 45
Corpus animæ neceſſaria ſuppeditat. 43
Corporis & animi conſenſus. 36
Corporis humani appellationes variæ. 35. 36
Corporis humani cum mundo collatio. 63. 64
Cognatio & ſimilitudo inter oculos animi & corporis. 2
Cognitio ſui, diſciplina omniū pulcherrima. 3
Concupiſcibilis appetitus Protheo comparatur. 12. 13
Cor humanum ſepulchrum dicitur. 117
Conditionum diuerſitas è veſtium varietate noſcitur. 188
Cornu imperij & potentiæ ſymbolum. 155
Cornuti appellatio exagitatur. ibid.
Curioſitas nimia damnoſa. 230
Cupiditas hominum cæca exagitatur. 116. 117

D

Delicati hominis multum ſtudij ad corporis cultum adhibentis deſcriptio. 194. 195. cum ſeq.
Democritus oculos, hoc eſt animi feneſtras obſtruit. 3
Demoſthenes luxus nomine malè audijt. 199 & 200.
Diuinationis genus è ſpeculo apud Achæos. pag. 71. 72
Diuinitatis nomen animi perturbationibus ab hominibus impoſitum. 20. cum ſeq.
Diuinitatis veſtigium in corpore humano quomodo eluceſcat. 33. 34
Diuinandi ratio apud Hebræos. 66. & 67
Dictio fluxa quid innuat. 130
Diogenis Cynici elegans deſcriptio. 185
Dionyſia ſaltatricula. pag. 200
Doloris & voluptatis nexus.

xus. 23.& 24
Domitianus muſcarum occiſor. 162
Domus vitreæ deſcriptio. 54.55

E

Effœminatorum hominum deſcriptio. 194.cum ſeq.
Elegantiæ amor cuiuſnã rei indicium ſit. 181
Eliezeris Iudæi opinio de veſtimentorum inuentione. 177
Epaminondas vnica veſte contentus fuit. 201
Epictetus Stoicorum princeps. 184
Error quorundam de anima. 39.40

F

Facierum humanarum diſcrimen mirabile. 93
Flumina è paradiſo exeuntia quid ſignificent. pag. 31.32
Fucorum lenocinia impudicis conuenire. pag. 197

G

Gaditanæ fœminæ obſcœnæ & choreis deditæ. 224
Galeni opinio de anima. 44
Geſtuum ars, muſica muta. 90
Glandium eſus poetarum figmentum. 175
Gratiæ quot numero fuerint. 137
Vtrum veſtimentis ornatæ. ibid.

H

Halicarnaſſenſes ex ſacerdotis barbarum euentum coniiciebant. 157
Helenæ vocis flexibilitas. 107. Voluptatem repreſentat. ibid.
Herodis Attici dicterium. 168
Herculis amore & luxu corrupti ſtatus repræſentatur. 211.cũ ſeq.
Hirci appellatio quam vim habeat. 153.cum ſeq.
Hirſuties in manu quid ſignificet. 89
Homines vitiorum cauſam

ſam in Deum & alias res transferre. 6
Homo adorandum animal ab Ægyptiorum ſacerdotibus dictus. pag. 92
Hortenſius luxus infamia laborauit. 200
Hypanis fluuij prodigium. 26
Hyſtricis animalis Indici deſcriptio. 165

I

INceſſum animi propenſiones indicare. 217. cum ſeq.
Inceſſu ſolo Deos olim hominibus innotuiſſe. 218.219
Inceſſus modò citus, modò tardus, furorem & dementiam deſignat. 220
Inceſſus mollis & effœminatus exprimitur. 221.cum ſeq.
Inceſſus perfluus & nutabundus hominem diſſolutum indicat. pag. 223
Inceſſus cunctabundus tumorem animi indicat. 227. cum ſeq. interdum ſtrenuitatem. pag. ibid.
Inceſſus ſuperbi & elati deſcriptio. 218.219
Indorum inſtituta, quibus populorum mores ad honeſtatem cõformabant. 57.58
Infernum pro ſepulchro accipi. 16
Inferos eſſe ipſa corpora quibus animæ includuntur. 17
Innocentia quolibet veſtimento melius tegumentum. 138. prope finem, cum ſeq.
Inſaniam in ſapientiæ parte non rarò poni. pag. 206
Iones choreis addictiſſimi & delicijs fracti. pag. 224
Iraſcens facultas equus, concupiſcens fœmina dicitur. 16
Iuliani Apoſtatæ dementia ex inceſſu deprehenſa. 220

L

LAborioſi & duri hominis deſcriptio pag. 235
Lamiæ oculi exemptiles. 1.& 2
Lapis modulate reſonãs Megaris viſus. 127

Leones quorum denſior iuba & criſpa, ignaui. pag. 152
Linceus acri oculorum acie præditus. 56
Lineæ manui impreſſæ an ad diuinandum valeant. 84
Linearum quæ ſunt in manu nomina. 85.86
Linguam menti ſubſeruire debere. 120. interpretem agere. 121. loquentū animos patefacere. 122
Literatorum opera, animæ partus dici. 126

M

MAnum voci articulandæ inſeruire. 124 mentis interpretem eſſe. 125
Manus vis ad ſeditionē compeſcendam. 87
Manus organum organorum. 85. rationis & ſapientiæ miniſtra. pag. ibid.
Manuum motum magnam vim in dicendo habere. 91
Mare fluuiorum hoſpitium. 31
Martiani Imperatoris lex. 116
Mecenas mollitiei damnatus. 134.135
Mercurij Triſmegiſti crater, quidnā ſit. 113
Mercurium Gratijs copulare quid ſit. 138
Mores à temperamento corporis proficiſci. 52
Moyſes fratris ore loquutus eſt. 122
Mulierem exuta tunica pudorem etiam exuere. 137.138
Mundi tres ab antiquis excogitati. 34. quomodo ad tres hominis facultates referātur. ibid.
Muſcarum captandarū artificium. 162
Muſæ Sirenis anteferendæ. 135

N

NAturæ ſapientia in barbæ virilis artificio. 160

O

OCulos id eſſe in capite, quod aſtra in cœlo. 70. animæ ianuas dici. 71
Origenis error de anima. 40

Oris humani elogia. 123
Os an aliquid commune habeat cum corde. pag. 111.112

P

PAllas è Iouis capite proſiliens quid innuat. 60
Paradiſus terreſtris vbinam fuerit. 31
Paraca vrbs cuius incolæ hepate, aut corde draconis veſcebantur. 110
Paridis lyra auro atque ebore intertexta ab Alexandro Magno repudiata. 135
Pellibus quinam induti fuerint. 176
Pericles totam Græciam eloquentia ſua permiſcuiſſe dictus. 132
Perſpicaces in alienis vitijs, in ſuis cæcutire. pag. 230
Perſarum reges capillitium aureis bracteis intertexere conſueuiſſe. 148
Perturbationum origo duplex. 28. earundem capita quatuor. ibid.
Petronius Arbiter puriſſimæ impuritatis author. 217
Phidiæ artificium. 35
Philonis Iudæi de animi perturbationibus ſententia. 203
Planetæ cur errantes dictæ. 85
Platonis error de anima. pag. 40
Platonis opinio de veſtium vſu. 176
Platonicum animæ currum duplicem animæ appetitum repræſentare. 87
Promethei figmentum è luto. 114.115
Promethei & Dædali operum diſcrimen. pag. 215.216
Pſammenyti dolor in amici calamitate, in propria verò ſtupor. pag. 73.74

R

RAtionalis iudicij, quod erat ſuper pectus ſacerdotis, cum vultu humano analogia. 67
Rebeccam repræſentare animam duplici fœtu, hoc eſt appetitu grauem. 9
Rebeccæ geminum fœtum in vtero, duplicem

cem appetitum innucere. 8
Regionis cuiuſdam deſcriptio ex Theopompo. 27

S

Salomonis equites ramentis auri capillos ſparſiſſe. 150
Sapientia Dei munus. 61
Sapientiam ex earum rerum quas in nobis poſuit Deus contemplatione comparari poſſe. 1
Saturni tempora verè ferrea. 172
Sciendi cupiditas à natura homini inſita. 82
Scientia omnis humana, ignorantiam admixtam habet. 44
Scommata in Iulianum Apoſtatam iacta. 155
Semiramidis aſtus quo Perſarum rex eluſus eſt. 116
Senſus corporis animi feneſtras quaſdam eſſe. 231
Sermo animi ſimulacrum. 113. imago vitæ. ibid.
Sermone homines à belluis ſegregari. 124
Serpens ex confuſo auiū ſanguine procreatus, pag. 111
Seuerus Imperator tenui veſte vſus dicitur. 201
Signa corporibus humanis impreſſa. 50
Sirenes quid ſignificent. pag. 135
Solimœarum mulierum laſciuia ex inceſſu deprehenſa. 221
Sphinx triplici natura conſtans, triplicem animæ facultatē repræſentat. 11
Speculum ſapientiæ inſtrumentum. 48
Speculum intueri quid ſit. 49
Spuere procul fœdum eſſe. 102. cuius rei ſignum ſit. ibid.
Sternutamento detectā adoleſcentis libidinem. 237
Sternutationem ſalutis omen ægrotantibus afferre. ibid.
Sternutamentum animi mores prodere. 232. res futuras portendere. 233
Sternutamenti definitio. 232
Sternutamento magnā vim attributam eſſe à ſum-

ſummis viris. 233. illorum opinio tanquã futilis reiecta eſt. 234
Stoicorum opinio de animi perturbationibus. 22
Struthiocamelum ſolo obtutu pullos ab ouis excludere. 62
Stylum animi ſimilitudinem exprimere. 127
Sulpitij Galli luxus notatur. 206
Syllæ furtum Delphis admiſſum. 79

T

TAlus a Vulcano fabrefactus. 174
Tarentini cuiuſdã oculorum debilitas. 58
Tempora præterita fœliciora exiſtimari quã præſentia. 171
Tempora ante Adami lapſũ beatiſſima. 172
Tertullianus robuſtæ eloquentiæ princeps. pag. 140
Theſauri vnà cum principum cadaueribus olim reconditi. 116
Tireſias animantes inter ſe colloquentes intelligere creditus eſt. 108. 109.
Tuſſis ſponte ſuſcepta quid indicet. 238
Tuſſim guloſos indicare. 241
Tuſſire plurimum cuiuſnam rei indiciũ ſit. 239

V

VEnus barbata à Romanis culta. 171
Venti quatuor, quos pugnantes vidit Daniel, quid ſignificent. 30
Veſpaſianus iuuenẽ quẽdam vnguento delibutum increpuit. 145
Veſtis virum facit. 214
Veſtibus ſexum mentiri quam infame, & deteſtandum 205
Veſtis ambitioſa criminis pœna potius quam ornatus. 139
Veſtimenta verecundiæ ac tutelę cauſa data 174
Veſtis ſordidæ cõmendatio. 183
Veſtium cultus, eruditũ fraudis inſtrumentum pag. 193
Veſtimentum molle, mollem animum indicare. 194
Veſtimentorum diuerſitas, varias animi ægritudines indicat. 178

Ve-

Veſtimentorũ mutatio, imperij conuerſionis indiciũ exiſtimatum eſt. ibid.
Veſtis ſacerdotalis apud Iudæos totius terrarũ orbis imago erat. 179
Veſtis neglecta quid indicet. 180
Virtutem debilitate vallari. 73
Vita humana mimo ſimilis. 68
Vitæ totius rationem in duarum rerum nexu poſitam eſſe. 21
Vlyſſem animi magnitudinem ſub ſordida veſte occultaſſe. 190
Vlyſſem non ex ore, ſed ex pectore loquutum eſſe. 129. ad finem cum ſeq.
Vnguenti vſus in capillis improbatur. 146
Volupia quidnam ſit. 25
Vocis humanæ diuerſitates multæ. 94. eius ſoni quotnam ſint? pag. 95.96
Vocis & faciei conſenſio 93. Vox animi ſenſus indicat. 94. Latentes animi ægritudines prodit. 95. eius vitia & virtutes. ibid. eius magnitudo vndenam. pag. 99
Vocis magnitudo generoſæ naturæ index. 99. nec non iracundiæ & ſuperbiæ. 100
Vox fracta quid indicet. 103. cum ſeq.
Vulgi prouerbia nonnumquã Philoſophorum ſententijs præſtare. 153
Vultus glabritiei ſtudere, effœminatorum & mollium eſſe. 170

Z

Zenonis prudens admonitio. 114

INDEX

RERVM MEMORABILIVM quæ in Proluſionibus Ethicis continentur.

A

Achilles amoris atque iræ mancipiũ factus eſt. 263

Achilles non minus religione quã bellica virtute inſignis. 382

Adamitas verè eſſe eos omnes qui excuſationes quærunt in peccatis. 398

Adriani muſæum, ſeu menſa Ægyptia. 290

Ægritudinem corporis æquo animo tolerandam. 372

Æthiopes aduerſus omnes animi affectus obduratos fuiſſe. 302

Aleander eruditiſſimus criticus. 388

Alexander Seuerus doctos viros menſæ ſuæ adhibebat. 290

Alphæi fluuij miraculum. 424

Amorem ſui ingenioſã rem eſſe. 416

Animam corpore tanquam manciptio vti debere. 352

Animi laborem corporis vires exhaurire. 349

Anima humana qualis ſit. 475. cerea tabula dicta. 480

Animus humanus à veteribus Philoſophis pleriſque pro Deo habitus. 255

Animos hominum è cera fictos à Philone. pag. 256

Animam ſine miniſterio corporis vim ſuam exercere nõ poſſe. 366

Animam vnionem eſſe. ibid. in fine.

Animæ damno corporis valetudinem emi non debere. 355

Animi & corporis imbecillitas. 300

Animos hominum ſtudijs manſueſcere. 285 286.

Arbores pro numinibus coli ſolitas. 274

Ar-

Arborem vetuſtã Chriſto puero adhuc in Ægyptum fugienti ſe iuflexiſſe. ibid.
Ariſtotelem linguæ offenſionibus obnoxium fuiſſe. 405
Artemonis inepta valetudinis curandæ ratio. 324
Aſtarte Syrorum numen. 273
Athenienſes miſericordiam, pudorem atque impetum, pro dijs habuiſſe. 253
Aulici cuiuſdam imperitia, epigramma tanquam edulij quoddã genus in culina quærentis. 291.292
Auicennæ opinio de imaginatione. 361

B

Bacchanalia celebrãtium deſcriptio. pag. 341.342
Barbam primam quinã Appollini dicarint. pag. 391
Bellonam Iunio menſe sãguine humano placari ſolitam à ſacerdotibus. 384
Bernardi opinio de perturbationibus expurgandis. 275

C

Chaldæos ignẽ pro Deo adoraſſe. 277
Chaldaicum numen ab Ægyptio victũ. ibid.
Celtæ quomodo ſomnia captarint. 436
Chaldæorum natio fugienda. 375
Charidæmi elogiũ. 282
Chriſtus vtrum perturbationibus animi caruerit. 311.312
Chriſtum certo conſilio, non conditionis neceſſitate perturbationes animi ſuſcepiſſe. pag. 313.314
Chriſtianos pleroſque falſæ religionis ſacris operari. 252
Climæum Adonidis tẽplum. 285
Color vultus qualis ſapientiæ ſtudioſis conueniat. 371
Concordiæ ædem à Liuia conditam. 385
Conuiuiorum hilaritas eruditione temperanda. 289
Corporis valetudinem animi gratia curandã eſſe.

eſſe. 359
Corporis quærimoniam de anima. 369. 370
Corporis languorem nõ rarò animo prodeſſe. 371
Corporis ſanitatem per animi vulnera procurare, ſtolidũ eſſe. 337
Corpus animæ mancipium eſſe. 352
Coſrois Perſarum regis machina. 310

D

DOctrinę litterarumque patrocinium. pag. 284

E

EPimetheus quas ſtatuas finxerit. 395
Epictetus Stoicæ diſciplinæ anteſignanus. pag. 453
Erus miles qui mortuus reuixit. 316
Excuſationem à primis parentibus ortum duxiſſe. 397. Frondem ficulneam eſſe, 398.
Excuſationẽ imprudentiæ prolem eſſe. 396. Virtutũ peſtem. ibid.
Exempla magnorum virorum amoliri debere vitia non excuſare. 406

F

FEbrem vulturi ſimilem eſſę. 391
Fortunæ ſubdolum ingenium. 288
Franciſci Gallorum Regis elogium. 290

G

GAneonum deſcriptio. 322
Gnoſticorum opinio de Chriſti corpore. 312

H

HElenæ potio, quam Telemacho propinauit, quid ſignificet. 295
Heluidius priſcus quonam conſilio litteris operam dederit. 296.
Homo cur à Deo conditus. 367
Homines cupiditatibus ſuis blandiri. 309
Hominis à morbo conualeſcentis, varia remedia, votaq; ab alijs accipientis ſtatus. 319

Homines vitjs ſuis excuſationes obtendere. pag. 390. 391. &c.
Horatius Epicuri ſectator. 378

I

IDolorum cultus vmbra picturæ dicitur. pag. 257
Ieiunij nomine audito helluones percelli. 345
Imaginatricis facultatis vis. 359
Indorum ſacerdotum oraculi reddendi ratio. 336
Inertis hominis deſcriptio. 347
Ioannis Luſitani eximia virtus. 354

L

LAcedęmonios timorem coluiſſe. 253
Laconis cuiuſdam generoſus animus. 421
Libertatem optimum eſſe aduerſus ægritudines pharmacū. 320
Litterarum bonarumq; artium commendatio. pag. 285

M

MAla ab hominibus per imprudentiā præueniri. 384. 385
Medicæ artis in partes diſtributio. 333
Medicos, ſalute animæ neglectâ, totos corpori intentos eſſe. 354
Medicorum curationes mera ſomnia. 436. 437
Medicorum imperitiæ exagitatio. 324
Memoriæ laus. 482. aures ei conſecratæ 475. Memoria in cerebro reſidet. 476. ſapientiæ parens dicitur. ibid. quantum ei debeatur. 476. rerum omnium theſaurus dicta. 481. quot modis labefactetur. 485
Mercurij Caducęus quid innuat. 296
Mezentius haſtam ſuam adoraſſe dicitur. 263
Morbos mortalitatis ſuæ homines admonere. pag. 379
Morti ſemper proximos eſſe homines. 380. 381
Mortis cauſas innumeras homines circumſtare. ibid.
Mortis formidinem miſeros homines efficere. 381. 382
Muſas Cupidinis ſagittis non eſſe obnoxias. 297

N

NAſamones qua ratione ſomnia captarint. 436

O

Odia mortalium immortalia eſſe non debere. 265
Otium vigorem excitare. 390

P

Pantheon Deorũ omnium delubrũ Romæ conditũ. 261. Cor humanum repræſentat. ibid. & 262
Pauſus Latij genius. 390
Pecunia pro deo culta. pag. 259. 260
Perturbationes non eſſe penitus extirpandas, ſed ad normam virtutis dirigendas. 271
Perturbationes animi diuinitatis ius in hominum animis obtinere. 253 255
Perturbationũ cauſæ in quaſnã res ab hominibus reijciantur. 412
Perturbationis definitio. pag. 307
Phaeton quid ſignificet. pag. 270
Phantaſiæ vis in corpus, & animum. 361. 362
Phantaſiæ morbo laborantium exempla. 363
Pietatis atque eruditionis rara ſocietas. 248
Plato quid ſenſerit de ſomnijs. 440. Item Pytagoras, & Empedocles. ibid.
Platonẽ Sophiſtas exagitaſſe. 453
Platonis ſententia de valetudine corporis. 339
Platonis ſentẽtia de mutua corporis, & animæ temperatione. 368
Poetarum fabulis humanis vitijs alimẽta ſuppeditata fuiſſe. 399
Principibus viris parcè dormiendum. 347
Pulchritudinis corporis quanta vis. 467. 468. quàm caduca ſit. 468. 469. cum ſeq.

R

Regionis cuiuſq; ſuũ genium eſſe. 417
Religioſi primùm, deinde crudeliſſimi cuiuſdam hominis hiſtoria. pag. 460. 461
Reſpectum hominum multũ obeſſe ad virtutem. 419
Rhetoricæ cum Dialectica omnia communia. 447
Rhetoricæ vim maiorẽ eſſe Dialecticę vi. 457
Romanam eloquentiam Athenienſem ſupereſſe. 445

Ro-

Romanum nomen poſteritatis diſciplina. 249
Romam plurà quàm cæteras vrbes ſimul virtutis exempla habuiſſe. 249. generis humani capacem fuiſſe. ibid.
Romam, vbi veram religionem amplexa eſt, à marmoribus ad aurum traductã. 250

S

SAnitatis tuendæ nimia cura. 329. 330
Sanitati animæ, & corporis ſtudendum. 368
Sapientum ſomnia ſtultorum vigilijs meliora. 467
Sapientiam raro trabeatam ſæpe pannoſam viſam eſſe. 421
Sceleribus humanis petitum olim à falſis dijs patrocinium. 401
Sceleratos homines exẽpla è diuinis litteris petita ſuis flagitijs obtendere. ibid. & 402.
Magnorum virorum factis ſua excuſare. 402. 403. Vrbis mores corruptos ſuis vitijs prætexere. 418
Sęculi ſui moribus vnũquemque viuere. 408
Senatus populiq; Rom. elogium. 455. 456. cum ſeq.
Simulachrorum multitudinẽ dedecori fuiſſe Romæ. 250
Simulachra Deorum quo tempore diſiecta fuerint. 267. 268
Sineſij fabuloſum vehiculum. 441
Socrates ſęculi ſui conſtantiæ exemplar. 409. oraculum. 425
Somnus quid boni hominibus afferat. 433
Somno ſopiti hominis ſtatus. ibid.
Somniorum captandorum ratio. 436
Sophiſtæ, genus hominum fallax, vnde orti 447. nomen dignitatis olim, & honoris. ibid. eorum imagines in priuatis bibliothecis aſſeruatæ. 448. ſtatuæ poſitæ. ibid. eorum diſciplina qua re potiſſimum contineatur. ibid. & 449. Simplicibus, & imperitis imponunt 450. eorum diſputandi genus aranearũ telis ſimile. 451
Spẽ obſtinatos aduerſus infortunia reddere. 316

Studiorū quis finis. 452.
Superſtitionem falſæ diuinitatis duabus rationibus euerſam. 267

T

TAbacci herbæ Indicæ vſus. 334. cū ſeq.
Tageæ lampas inextinguibilis. 314
Thales Cretenſis excantator. 377
Theodoræ virginis fortiſſimę elogiū. 426. 427
Thomas Aquinas Chriſtianæ reipublicæ lumen. 314
Tiberium Cæſarem Cōcordiæ ædem à Liuia Auguſta poſitam dedicaſſe. 385
Timor ſæuiſſimus animorum tortor. 254. primum inter homines numen timorem habitum fuiſſe. ibid.
Traſeam ob virtutem admirationi Neroni fuiſſe. 410
Triſtitiæ diſcutiendæ ratio à quibuſdam populis obſeruata. 337
Trophonij templū adituri quid agebant. 474

V

VAcuna otij numen. 390
Valetudinariorū miſera ſollicitudo deſcribitur. 326. 327. 328. &c.
Vanitas hominum ſtudijs deditorum deſcribitur. 282. 283
Vita mortalium conuiuio, & carceri comparata. 287
Vitioſos cæcis ſimiles eſſe, qui non ſuam, ſed loci caliginem accuſant. 420
Vitia temperari non debere, ſed penitus euelli. 308
Vitia ab hominibus diſſimulari. 392
Vittæ in conuiuijs excogitatæ ad leniendos capitis dolores. 288
Virgæ aureæ Mineruæ vis. 469
Virtutem in omni loco coli poſſe. 423
Voluptati, & ſocordiæ deditū eſſe, quàm periculoſum ſit. 414. 415
Voluptas, & dolor ſeparari à ſe inuicem non poſſunt. 294

Z

ZEnonem naturæ aſperitatem vino; tēperaſſe. 305. ad finem.

LAVS DEO.

EMANUELE VITTORIO IN ROMA BIBL